Joh. Jacobi Weckeri ... De secretis libri XVII, ex variis auctoribus collecti, methodice digesti, et Mizaldi, Alex. Pedemontani atque portæ secretis inprimis locupletati ... accessit index locupletissimus / [Johann Jacob Wecker].

Contributors

Wecker, Johann Jacob, 1528-1586.
Zwinger, Theodor, 1658-1724.
Pedemontani, Alex.

Publication/Creation

Basileæ : Apud J.R. Thurneisen, 1750.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/athzzxyg

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

38691

. . 1.ª edizione di questa celeberrima
stampa 1582. in 8.° — La presente edizione
è superiore alla prima per la correzio-
ne e per la giunta.

Gustave Daviel

C 959
10/-

54623/B

38191

JOH. JACOBI WECKERI,

Basilienſis, Medici Colmar.

DE

SECRETIS

LIBRI XVII.

EX VARIIS AUCTORIBUS COLLECTI,
METHODICE DIGESTI,
ET MIZALDI, ALEX. PEDEMONTANI
ATQUE PORTÆ SECRETIS
inprimis locupletati,
NOVISSIMA HAC EDITIONE
non ſolùm ab innumeris mendis obſcuritateque purgati,
Sed &

THEODORI ZVINGERI,

Archiatri Basilienſ. celeberrimi,

ADDITIONIBUS

E PHARMACIA ET CHYMIA
UTILISSIMIS ADAUCTI.
Acceſſit INDEX locupletiſſimus.

BASILEÆ,

Apud JOH. ROD. THURNEISEN,
M DCC L.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

VIRO

Ampliſſimo, Excellentiſſimo & Nobiliſſimo, Domino

J. GVILH. HENNET,

J. Utr. Doctori, Curiæ Epiſcopal. Bruntrutanæ Advocato meritiſſimo, atque Urbis Delemontanæ Conſuli Prudentiſſimo,

Domino & Patrono ſuo honoratiſſimo Salutem!

NOn infrequens eſt Medicantium vanitas, dicam an damnanda invidia, quâ quidem multi eorum, ad curandos quotidie Ægros ſollicitati, non niſi ſua jactare nôrunt, & neſcio quibus encomio-

rum lenociniis extollere Secreta, commendare Arcana, laudare Panaceas, taliumq; adeo descriptiones, ex nefanda forsan sordidi cujusdam lucri cupidine, inter sua χειμήλια studiosè recondunt, neutiquam patefacienda, si vel maximam pecuniæ vim obtuleris. Audimus, & nonnullos eo usque jam processisse, ut non tantùm publicatis ea scriptis exaggerare, sed & pro constituto ubique pretio mercantium instar venalia exponere ausi fuerint. Quod quidem an & quousque cum Medicinæ Dignitate, & Medicorum Gravitate, quæ nil nisi honestum patitur, conciliari queat, ipsi, quorum interest, vide-

viderint Nobiliſſimæ Artium Aſclepiadeæ Myſtæ. Neque tamen ſola Medendi peritia ſuis gaudere poteſt arcanis, dudum enim in aliis quoque Artibus, velut Mechanicis, myſteria quædam, & encheireſes deprehendebantur peculiares, paucis perfectè cognitæ, qui proin hinc ſibi famam & exiſtimationem non levem comparabant. Cùm autem ab eo uſque tempore, quo Typographica Ars florere cœpit, nihil diu arcanum manere potuerit, factum quoque eſt, ut tandem omnia ejusmodi ſecreta vel ipſi vulgo penitus innoteſcerent, eorumq; numerus paulatim ſimul valdè increſceret. Unde Joh. Jacob. Weckerus,

Basilienſis, Medicus Colmarienſis celeberrimus, pro eo, quo flagrabat, deſiderio commodum Rei Litterariæ promovendi, plurima talia Secreta, per omnivarias Diſciplinas diſperſa in unum volumen colligere, publiciq; juris facere ſategit. Nec infelix Propoſiti fuit eventus; comparuit Liber, applauſumq; non mediocrem invenit; diſparuit tandem etiam, ut iteratâ editione recudi neceſſe habuerit. Cumq; & hujus Editionis exemplaria à pluribus jam annis penitus diſtracta eſſent, ipſumq; interea opus multoties deſideratum audiviſſem, non abs re me facturum exiſtimavi, ſi in lucem denuò publicam mitterem. Hoc autem,

tem, ut tanto majore cum fructu contingeret, de Additionibus mihi prospexi, curiosis non minùs quàm utilibus, simul ac Librum ab innumeris mendis, obscurisq; rerum explicationibus repurgandum curavi; Laborem hunc omnem suscipiente D. Theodoro Zvingero, Medicinæ Doct. & Profess. in Academiâ Basiliensi Ordinario, Scriptis aliàs in lucem editis noto. Ut adeo sperare ausim, Tertiam quoque hanc Editionem Literati Orbis applausum merituram. Fiet & hoc feliciter, si Tuæ, Vir Amplissime, Excellentiæ placebit non tantùm serenâ fronte, quem venerabundo admodum animo Ipsi inscriptum dedicatumq;

volui, Librum excipere, ſed eundem benigno ulterius calculo probatum, inter Bonos vel commendare, vel à Theonino malevolorum dente fortiter tueri haud dedignabitur. Sperare hoc jubet Æquitas Pietasq; Tua, meritis in me Tuis mihi perſpectiſſima, exſpectare ſimul facit inſignis ille Tuus in Rem litterariam amor. Faxit autem Deus Ter Opt. Maximus, ut in Sui Nominis gloriam hi noſtri conatus vergant! Faxit Is ipſe, ut Excellentiæ quoque Tuæ, ampliſſimis Munerum Dignitatibus ornatæ, cuncta feliciter ſuccedant, Tuq; adeo, Vir Excellentiſſime, ſalvus & incolumis in publicæ Rei commodum vivere, atque

que omnigenâ corporis animiq; prosperitate quàm cumulatissimè, maximam Seculi hujus, quod modò per Dei gratiam inchoavimus, partem transigere queas! Ita vovet ex animo

Ampliſſimi & Excellentiſſ.
Nominis Tui

Dabam Baſileæ
D. 22. Januar.
Ann. 1701.

Cultor indefeſſus & addictiſſimus

JOH. LUDOVICUS KÖNIG,
Bibliopola Baſil.

OPERIS TOTIUS

Universalis disposition.



A. Compo-


A. Compositis,
Perfectis,
Animatis,
Sensitivis,
Rationalib. ut hominis
Animo, Lib. IV.
Corpore. Sic lib. V. de
Vita, Cap. I.
Morte, Cap. II.
Sanitate, Cap. III.
Morbo, Cap. IV.
Forma, Cap. V.
Cibo, Cap. VI.
Potu, Cap. VII.
Venere, Cap. IIX.
Somno, Cap. IX.
Exercitio, Cap. X.
Brutis,
Terrestribus, Lib. VI.
Aquatilibus, Lib. VII.
Aëreis, Lib. IIX.
Vegetativis: ut Plantis, Lib. IX.
Inanimatis,
Naturalibus, ut
Metallis, Lib. X.
Lapidibus, &
Gemmis, Lib. XI.
Artificialibus: ut
Domibus,
Hortis,
Vestibus,
Fontibus,
Lib. XII.
Imperfectis: ut Meteoris, Lib. XIII.

B. *Forma-*


Gramaticæ,
Loquendi,
Logicæ,
Rhetoricæ,
Scribendi.
Liber XIV.
Organicæ,
Poëticæ,
Physicæ,
Magiæ natur.
Licitæ,
Illicitæ,
Metaphysicæ,
Mathematicæ,
Geometricæ,
Arithmeticæ,
Musicæ,
Astrologicæ,
Liber XV.
Philosophicæ,
Moralis
Oeconomicæ,
Politicæ: ut
Pace,
Bello.
Seriæ,
B.
Formaliter respectu scientiæ, sive artis, cujus cognitioni res ipsa subjicitur. Sic ergo Secreta alia cognitionis
Mechanicæ: ut Secreta
Molitorum,
Pistorum,
Coquorum,
Pharmacopolarum,
&
Chymicorum,
Fabrorum,
Pigmentariorum.
Liber XVI.
Ludicræ, de quibus Lib. XVII.

Catalogus
LIBRORUM,
quos propriis Typis & Sumptibus edidit
JOH. RODOLPHUS THURNISIUS
Bibliopola & Typographus Baſilienſis.

ALvari *Eman. S. J.* Grammatica Latina, cum Interpretatione Gallica & Germanica. 8. 1742.

- - - - - Principia, ſeu Rudimenta Grammatices, cum Interpret. Gallica & Germanica. 8. 1729.

- - - - - Syllabus Vocabulorum Grammaticæ, cum Interpret. German. & Gallica. 8. 1742.

Baſilea ſepulta, retecta, continuata, ſive Monumenta Baſilienſia, Editio a Joh. Tonjola aucta. 4.

Bauhini *Caſp.* Pinax & Prodromus Theatri botanici, ſive Index in Theophraſti, Dioſcoridis, Plinii & Botanicorum qui a Sæculo ſcripſerunt Opera, Plantarum circiter 6000. ab ipſis exhibitarum Nomina cum earundem Synonymis & Differentiis ſecundum genera & ſpecies proponens. 4. cum figuris.

Bernoulli *Jacobi* de Arte conjectandi Libri IV. cum Tract. de Seriebus infinitis & Epiſtola gallice ſcripta de Ludo Pilæ reticularis. 4. 1713.

P. Buccellini *Joh. S. J.* Officina Epithetorum, Appellativorum, & Nominum propriorum. 12. 1735.

Buxtorfii *Joh.* Biblia Hebraica Rabbinice gloſſata, una cum Haphtora & Tiberiade, III. Tomi fol.

- - - - - Synagoga Judaica, de Judæorum Fide, Ritibus, Ceremoniis, tam publicis & ſacris, quam privatis, 8. 1713.

- - - - - Theſaurus grammaticus linguæ Hebr. adjecta Proſodia metrica, ſive Poëſeos Hebræorum dilucida tractatio, 8.

- - - - - Epitome Grammaticæ Hebrææ, adjecta ſuccincta de mutatione punctorum vocalium inſtructio, & Textuum Pſalmorumque aliquot hebraicor. latina interpretatio. 8. 1710.

- - - - Grammatica Chaldaica & Syriaca, cum facili vocabulorum difficilium explicatione grammatica, & pravorum ad veram linguæ analogiam collatione. 8.

Celſi *Aur. Corn.* de Medicina Libri VIII. cum notis variorum, cura *Theod. Janſ. ab Almeloveen*; accedunt *Joh. Rhodii*

Rhodii Vita Celſi, variæ Lectiones & Loci aliquot Hippocratis & Celſi ab Henr. Stephano concinnati. 8. 1748. Editio nova diligenter correcta.

Ciceronis *M. T.* Orationes e correctionibus Pauli Manutii, III. Vol. 12.

Cornelius Nepos de vita excellent. Imperatorum. Accedit Chronologia Imperator. Græciæ, ab Andr. Schotto concinnata, & cura J. A. Boſii interpolata. 18. 1704.

Corpus Juris Civilis Academicum, II. Vol. 4. 1735.

Corpus Juris Canonici Academicum, Editio emendata & Notis Pauli Lancellotti illuſtrata. II. Vol. 4. 1746.

Q. Curtii Hiſtoria Alexandri Magni, cum Supplementis, cui accedit Plutarchus de vita & fortuna Alexandri. 12. 1706.

Eraſmi *Deſid. Roterod.* Colloquia familiaria juxta Exemplar Frobenianum ab ipſo *Eraſmo* correctum, cum notis Auctoris. 18. 1706.

Ettmulleri *Mich.* Compendium Medicinæ univerſæ, e Scriptis probatiſſimorum Auctorum e. g. Sennerti, Wedelii, Bœrhavii aliorumque, ſingulari cura concinnatum. Editio nova Notis Theodori Zvingeri aucta & illuſtrata. 8. 1738. II. Vol.

Grotii *Hugonis* Opera omnia Theologica, ſ. Commentarii in SS. Scripturam V. & N. Teſt. una cum varii argumenti Opuſculis. fol. IV. Vol. 1732.

Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Centuriæ XIII. Magdeburgenſes, a Chriſto nato ad XIII. Sæculi finem, in Urbe Magdeburgica ex optimis Hiſtoricis per ſtudioſos ac pios Viros olim congeſtæ, nunc vero per Lud. Lucium recenſitæ. fol. III. Vol.

Homeri Opera omnia græce & latine, cum Commentariis accuratiſſimis Joh. Spondani. Addita ſunt Pindari Epitome Iliados verſibus latinis, & Daretis Phrygii de bello Trojano Libri a Cornel. Nepote eleganter latino verſi carmine. fol.

Kœnig *Eman.* Regnum Minerale. 4. 1703.

- - - - Regnum Vegetabile quadripartitum, ſecundum Tournefort, Bauhin, Moriſon &c. exploratum. 4. 1708.

Lampe *Frider. Ad.* Commentarius Analytico-exegeticus in Evangeliſt. Johannem. 4. III. Tomi 1728.

Leusdenii *Joh.* Philologi tres, ſcil. Philologus Hebræus, Hebræo-mixtus, & Græcus, cum Fig. æn. III. Tomi 4. 1739.

Livii *Tit.* Hiſtoria Romana cum Sigonii, Gronoviorum aliorumque Notis. III. Vol. 8. 1740.
Martialis *M. Val.* Epigrammata cum notis Farnabii. 12.
Pexenfelderi *S. J.* Apparatus Eruditionis, per omnes artes & ſcientias. 8. 1744. Editio quinta.
Pfanneri *Tobiæ* Syſtema Theologiæ Gentilis purioris, qua quam prope ad veram Religionem Gentiles acceſſerint, ex ipſis illorum Scriptis oſtenditur. 4.
Plateri *Fel.* Praxis medica, obſervationibus illuſtrata. Editio quarta cum Præfat. Em. Kœnig. III. Vol. 4. 1736.
Pomey *Fr. S. J.* Candidatus Rhetoricæ, cum Angelo Pacis P. Nic. Cauſſini. 12. 1748.
Sautel *Pet. Juſt. S. J.* Luſus poëtici allegorici, ſive Elegiæ oblectandis animis & moribus informandis accommodatæ. 12. 1748.
Stephani *Roberti* Theſaurus Linguæ latinæ ex Emendationibus Ant. Birrii. fol. IV. Vol. 1740.
Suetonii *Caj. Tr.* Opera, innumeris Imperatorum Numiſmatibus nitide ære inciſis, & Notis Carolini Patini illuſtrata. 4.
P. Vanierii, *Jac. S. J.* Prædium Ruſticum, auct. & emendat. cum Fig. æneis, 8. 1750.
à Waldkirch *J. Rod.* Compendium Hiſtoricum à mundo condito uſque ad Pacem Badenſem continuatum. 8. 1714.
Weckeri, *Job. Jac. Baſilienſis, Medici Colmar.* de Secretis Libri XVII. ex variis auctoribus collecti, methodice digeſti, & Mizaldi, Alex. Pedemontani atque Portæ Secretis inprimis locupletati, noviſſima hac Editione non ſolum ab innumeris mendis obſcuritateque purgati, ſed & *Theod. Zvingeri*, Archiatri Baſilienſ. celeberrimi, Additionibus e Pharmacia & Chymia utiliſſimis adaucti. Acceſſit Index locupletiſſimus. 8. *Baſil.* 1750.
Zwingeri *Theod.* Pædojatreja medica, ſ. Obſervationes de Morbis Infant. & Puerorum, cum materia medica. II. Vol. 8. 1722.

Livres François & Italiens.

Dictionaire Italien & François, & François-Italien de Veneroni, augmenté & corrigé ſelon l'Ortographe moderne, & la plus pure de l'Academie DE LA CRUSCA, par Charles Placardi, Membre de la dite Academie. II. Vol. 4. 1750.

Eſſai

Droit de la Nature & des Gens, traduit du Latin de Monſ. Sam. de Pufendorf, avec les Notes de J. Barbeyrac. II. Vol. 4. 1732.

Eſſai d'une nouvelle Theorie de la Manœuvre des Vaiſſeaux, avec quelques Lettres ſur le même ſujet par Jean Bernoulli, avec Figures. 8. 1714.

Grammaire Françoiſe & Allemande, *nouvelle & parfaite*, par Franç. Louis Poetevin, Troiſième Edition. 8. 1750.

Lettres *les plus belles* Françoiſes ſur toutes ſortes de ſujets, tirées des meilleurs Auteurs, avec des notes par P. Richelet, ſeptième Edition, avec des Obſervations ſur l'Art d'écrire les Lettres par Mr. Br. la Martiniere. 12. II. Vol. 1747.

Le Maitre Italien, ou la Grammaire de Veneroni, augmentée de pluſieurs Regles très-neceſſaires, & corrigée ſelon l'Ortographe moderne, & la plus pure de l'Academie *de la Cruſca*; avec un Dictionaire pour les deux Langues, le tout revû & corrigé par Charles Placardi Membre de la dite Academie. 8. 1747.

Memoires & Avantures d'un homme de qualité, qui s'eſt retiré du Monde. 12. VII. Vol. 1744.

Oeuvres de Jean Baptiſte de Moliere. 12. IV. Vol. avec Fig. 1741.

Penſieri, Rifleſſioni e Maſſime morali del Conte Oxenſtirn ſopra diverſe ſcelte materie, tradotto dal Franceſe in Italiano da un Membro dell' Academia della Cruſca. 8. II. Vol. 1747.

Sermons ſur des Verités importantes de la Religion, par Sam. Werenfels. 8. 1744.

- - - - - ſur les Devoirs des Sujets, par Pierre Roques. 8. 1737.

- - - - - du Pere Bourdaloue de la Compagnie de Jeſus, pour les Fêtes des Saints, pour les Vétures & Profeſſions Religieuſes, pour les Dimanches, ſur les Myſteres, pour le Carême, pour l'Avent, la Retraite Spirituelle à l'uſage des Communautez Religieuſes, les Exhortations & Inſtructions Chrêtiennes, Nouvelle Edition, corrigée, 12. XV. Vol. *Paris*, 1750.

SECRETORUM CURIOSORUM

LIBER PRIMUS.

Abſtruſæ veritatis arcana.

CAPUT I.

ANTIQUITATEM rerum humanarum primævam ſilentio atque oblivione involutam; deinceps verò ſecutas fuiſſe Poëtarum fabulas; ac denique Fabulis ſucceſſiſſe Scripta, omni prorſus dubio carere arbitramur. Uſque adeo, ut Vetuſtatis remotiſſimæ penetralia, myſteriave, à ſequentium ſeculorum memoriâ atque evidentiâ, ceu quodam fabularum velo, quod ſeſe medium inter ea, quæ perierunt quæque adhuc extant, objecerat, ſeparata diſcretaque ſint. At verò ille ipſe Fabularum contextus ita verſatilis eſt, ut in diverſas huc illucve ſignificationes trahi ducique poſſit, imò abſurdis non rarò Hominum, aliàs ingenioſorum, cogitatis applicari. Multi enim, ut inventis placitiſque ſuis venerationem antiquitatis conciliarent, Poëtarum figmenta ac fabulas ad ea traducere conati ſunt. Quæ quidem vanitas neque nuper demum nata eſt, neque adeo rarenter in uſum tracta, cùm & olim Chryſippus Stoicorum opiniones vetuſtiſſimis Poëtis abſcribere ſolebat; & poſtremis hinc ſeculis Chymici vel Alchimiſtæ haud pauci ludos ac delicias Poëtarum in corporum transfigurationibus, ad fornacum experimenta transferre haud erubuerint. Alia enim myſteria, alia longè arcana talibus Poëtarum figmentis involuta fuiſſe pau-

ci admodum dubitant. Sic profectò Scientiam ſub Sphingis ac Oedypi; Naturam ſub Panis, Bellum ſub Perſei, Philautiam ſub Narciſſi fabulis elegantibus exponere, perſtringereque conſueverunt. Quin & nimiam hominum in rimandis arcanis curioſitatem duplici fabularum commento exemplove coërcere ſtuduerunt, Actæonis uno, ac Penthei altero: dum Actæonem quidem finxerunt, poſt viſam imprudenter Dianam veſte nudatam, in Cervum fuiſſe mutatum, atque hinc à propriis canibus dilaceratum: Pentheum autem fabulabantur, cùm ſacrificiorum Bacchi occultorum conſcenſâ arbore ſpectator eſſe voluiſſet, furore percitum, atque hinc rebus omnibus duplicibus viſis perpetim oberrâſſe, & circumvagatum eſſe. Atque harum fabularum prior ad Arcana Principum, poſterior autem ad Myſteria Divina pertinere videtur: etenim qui Principum arcana ipſis invitis rimantur, odium illorum certiſſimum incurrunt, & hinc vitam cervorum more timidam agunt, tandemque à propriis etiam ſervis ac domeſticis produntur, accuſantur atque ſubvertuntur. Qui verò temerario auſu mortalitatis parum memores per excelſa Philoſophiæ ac Naturæ faſtigia, tanquam arbore conſcenſâ, ad imperſcrutabilia Divini Numinis myſteria adſpirant, iis quoque pœna ſtatuta eſt perpetuæ inconſtantiæ, & judicii vacillantis atque perplexi, admodum hæſitantis, dubitantis, ac per opinionum varietates divagantis.

Divinorum operum ſecreta, vel in rebus extra intellectum poſitis, vel in ipſo intellectu conſiſtunt. Hæc, ipſâ contemplatione perficiuntur. Illa verò quidpiam efficiendo, quod miraculorum inſtar eſſe poſſit. Quæ ſuum actione finem aſſequuntur, ex certis claſſibus diſtincta, ſuo loco pòſt exponemus, & nunc ea, quæ ſubtili meditatione fovet intellectus, arcana veritatis aggrediemur. Philoſophos olim novimus, non in id ſolùm intentos fuiſſe, ut rerum naturalium vires expiſcarentur, ſed ut veritatem in eis agnoſcerent, cauſis videlicet earum intellectis. Ariſtotelis opera ferunt Alexandrum Regem ſecretorum loco non revelandorum habuiſſe. Tanta nempe fuit Philoſophiæ dignitas, ut intellectûs vires naturæ miraculis nequaquam poſtponerentur. Quamobrem ſi quæ ſcripſit Ariſtoteles, ideò cenſeantur, quòd ea pauciſſimis

ciſſimis nota fuerint, hæc certè meritò ſecreta dicentur, quæ ſunt à recentioribus inventa ſubtiliſſimè. Conſtat enim Ariſtotelem quantâ modò fuerit ſubtilitate philoſophatus, à veritate tamen aberrâſſe. Subtilia verò mendacia, perinde ſecretis annumeranda ſunt. Atqui ſi dicas, Angelicæ radicem collo appenſam ſecretum eſſe, ut quis angelorum inſtar inviſibilis reddatur. Multa nobis equidem revelata ſunt divinitùs, quæ ſacra ſecreta nominantur, utpote quibus ſalutem conſequamur: verùm de iis paulò pòſt agemus, quòd ea non omnibus ſint notiſſima Chriſtianis & Theologis. Itaque primùm ea nobis exponenda ſunt, quæ cùm omnibus ferè Philoſophis & Theologis ratione ſcrutari non poſſe videantur, ſubtili tamen mentis diſcurſu eruta patefaciemus: poſtea quæ ex Rabbinis antiquis ſumta ſunt.

De Homine.

CAP. II.

HOMINEM duabus conſtitui partibus, animâ nimirum & corpore, ſatis ex ejus actionibus liquet. Hoc, cùm omnibus ipſo etiam ſenſu cognitum ſit, ſecretum quidem non eſt: ex notis tamen ea, quæ latent, inveſtigantur. Efficiens autem hominis cauſa eſt pater, & mater, naturâ mediante: nam utriuſque parentis ſemen ita conſtitutum eſſe oportet, ut ſubſtantiâ, quantitate, qualitate, loco, & cæteris circumſtantiis humanum, hoc eſt, animalem & naturalem effectum producere poſſit. Primùm ergo quæritur, an præter haſce cauſas, animum nimirum & naturam parentis utriuſque, nulla ſit alia, cui ortus generis humani adſcribatur? Hic veterum Philoſophorum ſententias expendamus. Quo nunc modo generantur homines, eo modo ſemper generati ſunt. Hæc veterum eſt Philoſophia, quæ noſtræ fidei repugnat. Rationis autem non fidei ſecretum expoſtulas; Hoc habeto. Si generis humani ſemper idem ortus fuit, qui nunc eſt, tum præter patrem & matrem, nulla eſt alia efficiens hominis cauſa: Cur ergo primam rerum cauſam excogitârunt Philoſophi? Si rerum viciſſitudo & propagatio ſemper eadem quæ nunc extitit, nulla eſt præter hominem & naturam efficiens cauſa admittenda, cùm rerum propagatio planè ſit humana, vel naturalis. Dein ſi ſpecies humana ſemper eundem ortum habuit, quem nunc habet, dum

filius à patre generatur, in infinitum uſque generis humani procreatio extenditur ; quod abſurdiſſimum eſſe rationibus hiſce demonſtrari poteſt. Conſtat metaphyſico rectè philoſophantium axiomate, *Nihil quod prius & posterius, magis & minùs ſuſcipit, infinitum eſſe.* Verùm generis humani propagatio prius & poſterius ſuſcipit, cùm pater filio prior exiſtat. Præterea novimus, humanam ſpeciem in individuis conſiſtere, nec æternam eſſe poſſe ſpeciem, cujus æterna non ſunt individua. Cùm ergo nullus homo fuerit ab æterno, quî potuit humana ſpecies ab æterno fuiſſe? At ſi non fuerit ab æterno ſpecies humana, certè nec ejuſdem propagatio ad æternum aut infinitum uſque deducenda eſt. Nullum autem hominem ab æterno fuiſſe, liquet hinc, quòd omnes mortui ſint, nec ullus eorum ſuperſit, qui ante ducentos annos vixerunt. Itaque ſi moriuntur omnes, cœpiſſe conſequitur omnes, ut nullus ab æterno fuerit: ſi quis enim ab æterno fuiſſet, idem in æternum uſque neceſſariò permanſiſſet, cùm interitus in æterna non cadat. Porrò generis humani propagationem aliquando cœpiſſe, patet hinc etiam, quòd in tempore fiat: nam quicquid fit in tempore, principium obtinet neceſſariò. Generis autem humani propagationem nunc in tempore fieri, nemo ratione præditus negabit. Et ſemper in tempore factam eſſe hoc pacto convincitur, quòd eadem, quæ nunc eſt, hactenus fuerit ratio propagationis, ut Philoſophi veteres confitentur. Adhæc omnes homines ita facti ſunt, ut antequam generarentur, non exiſterent. Cùm itaque omnes homines cœperint aliquando, certè generis humani propagationem, principium habuiſſe conſequitur. *Nic. Taurellus.*

Homo quoniam pulcherrimum, abſolutiſſimumque Dei opus eſt & imago, & minor mundus, ideoque etiam perfectione, compoſitione ac ſuaviore harmonia, ſublimiorique dignitate omnes numeros, menſuras, pondera, motus & elementa, cœteraque omnia illum componentia, in ſe continet ac ſuſtinet, omniaque in eo velut in ſupremo artificio, ſupremam quandam ſortem ultra communem conſonantiam, quam habent in aliis compoſitis, conſequuntur, hinc antiqui omnes, digitis olim numerabant, & digitis numeros indicabant, ex ipſiſque humani corporis articulis, omnes numeros, menſuras, proportiones ac harmonias inventas fuiſſe, probare viſi ſunt.

ſunt. Unde ad hanc corporis commenſurationem, templa, ædes, domos, theatra, inſuper & navigia, & machinas, & quodcunque artificii genus, & artificiorum ædificiorumque quæcunque ſunt partes & membra, puta columnas, epiſtylia, baſes, antes, ſtilobates, & hujuſmodi cœtera omnia partiuntur, atque ex humano corpore deducunt. Quin & ipſe Deus docuit Noë fabricare arcam ad humani corporis menſuram, ut qui ipſe totam mundi machinam humano corpori ſymmetram fabricavit; unde ille magnus, hic verò minor mundus nuncupatur. Hinc microcoſmologi nonnulli humanum corpus per ſex pedes, pedem verò per 10. gradus, & gradum quemque per minutias quinque metiuntur: unde numerantur 60. gradus, qui faciunt minutias 300. quibus æquiparantur totidem cubi geometrici, quibus deſcripta eſt arca à Moſe: ſicut enim corpus humanum eſt in longitudine 300. minutorum, in latitudine 50. in altitudine 30. ſic & longitudo arcæ fuit cubitorum trecentorum, latitudo quinquaginta, altitudo triginta, ut ſit utrobique longitudinis ad latitudinem ſuperpartiens duas tertias. *Henr. Corn. Agrippa de Occult. Philoſ. Lib. 2. cap. 27.*

Quomodo cœperit humanum genus.

CAP. III.

CUM cœperit aliquando generis humani propagatio, primos parentes admittere cogimur, qui filios quidem poſteros habuerint, ſed non fuerint aliorum parentum filii. Sic enim progreſſus in infinitum uſque fieret, quem præcedenti capite confutavimus. Jam verò de primis parentibus quæri poterit, an etiam facti ſint, vel ab æterno fuerint. Factos eſſe fatendum eſt, cùm interierint, & omnium hominum natura ſit eadem, quod rebus factis, & non factis adſcribi nequit. Quomodo facti ſunt igitur, ſi non eodem, quo nos modo, facti ſint? Nec humano certè modo, neque naturali: quo fit, ut nec hominem, nec naturam primorum parentum cauſas efficientes fuiſſe confiteamur. Humano quidem modo factos non eſſe demonſtravimus antea: ſic enim primi parentes non fuiſſent, ſi parentum aliorum filii fuiſſent. At verò neque naturali modo procreatos eſſe convincitur hac ratione, quòd ea ſaltem fieri dicantur naturaliter, quæ fiunt ex commoda præexiſtente materia, hoc eſt, quæ potentiam ob-

tineant formæ ſuſcipiendæ idoneam : hominibus autem nondum exiſtentibus , nulla talis materia fuit, ex qua homines procreari poſſent naturaliter, hoc eſt, ob potentiam ei materiæ inſitam. Quamobrem rectè ſtatuimus, primos homines à principio quodam hominibus, & naturâ priore factos eſſe, modo nec humano nec naturali, ſed miraculoſo. *Nic. Taurellus.*

Hominis creatio autem mirifica eſt, cùm enim ſummus ille Mundi Artifex, orbe jam condito, hominem producere cogitaret, regemque Univerſi & ſuum ſibi legatum inſtituere, divino concilio accito ſanctiſſimæ atque auguſtiſſimæ Triadis , Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram , qui præſit reliquis creaturis , ex cap. 1. Geneſeos recognoſcendis. Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ : & factus eſt homo in animam viventem, ait ibid. cap. 2. Quater autem meminit hujus creationis hominis, ut intelligamus perfectionem creationis ejus, ut Hebræi notant interpretes. Quæ fortè cùm legiſſet Algazel Saracenus, æmulatus intulit. Ad compoſitionem hominis veniens natura ceſſavit, tanquam nihil honoratius componendum præ manibus haberet. Ex quo Sapientes quidam nomen Adam penitiùs ſpeculati, *cabaliſticâ vocis interpretatione*, intulerunt, per Aleph, divinitatem : per Daleth, cœleſtem naturam: per Mem denique (quibus tribus figurativis & radicalibus literis hoc nomen conſtat, & linguæ primigeniæ elementis componitur) corpus hoc corruptibile deſignari, quòd ſit homo trium iſtorum jam inde ab ortu primo præcipuè particeps. *Nicol. Nancelius, Analogiæ Microcoſmi ad Macrocoſm. Proœm. pag.* 11.

Deum homines feciſſe duos.

CAP. IV.

EXISTIMET fortaſſe quiſpiam, primos parentes à principio quodam factos eſſe, quod inter primam cauſam & naturam ſit intermedium, quales ſtatui poſſint angeli, vel aliæ mentes à materia liberæ. Sed hoc falſum eſſe patet hinc, quòd præter primam rerum cauſam, nulla producere poſſit opus à ſua ipſius ſubſtantia diverſum. Præterea proprius angelorum & mentium effectus

ctus eſt intelligentia, quæ nihil per ſe ſubſiſtens efficit. Deus ergò, prima videlicet rerum omnium cauſa, primos fecit homines, & tot quidem, quot ad humanæ ſpeciei propagationem ſufficerent. Mas autem unus, & una fœmina ſatis erant, ut duobus hominibus plures à Deo non eſſe factos rationi ſit conſentaneum. At verò non plures feciſſe Deum homines, quàm qui ſufficerent ad humani generis propagationem, hinc manifeſtum evadit, quòd Deus homines ex ſeipſis fieri vellet, ut poſtea docebimus. Hoc ipſum ex eo facilè conſpicitur, quòd Deus (ut in ſacris Bibliis legitur) Evam non ex terræ limo, velut Adamum, ſed ex ipſius Adami coſtâ procreare voluerit: nimirum ut omnium hominum exortus ad unam unius hominis ſcaturiginem deduceretur. *Nic. Taurellus.*

Cur Deus homines fecerit.

CAP. V.

FECIT igitur Deus primos homines: verùm & id in dubium poni poterit, an corpora quidem fecerit; animæ verò priùs extiterint? Itaque ſtatuendum hoc eſt, nec primorum parentum, nec noſtras animas priùs extitiſſe, quàm corpora fuerint: nam præter Deum nihil ab æterno fuiſſe, & factum eſſe aliquando quicquid præter eundem exiſtit, ſuo loco demonſtrabitur. Animas autem non priùs quàm corpora factas eſſe, tum oſtendemus, ubi de hac vita diſputabitur, an fuerit ante hanc alia, aut alia poſt hanc ſit futura? Cæterùm ex humanis facultatibus fines inveſtigari licet, ob quos homines Deus fecerit. Ad hujus vitæ ſuſtentationem vires habemus vitales, animales, & naturales, quibus & vivamus, nutriamur, & noſtram ſpeciem propagemus. Cordis vigorem habemus, ut Deum amemus, nobis ſanguine junctos, & proximum quemque. Intellectum habemus, ut Deum & ejus opera contemplemur. Voluntatem, ut ſuum unicuique attribuamus, & Deo obediamus. *Idem.*

Sicuti Deus mundum propter hominem machinatus eſt, ita ipſum hominem propter ſe, tanquam divini templi antiſtitem ſpectatorem operum rerumque cœleſtium; ſolus eſt enim, qui ſentiens, capaxque rationis, intelligere poſſit Deum, qui opera ejus admirari, virtutem, poteſtatemque perſpicere: iccirco enim conſilio, mente,

prudentiâ inſtructus eſt: ideo ſolus præter cœteras animantes rectus corpore ac ſtatu factus eſt, ut ad contemplationem parentis ſui excitatus eſſe videatur: ideo ſermonem ſolus accepit, ac linguam cogitationis interpretem, ut enarrare majeſtatem Domini ſui poſſit: poſtremò iccirco ei cuncta ſubjecta ſunt, ut factori atque artifici Deo eſſet ipſe ſubjectus. *Nic. Nancelius Analog. Microc. ad Macrocoſm. p.* 2122.

In omni penè dixerim elemento unus homo velut rex aliquis cœteris animantibus imperat, earumque vel ſervitio utitur, vel eaſdem ipſas edules & tergoribus pellibuſque aut lanis veſtitas ad cibum & veſtitum ſibi aptat & accommodat, unde Cicero 2. de Naturâ Deor. Terrenorum commodorum omnis eſt in homine dominatus, nos campis, nos montibus fruimur: noſtri ſunt amnes, noſtri lacus: nos fruges ſerimus, nos arbores: nos aquarum inductionibus terris fœcunditatem damus: nos flumina arcemus, dirigimus, avertimus, noſtris denique manibus in rerum naturâ quaſi alteram naturam efficere conamur. *N. Nancelius libr. cit. p.* 2070.

An ſint homines facti alicujus ſaltem temporis cauſâ, vel ut in æternum viverent?

CAP. VI.

DEUS, cùm bonus ſit perfectiſſimè, omnia fecit optimè: Homines ergo fecit, non ut aliquando perirent, ſed ut in æternum perſiſterent. Quod enim bonum eſt (ut ſunt omnia Dei opera) id permanere melius eſt, quàm corrumpi. Licèt autem peccato depravata ſit humana ſpecies, ipſa tamen hominis ſubſtantia per ſe bona eſt, & bonæ ſunt ejuſdem facultates, & actiones per ſe conſideratæ. Virtus inculpata felicitatem poſtulat æternam. Poſcit ergo peccatum æternam miſeriam. Ut autem miſeri ſint homines, qui peccârunt, eoſdem oportet ſupereſſe, non interire, cùm, quod non exiſtit, miſerum dici non debeat. Cæterùm quòd ex operibus Dei aliqua ſint aliquando interitura, demonſtrabimus idem de hominibus dici non poſſe, cùm mundum oſtendemus eſſe periturum.

Nic. Taurellus.

Fece-

Feceritne Deus homines, ut felicitatem neceſſariò conſequerentur?

CAP. VII.

DEUS certè, quòd bonus ſit, perfectiſſimè homines fecit, ut æternâ fruerentur felicitate. Vires itaque indidit, quibus hanc ipſam conſequerentur. Intellectum dedit, ut Deum agnoſcerent, & quid ſibi faciendum eſſet, intelligerent, quidque vitandum. Voluntatem fecit liberam, ut virtutes amplecterentur liberrimè, atque adeò Deum jure laudandum, ſua ſponte, non coacti laudarent. In hac juſtitia ſi permanerent homines, Dei conſilium & voluntas erat, ut æternam conſequerentur felicitatem: ſin ab ea recederent, in æternum quidem perſiſterent, eâ tamen felicitate deſtituerentur. Cùm itaque peccatum ſit ab omnibus, non eſt, ut quiſquam ſperet, ſe felicitatem eſſe conſequuturum. *Idem.*

An ſit poſt hanc vitam alia futura?

CAP. VIII.

QUOD priùs homines oſtenderimus à Deo factos eſſe, ut in æternum viverent, dubium non eſt, quin poſt hanc vitam alia ſit. Animas equidem Philoſophi ſtatuerunt in æternum eſſe victuras, ſed ſine corporibus, cùm hæc interire viderent. Verùm quòd corpus ſubſtantialiter ſit hominis pars, ſine qua homo dici non poteſt, humanam vitam ſolis animabus tribuendam eſſe negamus. Hinc eos errare ſtatuimus, qui hominum animas, antequam corpora naſcerentur, fuiſſe cenſuerunt. Sic enim ſunt ambæ partes factæ, ut nec corpus ſine anima vivere poſſit, nec anima ſine corpore ſuas probè actiones exercere, quod ſequentia magis illuſtrabunt. *Idem.*

Reſurrectura eſſe corpora.

CAP. IX.

CORPORA intereunt: Ergo ſi poſt hanc vitam victuri ſint homines, ſolis animabus vivent. Hæc fuit veterum Philoſophia: ſenſus enim ſuperare non potuerunt. At nos conſequentiam negamus: poſſet enim Deus animabus ſua reſtituere corpora, quod planum fiet, ubi primæ cauſæ omnipotentiam demonſtrabimus. An velit igitur Deus corpora ſuſcitare, quærendum fuerat

philoſophantibus: ex prima hominum generatione res hæc eluceſcet. Quærimus itaque, cùm Deus omnia fecerit optimè, cur homines ex corporibus & animabus conſtituerit, ſi melius foret, animas ſine corporibus vivere? Melius eſſe negamus: ſed homines imperfectos eſſe ſtatuimus, ſi alterutrâ ſui parte deſtituantur. Quòd autem nugantur Philoſophi; materiam vim mentis impedire corporis vitio, id non corpori per ſe tribuendum eſſe dicimus. Nam niſi ſucceſſiſſet peccatum, corpora mentis vim nequaquam impediviſſent. Verùm quærent ipſi quoque Philoſophi, cur intereant corpora, ſi facta ſint, ut cum animabus in æternum viverent? Reſpondemus, ut quæ ſunt in eis corruptibilia, morte ſeponantur: hæc enim corpora ob multas naturæ imbecillitates in æternum perſiſtere non poſſunt. At potuiſſet (inquient) Deus hoc ipſum exequi ſine omnimoda corporis corruptione. Verum eſt: ſed mortem ad hoc elegit, ut peccati pœnam. Urgebunt ulteriùs: Sit ergo hæc peccati pœna, ut homines ſuis corporibus in æternum deſtituantur. Paucis ita reſpondemus: Homines poſt hanc vitam, aut felicitatem conſequentur, aut miſeriam. Felicitatem conſequi non poſſunt, niſi eis peccata remittantur: ſi remittantur peccata, hæc quoque peccatorum pœna remittetur: atque ita ſua rurſum corpora conſequentur: ſin autem miſeri futuri ſint in æternum, corpora quoque conſequentur, ut cùm toti peccaverint, toti quoque non unâ ſolùm ſui parte, miſeriam ferant. Sed ex ſequenti quæſtione patebit evidentiùs, corpora poſt hanc vitam eſſe ſuperfutura. *Nicolaus Taurellus.*

Ut in eodem agro multæ ac diſcrepantes proveniunt ſementes, & ſtirpes ex diverſis coalitæ ſeminibus planè diſſimilibus, eadem aut diverſâ manu in terram projectis, huc illuc variè ſparſis, & terræ gremio exceptis; quorum unumquodque in ſuo genere plantam ſibi congenerem excitavit, neque de pluribus confuſa ſtirps una adolevit, ſed ſingula ſemina ſingulas ſtirpes produxerunt. Sic mandata humi diverſa hominum innumerorum corpora, velut diſtincta ſemina ſuum ſibi corpus unumquodque in die magni judicii de integro novum excitabunt, non hoc quidem ab illo, ut de ſeminibus dicebam, aut illud ab hoc enaſcendum: ubi ſemel tuba Archangeli inſonuerit, & horriſona vox Dei intonuerit, ut Hieronymo,

ſic

ſic bonis & piis omnibus pertimeſcenda, ſurgite mortui & venite ad judicium. Tunc enim vel in momento temporis omnes diſſoluti corporis reliquiæ colligentur, aptabuntur mutuò, concreſcent, reviviſcent, atque animâ ſubeunte in novam vitam, eamque glorioſam beatis, reprobis autem ærumnoſam ingredientur. Non ſi corpora flammis olim concremata fuerint, non ſi cinis crematorum in torrentem projectus ſit, non ſi multa ante ſecula humi repoſta corpora computruerint, inque pulverem redacta ſint, non ſi aquis ſubmerſa ſubſederint, non ſi ſublimè pependerint, non ſi piſcibus, feris, aut volucribus cœli eſca fuerint, utique iſtorum reliquiæ ad juſſus Omnipotentis Dei non colligentur, ſimulque aggeſtæ & compoſitæ, ad ea corpora, à quibus quondam ſingulæ per minutiſſimas partes avulſæ & ſejunctæ fuerant, integranda & renovanda revertentur. Huc enim pertinere videtur, quod ſcribit Joannes in Apocalypſi, cap. 20. Et dedit mare mortuos, qui in eo erant, & mors & infernus dederunt mortuos ſuos, qui in ipſis erant. *Nicol. Nancelius Analog. Microcoſm. ad Macrocoſm. pag.* 2178.

Hanc vitam aliquando ceſſaturam eſſe.

CAP. X.

HUJUS vitæ finis primus & præcipuus eſt, quod ex totius mundi actionibus colligitur, ut ſpecies humana propagetur, atque adeò poſt hanc vitam homines plurimi ſuperſint: Philoſophi rerum cauſas ita inveſtigârunt, ut hujus vitæ finem non intellexerint. Animas enim non exiſtimârunt in hoc mundo naſci, & corpora poſt hanc vitam ſuperfutura eſſe negârunt: ut ex eorum decretis intelligi non poſſit, ad quid hæc modò vita proſit. Siquidem hominum propagationem ita admiſerunt, ut ſola corpora, non autem animæ (quas, priuſquam corpora eſſent, extitiſſe indicârunt) in hoc mundo propagentur. Cùm itaque vita hæc animarum cauſa non ſit, & corpora (ut ajunt) non ſint extra vitam, non video, quid Deum moverit, ut hanc vitam conſtitueret. Aliter igitur nobis philoſophandum eſt. Fecit Deus hunc mundum, ut in eo genus humanum propagaretur: humana autem ſpecies non eſt ſolo corpore, vel animâ, ſed

ſed utroque definienda, ut Philoſophi & Theologorūm nonnulli hanc propagationem malè ſolis corporibus attribuunt. Cùm itaque Deus hunc mundum humani generis cauſâ fecerit, ut hoc in eo propagaretur, certè ſi ceſſet humani generis propagatio, mundus hic atque adeò vita hæc ceſſatura eſt. Fruſtra namque cœlorum motus, & totius naturæ viciſſitudo eſſet, ſi nulli naſcerentur homines. Verùm ceſſaturam eſſe generis humani propagationem ita demonſtratur. *N. Taurellus.*

Generis humani propagationem eſſe ceſſaturam.

CAP. XI.

HUMANUM genus cœpiſſe ſuprà demonſtravimus, ut hoc ſufficiens ſit Philoſophis argumentum, ejuſdem quoque generis propagationem eſſe ceſſaturam: nolumus tamen falſis vincere rationibus, cùm adſit ipſius robur veritatis. Novimus enim quod ceu veriſſimum aſſerunt Philoſophi, falſiſſimum eſſe, finem videlicet habere neceſſariò quod principium habuit, ut ſuo loco docebimus. Sic itaque philoſophemur: Omnium hominum eadem eſt natura, & finis idem, ut quotquot modò naſcentur homines, poſtquam nati fuerint, victuri ſint: naſcimur enim ut pòſt vivamus. Quoniam ergo nihil in æternum extenditur, quod poſterius aliquid ponitur, naſci deſinent homines, ut omnes pòſt vivere poſſint. Hoc itaque manifeſtiùs exponi poteſt. Lineam ducas ab *A* ad *F* quæ tribus punctis :. terminetur: eodem modo procedas quouſque libuerit

A *F* *L* *R*

——— ——— ——— ——— ——— ——— ——— &.

:. :. :. :. :. :. :.

Linea hominum nativitates indicet, puncta verò eorundem vitam. Quòd puncta ulteriùs extendantur, quàm lineæ, fieri non poſſe patet, ut linea hæc ex multis partibus conſtituta infinita ſit, cùm aliquid poſt ſe habeat, quod ulteriùs extenditur. Eâdem ratione confutaberis, ſi dicas, hominum nativitates in infinitum uſque extendi: cùm enim omnes noſtri poſteri, poſtquam nati fuerint, victuri ſint, & pòſt etiam morituri, hominum certè nativitas in infinitum produci nequit. Nam ſi dicas ipſum naſci, infinitum eſſe, dicam ipſum vivere, & ipſum quo-

que

que mori, magis infinitum esse, quòd vita longiùs extendatur, quàm nativitas; & mors quàm vita ulteriùs. Cùm itaque nihil sit infinitum tempore, quo ponitur aliquid posterius, hominum nativitates tempore infinitas esse negamus, quòd eas omnes & vita & mors consequantur. Hunc nobis nodum veteres vel veterum sectatores explicent. *Idem.*

Homines non sine corporibus in æternum esse victuros.

CAP. XII.

HÆC vita suum extra se finem habet, in alia nimirum vita, in qua genus humanum vivet modò, non autem propagabitur ampliùs. Hæc enim vita eo fine constituta est, ut in ea certa hominum multitudo generetur. Hæc autem hominum multitudo generatur, ut in æternum vivat. Cùm itaque hominum generatio suum extra se finem habeat, in vita nimirum, certè hæc vita alterius vitæ causâ existit. Novimus id frustrà esse, quod suum finem non assequitur, & id frustrà esse novimus, cujus finis frustrà est. Hujus vitæ finis est hominum generatio, generationis autem æterna vita finis existit. Quamobrem si quod generatum est, hoc suo fine destituatur, frustrà generatum esse dicimus: si frustrà generatum sit, id quoque frustrà fuisse concludimus, quod fuit eo fine, ut id generaretur. An non patet igitur hanc vitam frustrà esse, si quod ejus est proprium opus, hominum videlicet, vel (ut veteribus in hoc assentiamur) corporum certa multitudo, suum finem, hoc est, æternam vitam non consequatur? Absit autem, ut Deum aliquid frustrà feciſſe statuamus. *Idem.*

Cur Deus voluerit homines ex hominibus propagari.

CAP. XIII.

VOLUIT Deus certam hominum multitudinem habere, quam suæ quodammodo felicitatis participem faceret. Hanc ut consequeretur, mundum hunc fecit, hancque vitam constituit. Verùm mirari quis possit, cur hæc media fecerit, cùm æque facilè tot homines facere potuerit, atque mundum. Omnia nempe fecit Deus optimè: ut major esset hominum felicitas, eos amore mutuo conjungi voluit: ut autem amor is eò major esset, eos ex

ſeſe propagari voluit. Notum eſt, quantum ſanguinis conjunctio valeat, & ſtorgæ naturales vehementiſſimi ſunt amoris impetus. Hæc eſt humana ſocietas hoc amore conjungenda, ut pater filios, & filii patres agnoſcant. Hæc autem ſocietas ſine corporibus conſiſtere nequit, quocirca futurum eſſe credimus, ut corpora ſuſcitet Deus, quibus homines ſeſe invicem agnoſcere poſſint. *Idem.*

DE DEO.

Deum eſſe.

CAP. XIV.

HOMINIS fines varii ſunt, ut ſuprà ex ejuſdem actionibus oſtenſum eſt. Eorum autem aliqui hujus vitæ proprii ſunt, quibus nimirum in hac vita ſuſtentamur, & ſpeciem noſtram propagamus in poſteros. Aliqui verò duces ſunt, quibus ad aliam vitam dirigimur: ut eſt Dei & ejus operum contemplatio, & in voluntate juſtitia. De contemplatione primùm agemus, pòſt virtutes exponemus, quibus felicitatem conſequimur. An ſit Deus dubitandum equidem non eſt: ut tamen intellectus in hoc ipſo magis confirmetur, Deum eſſe, ſubtili ratione demonſtrabimus.

Cauſarum ordo finitus eſt: habet ergo primam aliquam, cujus effectus ſint inferiores cauſæ: nullius verò effectus exiſtat, & poſtremam aliquam, quæ ſuperiorum effectus ſit, & nullius cauſa. Sin verò neges, finitum eſſe cauſarum ordinem, ſed aſcendendo & deſcendendo in infinitum uſque progredi poſſe, nec tamen primam, nec ultimam inveniri, tum hoc conſequetur abſurdum, id quod penitus non eſt, alterius cauſam eſſe poſſe, & quod infinitè exiſtit, aliquo minùs exiſtere. Cùm enim cauſa ſuo effectu potior ſit, hoc eſt, magis exiſtat, cauſæ, quæ in infinitum diſtant ab inferioribus, infinitè potiores exiſtent: hoc eſt, infinitè magis, & inferiores iiſdem infinitè minùs exiſtent: Cumque omnes cauſæ & ſuperiores habeant cauſas, & effectus inferiores, ſequetur, id quod omnia eſt infinitè nimirum exiſtens, alicujus effectum eſſe, & eodem minùs exiſtere. Quodque nihil eſt infinitè minùs exiſtens, alterius eſſe cauſam. *Idem.*

Dei exiſtentia non tantùm ex Sacrâ Scripturâ, ſed & ex ipſâ rerum creatarum naturâ demonſtrari poteſt. Sic enim

enim 1. Exiſtentia mentis humanæ Dei exiſtentiam infallibiter præſupponit, & à poſteriori demonſtrat: nam cùm humana mens propriæ exiſtentiæ ejuſque continuatæ certiſſimè conſcia ſit, multaſque & egregias noſcat perfectiones, quas ipſa tamen non habet, non poteſt certè illa à ſe ipſâ eſſe, adeoque nec ſe ipſam conſervare: ergo ab aliâ cauſâ præexiſtente erit & conſervabitur, & quidem tali, quæ ſit à ſe ipſâ, nec opus habeat conſervari ab aliâ, qualis non eſt niſi Deus. 2. Materiæ exiſtentia indubitatò ſimul Dei exiſtentiam probat & infert, cùm enim materia in compoſitis quibuſcunque conſpicua, non ſit à ſe ipſâ, nec vel ab ullo corpore particulari, vel ab univerſa naturâ, quâ prior exiſtit, proveniat, ſicque ex nihilo neceſſariò producta fuerit, palam erit, factum id eſſe vi voluntatis efficaciæ infinitæ, & proin exiſtentiam materiæ arguere infallibiter exiſtentiam talis potentiſſimæ voluntatis, nimirum Dei. 3. Dei exiſtentia ex materialibus corporum naturalium formis evidenter elucet, cùm enim formarum talium varietas motui partium materiæ debeatur, & verò materia ex ſe nulla moveri queat, conſequens erit, Motorem quendam primum, eumque Omnipotentem, qui motum illum dederit, qui formarum infinitas varietates, mutationes, generationes atque corruptiones per eundem motum inſtituerit, exiſtere, nempe Deum. 4. Porrò Dei exiſtentiam fabricæ artificialium corporum evidenter probant, dependent enim hæ à voluntate hominum mediantibus inſtrumentis agente, & verò ipſa hominum voluntas infinitè variat, intervenientibus quamplurimis motibus, quos ipſa voluntas regere, mutareque neſciat, concluditur, motorem adhuc alium, illumque immenſum, nullæ ſubſtantiæ alligatum, infinitè potentem exiſtere, ſcil. Deum. 5. Dei exiſtentia ex innumeris Machinæ hujus mundanæ uſibus certa quoque redditur; cùm enim totus mundus, & ſingulæ ejus partes lumine, calore, mechaniſmo paſſim obvio, motu, mutationibus & viciſſitudinibus in orbem euntibus &c. in certos uſus conſtantiſſimè ſemper dirigantur, jam autem partes Mundi ſaltem materiales, ceu conſilii ac providentiæ expertes, tales ſibi fines præfigere haud potuerint, eo ipſo ſui Opificem omniſapientem Deum indubiè exiſtentem arguunt. 6. Dei exiſtentiam Oeconomia

mia animalis, & quidem humani corporis fabrica incomparabilis ad oculum quaſi oſtendit. 7. Animæ inſuper rationalis unio cum corpore organico, citra comprehenſibile quoddam vinculum, indeque reſultantes miræ corporis actiones Dei exiſtentiam clariſſimè probant. Imò 8. Univerſa Natura operans mirâ varietate, dum ex ſe tales operationes ſuſcipere impotens eſt, arguit manifeſtè immenſam potentiam aliùs Motoris, adeoque Dei exiſtentiam. Quam adhuc clariùs demonſtrare videtur duratio rerum continuata, quæ non niſi Infinitæ potentiæ alicujus cauſæ immenſæ abſcribi poteſt. Hæc ex *Renato de Cartes, ejuſque Affectis.*

Quid ſit Deus.

CAP. XV.

EX præcedentibus patet, in cauſarum ordine primam aliquam eſſe admittendam, cujus hanc eſſe proprietatem vox Prima demonſtrat, ut rerum omnium cauſa ſit: (hoc namque cauſarum ordine omnia continentur: & unus non plures ſunt, ut paulò pòſt patebit, cauſarum ordines) ipſa verò nullius ſit effectus. Hanc veteres Deum nominârunt. Cùm itaque Deus eis definiendus eſſet, non exiſtimârunt eum commodiùs poſſe definiri, quàm ſi dicerent, Deum primam eſſe rerum cauſam. Haud equidem negavero, quin hæc definitio ſoli Deo competat, ut rectè definitio cum re definita converti poſſit: hoc tamen à recentioribus quæſiero, qui veterum decreta mordicùs apprehenderunt, an hæc definitio ſoli Deo, & ſemper competat? Veteres hoc ipſum affirmaverint: recentiores verò nequaquam: fatentur enim Deum ab æterno fuiſſe, cùm nihil omninò præter eundem exiſteret. Rebus ergo non exiſtentibus, quomodo tum prima rerum cauſa dici potuit Deus? Sed aliâ ratione veteres confutandi ſunt: non enim Deum concedunt ab æterno ſolum fuiſſe. Relationis prædicamentum Logici inter accidentia numerârunt, & rectè quidem, quòd quicquid per ſe ſubſiſtit, eo ipſo quo eſt, ſibi non aliis exiſtat. Cùm itaque cauſam eſſe, ſub relationis prædicamento contineatur, certè conſequitur cauſæ nomen accidens eſſe rerum, quibus attribuitur. Ut ergo conſiſtet veterum ſubtilitas, qui ſolo accidente Deum definierunt?

Plu-

Pluribus apertè confutarentur, ſed errorem, ubi lateat, patefaciamus. In hac veterum deſcriptione, quia dixerunt, Deum primam eſſe rerum cauſam, duo ſunt diligenter obſervanda: vox enim prima Deum oſtendit à ſeipſo, non ab alio quopiam exiſtere. Hæc deſcriptionis pars, quid Deus per ſe ſit, indicat: alia verò, quâ dicitur rerum eſſe cauſa, quid ipſe per accidens exiſtat, oſtendit: hoc enim eſt non ſui ipſius ſolùm, ſed aliorum reſpectu. Quamobrem ſi Deus verè & ſimpliciter definiendus ſit, altera Deſcriptionis antiquæ pars amovenda eſt, ut nihil contineat præter ſimplicem Dei eſſentiam, quâ per ſe non aliorum reſpectu exiſtit: Deum itaque eſſentiam eſſe diceremns à ſeipſo exiſtentem: Αὐτόσιον Theologi Deum vocàrunt. Quòd ſi vox in abſtractum deduci poſſet, Deum unicâ voce definiremus optimè, dicentes videlicet, eum eſſe αὐτοσίαν: nihil enim genitum præter Deum exiſtit, cui vox iſta poſſit attribui, & Deo ſoli & ſemper competit, eaque complectitur omnia & ſola, quæ Deus per ſe, & ſuiipſius ſolius reſpectu eſſe dicitur. *Nicolaus Taurellus.*

Itaque *Deus* 1. eſt *æternus* & *immortalis*, quia neceſſariò eſt, nec unquam aut potuit, aut poteſt, aut poterit non eſſe. 2. Eſt *independens*, quia ſummè perfectus. 3. *Vivit vitam perfectiſſimam*, vivere enim eſt perfectio, & ipſe ſummè perfectus. 4. Eſt *liberrimum agens*, quia aliàs foret dependens ab eo, quod ipſi neceſſitatem agendi imponeret. 5. Eſt *altiſſimus*, ſive abſolutè ſummus maximuſve, quia majus altiuſque concipi nequit ipſo. 6. Eſt *ſimpliciſſimus*, & omnis compoſitionis expers, quia eſt independens. 7. Eſt *Spiritus*, & *materiæ expers*. 8. In eſſentiâ, exiſtentiâ, & cœteris omnibus rebus eſt *immutabilis*. 9. Eſt *omnipotens* & *omniſcius*, quia poſſe & ſcire ſunt perfectiones, ita ut in ſummè perfecto ſit ſummum ſcire, ſummum poſſe &c. 10. Eſt *ſapientiſſimus* in diſponendis aut dirigendis rebus omnibus. 11. Eſt *optimus*, & *ſanctiſſimus*, *juſtiſſimus*, ac *veraciſſimus*, fallere neſcius, quia vel minimus, bonitatis, juſtitiæ, ſanctitatis &c. defectus, aut fallendi alios voluntas, ejus perfectioni ſtatim repugnant. 12. Eſt *infinitus*, *immenſus*, *incomprehenſibilis*, *intenſivè* nimirum, eò quòd ejus partibus nihil addi poteſt; non *extenſivè* ad modum corporum. 13. Eſt *feliciſſimum* & *beatiſſimum* Ens, fruens eo omni, quod abſolutè boni perfectique aliquid involvit. *Metaphyſici.*

Unum eſſe Deum, non plures.

CAP. XVI.

EX hac definitione liquet, Deum infinitam eſſe, & omnipotentem eſſentiam: cùm enim à ſeipſo ſit, & nihil ſeipſum definiat, infinitus certè Deus eſt: cumque cauſam ſe ſuperiorem non habeat, è qua definiri potuerit, & omnia quæcunque ſunt, ſub ſe contineat, Omnipotens utique eſt: ſiquidem nihil in eum agere poteſt, ut ejus actiones impediat. Cùm itaque Deus ſubſtantia ſit infinita, infinitam quoque ad agendum potentiam obtinet: Verùm uno infinito plura ſtatui non poſſunt; Nam ſi duo vel plura ſint, ea vel planè non different, vel infinitè different. Si planè non differant, unum quid erunt: Nam quæ numero ſeparata ſunt, quodammodo differunt. Sin autem infinitè differant, ſimplex eis differentia competet, *eſſe & non eſſe*, atque ita unum ſimpliciter erit *omnia*, alterum ſimpliciter non erit, hoc eſt, meritò *nihilum* nominabitur. Unicum autem eſſe omnipotens neceſſariò hac ratione patet: Nam ſi duo ſint, poterit unum alterius actiones inhibere, vel non poterit: ſi poſſe ſtatuas, id certè omnipotens non erit, cujus impediri poſſunt actiones: ſin poſſe neges, hoc ipſo omnipotens eſſe negaveris. Quoniam ergo non niſi unum ſtatui poteſt infinitum, & unum omnipotens, rectè unam, non plures cauſas primas eſſe concludimus: cumque ſub hac cauſa quæcumque ſunt, omnia contineantur, unum quoque cauſarum ordinem non plures admittimus. Hic tamen ordo in multos inferiores extenditur, de quibus non eſt nunc ſcribendi locus. *Nic. Taurellus.*

Quòd Deus ſit trinus & unus.

CAP. XVII.

ID inter cætera recentiores Judæorum maximè nobis objiciunt. Quòd cùm Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum nos confiteri audiunt, tres Deos colere, pluralitatemque Deorum nos ponere ajunt. Quod profectò longè magis, quàm ipſi abhorremus. Eam ob rem Deum eſſe trinum & unum, ex Prophetarum dictis priſcorumque Talmudiſtarum teſtimoniis, primùm te probare oportet. GALATINVS. Unum quidem eſſe Deum ſubſtantiæ ac naturæ ſimplicitate, Chriſtiana credit religio. Tres verò

verò perſonas, quæ ſunt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, quarum proprietates ſunt paternitas, generatio atque proceſſio: non eſſentiâ, neque naturâ tres, ſed merè unum eſſe, confitetur. Deus igitur in perſonis quidem trinus eſt, in eſſentia verò unus. Deum autem unum eſſe, non opus eſt multis probare verbis, neque ad id probandum diutiùs immorari. Cùm ipſa Dei unitas ſit ita firmiſſima, ac tam fixa mentis conceptio, ut naturaliter eſſe non poſſit, niſi unus Deus. Et Judæi quoque, & quicunque legem credunt, hoc omnes fatentur, & clamitant. CAPNIO. Satis eſt igitur hic ſi circa divinæ trinitatis ſacramentum, per vetuſtorum Judæorum ſententias, juniorum refellatur error. GAL. In re tam ardua & perdifficili, priùs quidem eorum prorſus delendum eſt fundamentum, deinde verò expoſitionum, quibus ſacras pervertunt literas, falſitas improbanda. Ratio igitur ſuper quam hujuſce erroris jaciunt fundamentum, ea potiſſima eſt, quòd malè intelligant, ac falſò exponant illud Deuter. 6. cap. ſcriptum, Audi Iſraël, Deus, Deus noſter, Deus unus eſt. Quæ licèt verba ex ſe clara ſint, ob dictionem tamen unus, quæ ibi ponitur, Judæi noſtri ſeculi, mentis cæcitate perculſi, inde potiſſimùm erroris cauſam ſumunt, ut divinæ trinitatis myſterium negent, unde maximè ipſius notionem nanciſci deberent: Ex hoc enim ita Deum unum eſſe putant, ut ab eo perſonarum pluralitatem omninò excludant. HOGOSTRATVS. Hæc quidem verba ſecùs quàm tu tranſtuleris, textus noſter habet. Sic enim dicit: Audi Iſraël, Dominus Deus tuus, Deus unus eſt. GAL. Fateor quidem ita eſſe. Sic enim & Græcus, quem noſter in omnibus penè ſequitur, textus habet ἄκουε Ἰσραὴλ, Κύριος, ὁ Θεός σου, Κύριος εἷς ἐστίν. Sed clarum profectò eſt, Hebraicum textum longè meliùs, quàm noſter, ſive Græcus ſive Latinus exprimat, contra Hebræos ipſos veritatem exprimere. Ratio autem quare, ubi noſtra tàm Græca quàm Latina editio, hoc in loco Dominus habet, Deus, ego traduxi: ea quidem eſt, quòd ibidem Hebraicus textus habet nomen Dei illud tetragrammaton, quod Deum non per effectum, ſed per eſſentiam deſignat. Sed quoniam divina eſſentia ſecundùm proprium ejus eſſe, mente nullatenus excogitari poteſt, idcirco apud Judæos nefas eſſe cenſetur, nomen ipſum ore pronunciari, uti literæ ipſæ ſonant, ex quibus componitur. Quare

ubicunque hoc nomen comperiunt, illud haudquaquam proferre audent, ſed loco ejus hoc nomen Adonai proferunt, quod idem eſt, quod Dominus: literæ verò ipſius nominis non Dominum, ſed Deum per eſſentiam ſignificant. Autor igitur tam Græcæ quàm Latinæ editionis, nomen ipſum juxta prolationis ſignificatum tranſtulit, ſcripturæ verò ſignificatum, quod potius eſt, omiſit. Ego autem cui vel maximè cordi eſt, veritatem quam Judæi negant, per eorum ſcripturas patefacere, illud ſecundùm proprium ejus ſignificatum traduxi, ut Deum trinum & unum in ſupradictis verbis deſignari, clariùs oſtenderem. Neque enim aliam ob cauſam Moſes ille magnus ter Dei nomen ibi poſuit, niſi ut divinarum perſonarum trinitatem diſtinctè inſinuaret. In dictione autem unus, quam immediatè ſubjecit, innuit tres perſonas divinas, non tres Deos, ſed unum eſſe Deum. Hoc eſt (ut Damaſcenus ait) μία ὐσία, μία φύσις, μία θεότης. Id eſt, una eſſentia, una natura, una deitas. Quare perſonarum trinitas divinæ naturæ unitati nequaquam derogat. Quòd autem in eiſdem verbis per triplicatum Dei nomen tres divinæ deſignentur perſonæ, Pater videlicet, Filius, & Spiritus ſanctus, hoc Judæi minimè negare poſſunt, cùm R. Simeon Johai filius, in libro, qui Zoar dicitur, ſuper textum hoc ita dicat: Audi Iſraël, ait R. Ibba. Hic eſt ô Iſraël antiquus Deus, qui eſt principium omnium rerum, antiquus antiquorum, hortus radicum, & omnium rerum perfectio, & dicitur pater, Elohenu, id eſt, Deus noſter, profunditas fluminum, & fons ſcientiarum, quæ procedunt ab illo Patre, & Filius vocatur Deus: hic eſt Spiritus ſanctus, qui à duobus procedit, & vocatur menſura vocis. Unus eſt, ut unum cum alio concludat, & colliget. Neque enim alius ab alio dividi poteſt. Et propterea ait Schema, id eſt, congrega Iſraël hunc Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, eumque fac unam eſſentiam, unamque ſubſtantiam, quia quicquid eſt in uno, eſt in alio. Totus fuit, & totus eſt, totusque erit. Hæc ille. Ait etiam ibi idem R. Simeon: Hoc arcanum filii non revelabitur unicuique, quouſque venerit Meſſias. Quia tunc (ut dicit Eſajas) repleta erit terra ſcientiâ Dei, ſicut aquæ mare operientes. Hæc ille. Multi etiam alii per nomen Dei ter in eodem textu poſitum, ipſam divinarum perſonarum trinitatem ſignificari voluerunt; ſed quia tantum myſterium à ſolo Meſſia reve-

revelandum erat, illud explicare ſibi non licere dixerunt. Ut per R. Menahem Rakenad in libro Zochar ſuper eodem Deuteronomii textu, liquidò patet. Quamobrem Talmudiſtæ non ita expreſſè de myſterio trinitatis locuti ſunt, ſicut Cabaliſtæ: qui non ſolùm ſuper eundem textum, ſed etiam multis aliis in locis, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum explicitè proferunt. CAP. Cur Deus in vetere inſtrumento non ita explicitè trinitatis myſterium tradi voluit, ſicut illud in futurum per Meſſiam revelandum reſervavit? GAL. Judæorum populus (ut te ſcire non dubito) maximè ad idololatriam pronus erat, ad quam evitandam, univerſa lex vetus illa condita fuit. Ne igitur in eorum, qui plures Deos colebant, errorem inciderent, cautè à divina providentia factum eſt, ut ipſum divinæ trinitatis arcanum non explicitè eis traderetur. Sed quoniam idololatria per Meſſiam penitus explodenda erat, univerſuſque orbis ad unius Dei cultum reducendus: idcirco ſacramentum illud trinitatis explicitè atque apertè revelandum, ad dies Meſſiæ reſervatum fuit. Quod omnis quoque Cabaliſtarum ſchola planè teſtatur, aſſerens, ipſius divinæ Trinitatis arcana tantummodo uſque ad Meſſiæ tempus recondita latere debuiſſe. Tunc autem, cùm omnis idololatrici erroris ſuſpicio auferenda eſſet, & arcana etiam ipſa Trinitatis divinæ palàm retegenda fuiſſe. HOG. Cùm in præmemoratis verbis, Audi Iſraël, Deus Deus noſter, Deus unus eſt: ter nomen Dei ponatur, quid eſt, quòd ſecundo tantum nomini additur Noſter, & non primo, aut tertio? GAL. Id non abs re profectò factum. Ex hoc enim manifeſtè innuitur, quòd neque quidem Pater, qui prima eſt in Trinitate perſona, neque Spiritus ſanctus, qui tertia in eadem Trinitate perſona eſt, ſed ſolus Filius, qui ſecunda eſt ejuſdem Trinitatis perſona, per noſtræ humanitatis participationem noſter futurus erat. Cui illud quoque, quod in Pſal. 67. ſcribitur, ſimile eſt: Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ. Ubi in eo quòd ter ponitur Deus, trium perſonarum divinarum deſignatur diſtinctio. In eo autem, quòd ſecundo tantum loco adjungitur Noſter, ſolum Filium per noſtræ naturæ aſſumtionem, noſtrum fore inſinuabatur. In eo verò, quòd poſtremò metuant eum, & non eos dicitur, ipſarum perſonarum unitas, quod ad naturam, atque identitas oſtenditur. Ut palàm demonſtre-

tur, tres perſonas divinas, non tres Deos eſſe, ſed unum ſolum Deum. Quod Eſajas quoque apertè monſtravit, cùm 6. cap. dixit, Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloriâ ejus. In eo enim quòd ter dicit Sanctus, tres perſonas divinas expreſſè deſignat. Quod per R. Simeonem Johai filium, & per R. Jonatham Uzielis filium, ſuper textum hunc apertè probatur. Nam R. quidem Simeon, ſic ait, Sanctus, hic eſt pater: Sanctus, hic eſt Filius: Sanctus, hic eſt Spiritus Sanctus. R. verò Jonathas inquit, Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus ſanctus. CAP. Judæorum juniores hic dicerent, hoc minimè in Jonatha haberi. GAL. Verum quidem eſt, in his Jonathæ libris, quos nunc ipſi frequentiùs præ manibus habent, hoc (ut ipſe noſti) non haberi, cùm illud inde majores eorum deleverint, eoque in loco ita ſcripſerint, uti libri, quos poſtmodum ſcribi contigit, continent. In vetuſtiſſimis tamen libris, qui rariſſimi ſunt, ita prorſus habetur, uti ego retuli, quorum ipſe unum vidi cùm eſſem Licii, quâ tempeſtate Judæi ex toto regno Neapolitano, juſſu regis Catholici expellerentur. Et ille quidem hoc loco ſic omninò habebat, uti ipſe retuli. In eo autem (ut ad verba Eſajæ redeam) quòd poſt tria illa nomina Sanctus, ſanctus, ſanctus immediatè, ſemel duntaxat ponitur nomen Dei τέτραγράμματον quod eſt, Deus, per quod divina eſſentia importatur, clarè innuitur, tres illas perſonas non tres Deos, ſed unum Deum eſſe. Eam ob rem veteres illi Talmudiſtæ, qui hujus arcani non omninò ignari erant, ſtatuerunt, quòd tam iſta Eſajæ verba, quàm illa Deuteronomii; Audi Iſraël, Deus, Deus noſter, Deus unus eſt: ab uno quôque Judæorum bis ſaltem in die, mane ſcilicet & veſperi, dicerentur. Quod apud eos hucuſque ſervatur. Ut dum Judæi ipſi hæc eadem verba ore pronunciant, & divinarum perſonarum trinitatem, & divinæ eſſentiæ unitatem, ſicut verba illa deſignant, ita ſe corde quoque credere proteſtentur. *Petrus Galatinus.*

Trinum eſſe Deum non eſſentiâ quidem, ſed perſonis.

CAP. XVIII.

DIXIMUS ſuprà in Dei deſcriptione duo diligenter eſſe conſideranda, quòd nimirum Deus ſuiipſius ſit principium, & aliorum cauſa. Illud ipſam Dei ſub-

ſubſtantiam indicare oſtendimus, quâ ſibi ſoli non alii cuiquam exiſtit. Jam verò cùm Deus agere quidpiam, non autem quieſcere ſtatuatur, quærendum meritò fuerit, quid agat Deus. Veteres eum circa mundum, & quæ in eo ſunt, occupatum eſſe crediderunt: credunt hoc etiam Chriſtiani. Verùm etſi non hoc negaverim, aliud tamen agit Deus quâ Deus eſt ratione. Hoc enim agit Deus quâ rerum cauſa eſt ratione. Chriſtianos interrogaverim: ſi non aliam Dei actionem admittant præter hanc, quâ in mundum occupatus eſt, quid egiſſe Deum exiſtiment, mundo nondum exiſtente? Reſpondebunt ex Auguſtini ſententia, eum iis infernum præparâſſe, qui talia quærerent: Pulchrè profectò, quaſi non ſint nobis ex Chriſti mandato ſcrutandæ Scripturæ? Quid hoc eſt, quod Pater de Filio ait, *Hodie te genui?* Quid hæc vox *Hodie* ſignificet, expoſitum eſt ab eis optimè: Non enim temporis aliquam partem, ſed æternitatem deſignat: ſi quæram itaque, quid Deus ab æterno egerit, annon atteſtante Scripturâ benè reſpondero, eum ſibi filium genuiſſe? Hæc Theologis ſcripta ſint: Nobis tamen philoſophari licebit, modò quæ philoſophando volutamus, Scripturæ ſint conſona. *Nic. Taurellus.*

Quod perſonarum trinitas unitati divinæ eſſentiæ non deroget, per rationem ſuper Judæorum ſcripturas fundatam.

CAP. XIX.

ETSI cum Judæis noſtri temporis ratione pugnandum non ſit, quia cùm mentis oculos errore perfidiæ perturbatos habeant, rationis lumine, quo veritatem perſpicere queant, penitus carent. Veruntamen, quia rationem, quæ ſuper eorum fundatur ſcripturas, haudquaquam negare poſſunt: idcirco ad majorem erroris eorum confutationem, & ad clariorem Catholicæ veritatis expreſſionem, benè quidem mi Galatine ageres, ſi ratione quoque Hebraicis teſtimoniis roboratâ, perſonarum trinitatem cum divinæ eſſentiæ unitate, abſque ulla ejuſdem unitatis derogatione, eſſe poſſe probares. GAL. Faciam equidem, quàm breviſſimè. Nonne igitur ipſi concedendum ducerent, Deum in diverſis eſſe locis? CAP. Ita prorſus. Hoc enim & Talmudiſtæ paſſim affirmant, & Scriptura ſacra aſſerit. Quæ præſertim Pſalmo apud eos 139. ita ait: Si ſcandero cœlos, illic tu es, & ſi jacuero in

inferno, ades. Si portavero alas auroræ, ſi habitavero in extremo maris, etiam illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Quibus ex verbis apertè liquet, Deum ubique eſſe. GAL. Id autem ſecundùm diverſas partes verificari nequit. Quia cùm Deus Spiritus ſit, ac ſummè ſimplex, ut ipſi etiam ajunt: omni prorſus partium diverſitate atque compoſitione caret: In libro enim Formationis, quem ipſi Sepher iczira vocant, eo in loco ubi ponuntur decem ſephiroth, id eſt, decem incorporei, abſtractiſque numeri, ſeu potiùs decem incorporeæ ſecretæque unitates, quarum prima tanquam omnium abſtractiſſima, ponitur Deus ipſe, ſic habetur, Spiritus Dei, ſive Spiritus Deus, benedicens & benedictum nomen ejus, qui eſt vita ſæculorum, vox, ſpiritus, & verbum: hic eſt Spiritus ſanctus, cujus (ut habent alii libri) principium perſcrutari nequit, & cujus finis nullus eſt terminus. Hæc ibi. Neque etiam eum ſucceſſivè diverſis in locis eſſe dicerent. Quia tunc ſecundùm locum mutabilis eſſet, quod ipſi omninò negant, cùm Deo nequaquam convenire poſſit. Quoniam cùm æternus ſit, & immenſus, atque ſummè ſimplex, neque ſecundùm tempus, neque ſecundùm locum, neque ſecundùm formam mutari poteſt. Quare ipſi quoque quemadmodum & nos, eum omnino immutabilem aſſeverant. Cùm Deus ipſemet apud Malachiam cap. 3. dicat, Ego Deus non mutor. Eapropter fateri eos oportet, Deum (etſi unus ſit) totum cum ſuæ unitatis veritate, ſimul & ſemel in diverſis locis eſſe. Quocirca ita quoque eos concedere neceſſe eſt, ipſam divinitatem (etſi una tantùm numero exiſtat) totam ſimul in pluribus eſſe poſſe perſonis. Quid ſi illud primum concedunt, cur hoc ſecundum negant, cùm non magis unum quàm alterum concedendum ſit? Sed hoc minimè certè negare poſſunt, cùm paſſim illud non modò priſci Talmudiſtæ, atque Cabaliſtæ (ut jam oſtenſum eſt) fateantur, verùm etiam divina quoque atteſtentur eloquia. Nam ubicunque in ſacris veteris inſtrumenti literis, unius Dei eſſentia inſinuatur, ſemper ferè ibidem & trium perſonarum pluralitas innuitur. Et contrà, quocunque in loco perſonarum trinitas exprimitur, ſemper penè eodem quoque in loco, & divinæ ſubſtantiæ unitas explicatur. Ne aut propter ſingularis Dei unitatem, perſonarum trinitas à divina natura excludatur, aut

propter

propter perſonarum trinitatem, plures dii eſſe credantur. Sed ſic in altero tres ipſæ divinæ hypoſtaſes abſque confuſione ab invicem diſtinctæ creduntur, ut in altero ipſius Dei unitas omninò ſalvetur: quod in cantico quoque Moſis liquidò patet. In quo, eo in loco ubi nos habemus: Videte quòd ego ſim ſolus, & non ſit Deus præter me: Apud Hebræos hæc tria ponuntur nomina, quæ apud eos divina ſunt, Ani, Ani, Hu. Quæ ego, ego ipſe, apud nos interpretantur. Quid igitur ibi per tria hæc divina nomina, niſi trium divinarum perſonarum pluralitas ac diſtinctio deſignatur? Et quid per illud, quòd ibidem immediatè ſubjicitur, & non ſunt Dii mecum, inſinuatur, niſi quòd tres illæ divinæ hypoſtaſes, per tria illa divina nomina deſignatæ, non ſunt tres Dii, ſed unus Deus? Nam & ſi tota divina eſſentia ſit in Patre, tota in Filio, tota in Spiritu ſancto; quum Pater ſit verus & perfectus Deus, à quo omnia; & Filius verus & perfectus Deus, per quem omnia; & Spiritus ſanctus verus & perfectus Deus, in quo omnia: quia tamen ipſa divina natura una omninò eſt in tribus, ideo Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus non ſunt tres Dii, ſed unus Deus, qui fecit omnia, & à quo, per quem, & in quo omnia proveniunt, ſubſiſtunt & vivificantur, & ad quem tandem omnia reducuntur. Nam ut Gregorius ille Nazianzenus, Græcorum Theologorum facilè princeps ait, Unus Deus eſt Pater, à quo omnia, & Filius per quem omnia, & Spiritus ſanctus, in quo omnia. Hæ enim præpoſitiones à quo, per quem, & in quo, non naturam quidem dividunt, ſed unius atque inconfuſæ naturæ proprietates characterizant. Quæ quomodo fiant, Joannes Damaſcenus oſtendit, qui hoc myſterium non minùs eleganter, quàm ſubtiliter eo in libro, quem de divina traditione inſcripſit, explanare conatus eſt, ita c. 49. inter cætera dicens: In divinitate unam confitemur naturam, tres autem hypoſtaſes, ſecundùm veritatem eſſe dicimus. Et omnia quidem naturalia atque eſſentialia, ſimplicia animadvertimus. Hypoſtaſium verò differentiam in tribus ſolis proprietatibus, in improducta ſcilicet ac paterna, & producta ac filiali, & producta atque procedente, novimus. Inſeparabiles autem ipſas, indiſtabilesque ab invicem, & unitas atque in invicem inconfuſè circumincedentes, ſcimus. Et unitas quidem inconfuſè, tres enim ſunt, etſi uniantur: diſtinctas autem indiſtanter. Licet

nim unaquæque per ſeipſam ſubſiſtat, hoc eſt, perfecta ſit hypoſtaſis, ſuamque proprietatem, id eſt, differentem ſubſiſtentiæ modum poſſideat: attamen uniuntur eſſentiâ, naturalibusque proprietatibus, & eo quod eſt minimè diſtare à paterna hypoſtaſi. Ac unus Deus & ſunt, & dicuntur. *Petrus Galatinus.*

Divina Trinitas.

CAP. XX.

HÆC tria in Deo, quòd non ut reliqua quieſcens ſit ſubſtantia, ſed perpetuo vigore ſubſiſtat, patent apertiſſimè. Tria quidem ſunt hæc propriis diſtincta rationibus (quas idiomata vocant Theologi) non autem tres numero ſeparatas conſtituunt ſubſtantias, ſed *unum eſſe infinitum.* Non enim (ut ſuprà demonſtravimus) uno plura poſſunt eſſe infinita. Hujus rei aliud habemus argumentum: ſi quod fit, ab eo, quod agit, numero ſeparatum fit, ut duæ non una ſint ſubſtantiæ, tum quod fit, prima cauſa dici non poterit. Non enim prima cauſa dici quicquam poteſt, quod cauſam ſui extra ſe habet. At ſi prima cauſa non ſit, finitum quiddam eſt, extra Dei ſubſtantiam conſiſtens: non poterit igitur ejus actionis effectus eſſe, quâ Deum *eſſe* diximus: Hæc enim agit Deus ſibiipſi, non alii cuipiam, quo fit, ut actio, quâ Deus eſt, in ipſa Dei ſubſtantia contineatur, non extra evagetur. Hanc internam Dei actionem veterum nullus philoſophando animadvertit, utut de ſuo Platone glorientur Platonici. Quid autem noſtræ fidei magis poteſt eſſe conſonum, quâ Deum ſubſtantiâ unum, at perſonis trinum colimus ac veneramur; Deus agens Patrem refert, ejuſdem effectus Filium, actio id quod agit cum eo quod fit conjungens inſeparabiliter, piè Spiritus ſanctus dici poteſt.

Si quæratur ergo quid Deus ab æterno egerit: ſeipſum feciſſe dicendum eſt, tum quòd præter eundem (ut modò patebit) nihil ab æterno fuerit, quod feciſſe dici poſſit, tum quòd ſibi ipſi non alii cuiquam Deus ab æterno fuerit.

Idem.

De

De divinarum perſonarum diſtinctione, & numero per earum proprietates.

CAP. XXI.

NON parum profuturum puto, tum ad clariorem veritatis manifeſtationem, tum ad majorem Judæorum recentiorum confuſionem, ſi divinarum perſonarum diſtinctionem & numerum per earum quoque proprietates, apud eos haberi oſtenderis. GAL. Id quoque libenter faciam. Quòd igitur divinarum perſonarum tam numerum quàm diſtinctionem adhuc ipſi per earum proprietates apertè demonſtrent, primùm ex iis facilè patet, quæ in Midras tillim, id eſt, in expoſitione Pſalmorum habentur, eo in loco, ubi Pſalm. 50. ſic dicitur, Deus, Deus, Deus, locutus eſt, & vocavit terram. Ibi enim ita legitur. Quamobrem memoratur nomen Dei ſancti & benedicti tribus vicibus? Ut docereris, quòd his tribus nominibus Deus ſanctus & benedictus mundum creavit, juxta tres Midoth, id eſt, proprietates, quibus mundus creatus eſt. Quæ ſunt, Sapientia, ſcientia, vel notitia, & prudentia. Sapientia unde, ſupple, probatur? Sicut dictum eſt Prover. 3. Dominus in ſapientia fundavit terram. Scientia vel notitia unde? Sicut dictum eſt ibidem. In notitia vel ſcientia abyſſi eruperunt. Prudentia unde? Sicut dictum eſt, ubi ſuprà, Aptavit vel ornavit cœlos prudentiâ. Et propter hoc ipſe, inquit Exod. 20. Quoniam ego Deus, Deus tuus, Deus Zelator. Ecce tres proprietates loco trium, quibus creatus eſt mundus. Sic etiam filii Gad & filii Ruben dixerunt, Jehoſue 22. Deus, Deus, Deus, Deus, Deus, Deus, ipſe ſcit. Quidnam viderunt, ut hoc idem repeterent duabus vicibus? dixerunt primò, Deus, Deus, Deus: quia his creatus eſt mundus. Et deinde dixerunt, Deus, Deus, Deus: quia in his quoque tribus data eſt lex. Sed nunquid potuiſſet unus eorum ex ſe ſolo, ſeparatimque, ſupple, creare mundum? Nequaquam, ſed duo alii uniti, cum eo, neceſſariò creaverunt. Hæc in Talmud. Quæ eiſdem ferè verbis ponuntur in Commentariis R. Moſis Hadarſan ſuper illud Gen. 1. In principio creavit Elohim cœlum & terram. Quæ quidem omnia ſatis fidei Chriſtianæ congruunt, hoc duntaxat excepto, quòd has tres divinas Middoth, id eſt, proprietates, quibus mundum creatum aſſerunt, dicunt eſſe ſapientiam, notitiam atque prudentiam. Hæ namque etſi plu-

ſi plures proprietates nomine videantur, re tamen non ſunt niſi una. Veruntamen alibi tres apud eos proprietates comperiuntur, quæ ſecundùm fidem orthodoxam ſunt unus Deus. In poſitione ſiquidem R. Moſis Hadarſan in librum Geneſeos, ſuper illud 42. cap. Joſeph ipſe potens ſuper terram: ita legitur R. Eleazar dixiſſe. Non eſt creatus mundus, niſi verbo Dei ſancti & benedicti. Sicut dictum eſt in Pſalm. 33. Verbo Dei cœli facti ſunt. Ubi & R. Simeon dicit, Spiravit Deus ſpiritum oris ſui, & creatus eſt mundus: ſicut dictum eſt Pſalm. 33. Et ſpiritu oris ejus omnis exercitus eorum: hæc traditio, in quibus tria hæc, Deus, verbum ejus, & ſpiritus, diſtinctè & apertè in mundi productione concurriſſe ponuntur. Hæc autem tria, quid aliud ſunt quàm Pater, Filius & Spiritus ſanctus? Verbum enim realiter diſtinguitur à proferente, & Spiritus à ſpirante. Ergo inter Deum mundi creatorem, & verbum ejus, per quod mundus creatus eſt, & Deum ſpirantem, & Spiritum ejus, in quo mundum produxit, realem oportet eſſe diſtinctionem. Cùm igitur in Deo nullum ſit accidens, ut ipſi etiam concedunt, cùm omne accidens imperfectionem dicat, & in Deo nulla poſſit eſſe imperfectio: ſequitur ſanè quòd neque verbum Dei, neque ſpiritus ejus ſit accidens. Ergo ſunt hypoſtaſes, ſive ſuppoſita, vel perſonæ realiter diſtinctæ. Et per conſequens juxta veterum Talmudiſtarum dogma, neceſſariò fatendum eſt, tres in Deo eſſe perſonas, quibus tres Middith, id eſt, proprietates attribuuntur, Patrem ſcilicet, Filium & Spiritum ſanctum. Qui non tres Dii ſunt, neque tres creatores, ſed unus Deus, unuſque creator. Quod ex eo quoque oſtenditur, quod mox ibidem ſubſequitur, congregans velut in utre aquas maris: dans in cellariis abyſſos. In eo enim, quòd ſingulariter dicit congregans & dans, manifeſtè inſinuat, tres perſonas divinas, quas per tria nomina prædicta dedit intelligi, unum eſſe tantummodo Deum, mundi univerſi creatorem. Quod illi Joan. 1. cap. 5. valde conſonat: Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt. Ad id quoque pertinere videtur, quod in Midras Coheleth, id eſt, in expoſitione Eccleſiaſtis ſuper illud, quod in 4. cap. ſic habetur. Et filum trinum non citò rumpitur. Ibi enim dicitur: R. Johanan dixiſſe: Meliores ſunt duo (vir ſcilicet & mulier) quàm unus, hic ſcilicet per ſe, & illa per ſe, & filum trinum

iſtud

iſtud eſt Deus ſanctus & benedictus, qui viſitat utrumque in filiis, hoc eſt, dando eis filios. Quod autem ſubjunctum eſt, non citò rumpitur: ſenſus ejus eſſe videtur, quòd myſterium trini & unius Dei, non facilè, nec citò diſcutitur. *Petrus Galatinus.*

Quòd Deus ſit verbum, & verbum Dei ſit ipſe Deus.

CAP. XXII.

ETSI in præmiſſis verbum Dei ejuſdem cum Deo eſſe ſubſtantiæ, ſatis abundè probaveris. Ex quo & Deum verbum eſſe, & verbum Dei ipſum eſſe Deum neceſſariò ſequitur: ut tamen magis juniorum Judæorum cervix duriſſima contundatur, velis obſecro Deum eſſe verbum, & verbum Dei eſſe Deum, apertiùs nunc oſtendere. GAL. Quòd quidem Deus verbum ſit, ex eo potiſſimùm patet, quòd ubi Eſajas 45. cap. ait, Iſraël ſalvatus erit in Deo (tetragrammaton) ſalvatione ſeculorum, vel ſempiternâ. Sic targum Jonathæ dicit Iſraël ſalvatus erit in verbo, vel per verbum Dei, ſalvatione ſempiternâ. Ubi ergo Eſajas dixit, in Deo (tetragrammaton) quod nomen nulli niſi Deo attribuitur, ibi Chaldaicus interpres in verbo Dei tranſtulit. Per quod Deum eſſe verbum, palàm oſtendit. Item ubi apud Hoſ. 1. cap. dicitur. Et domûs Juda miſerebor, & ſalvabo eos in Domino Deo ſuo. Sic idem interpres vertit: Et ſuper domum Juda miſerebor, & ſalvabo eos in verbo Domini Dei eorum. Illud etiam quod Eſajas 8. cap. dicit: Et addidit Deus (tetragrammaton) loqui ad me adhuc. Ita Jonathas ipſe traduxit: Et adjecit verbum Dei loqui ad me adhuc. Item quod idem Propheta 41. cap. dixit: Nec timeas, quia tecum ego, ſic ille tranſtulit: Ne timeas, quia in auxilium tuum verbum meum. Item quod ibidem dicitur, Ne timeas vermis, vel tinea Jacob, homines Iſraël, vel qui eſtis ex Iſraël, Ego auxiliator ſum tui, ait Deus & Redemptor tuus ſanctus Iſraël. Ita ille Chaldaicè expoſuit, Ne timeas tribus domûs Jacob, ſemen domûs Iſraël, verbum meum in auxilio veſtro, Dixit Deus & Redemptor veſter ſanctus Iſraël. Illud præterea ejuſdem Prophetæ 44. cap. ſic ait: Dominus Redemptor tuus ex utero, ego Dominus faciens omnia, extendo cœlos levandi, id eſt, per me ſolum firmans terram metiri, id eſt, per eum qui eſt apud me. Sic ille in Targum explanat: Sic ait Dominus

qui

qui redemit te, & qui formavit te ex viſceribus. Ego Dominus autor omnium, extendi cœlos verbo meo, vel per verbum meum. Fundavi terram in virtute vel fortitudine mea: quod valde dicto illi Evangeliſtæ conſonat: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum; hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Illud quoque Hoſeæ nono capite dictum: Reprobabit vel abjiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum, & erunt vagi in gentibus. Sic Jonathas in Targum exponit: Abjiciet eos Deus meus: quia non receperunt verbum ejus, & erunt vagi in gentibus. Cùm igitur in omnibus his, ac aliis permultis, in quibus Prophetæ dominum vel Deum (tetragrammaton) poſuerunt, Rabbi Jonathas prædictus vir apud eos maximæ autoritatis, verbum Dei Chaldaicè tranſtulerit & expoſuerit: conſequens planè eſt, Deum ipſum verbum eſſe, ac verbum Dei Deum: quod erat probandum. *Petr. Galatinus.*

Quid Deus ab æterno egerit.

CAP. XXIII.

SUBTILITER philoſophati ſunt veteres, cùm naturam, & quæ ſub ea ſunt, ab æterno fuiſſe ſibi hac ratione videbantur demonſtraſſe, Deum videlicet, niſi mundus ab æterno fuerit, quieſcere oportuiſſe. Si ſit hoc philoſophicum: Abſit tamen ut id admiſerim. Quæ Deus in mundo agit, ea non ſibi, ſed hominibus agit: ſi nihil ergo agat aliud Deus, Deo certè ſumus & feliciores, & nobiliores. Nam quod eſt alterius cauſâ, id eo ipſo ignobilius: ſic cœli, quòd hominum cauſâ ſint, hominibus ſunt ignobiliores. Deus autem quòd rerum omnium cauſa ſit, nullius omnino cauſâ exiſtit: ſuo namque fine quidvis perficitur, & quod alterius eſt cauſâ, hoc ipſo, quo propter id eſt, illud ipſum perficit. Effectus verò eſt, ut cauſam perficiat, non vice verſâ: maximè verò ſi cauſa ſit intelligens & voluntaria, qualis certè Deus eſt. Non enim facit aliquid ut eidem ſubjiciatur. Quòd ſi Deus hac perficiatur actione, hoc eſt, ſuum finem ſeu felicitatem conſequatur, quâ in hoc mundo agit, quæ vel agenda, vel conſervanda ſunt, ſummum certè Dei bonum non ipſius, ſed hominum erit. Hic ſiquidem mundus & quæ fiunt in eo, ad hominem per-

perficiendum facta ſunt. Nos itaque Deum (ut hæc vitemus abſurda) contemplabimur aliter.

In Rebus omnibus duo conſiderantur, ſubſtantia & ejuſdem actiones: ſubſtantia ſuis perficitur actionibus, quo fit, ut quies rerum imperfectionem denotet. Deum fatentur Philoſophi ſubſtantiam eſſe perfectiſſimam, quod niſi concederent, multis planum faceremus rationibus: Nullam ergo quietis rationem admittit, ſed actione perficitur perfectiſſimâ. Hæ ſunt autem actionis perfectiſſimæ proprietates, ut ea ſuum finem in ſeipſa habeat: ut finis ille ſit perfectiſſimus, hoc eſt, ut ſummus exiſtat, non alii ſubjectus & opus exponat abſolutiſſimum. Subſtantiæ perfectiſſimæ proprietates hæ ſunt, ut nec ipſa quietem admittat, ſed perpetuo vigore ſubſiſtat, & actione ſuâ perfectiſſimè perficiatur, hoc eſt, ſola & ſemper, ut nec priùs extiterit, quàm perfecta eſſet, ſemperque ſit perfectiſſima futura, nec perfectio hæc alterius ſit cujuſpiam. *Nic. Taurellus.*

An Deus contemplatione perficiatur.

CAP. XXIV.

SI Deus mens ſit (ut cum veteribus Theologorum aliqui fatentur) contemplatione perficitur: Hoc enim proprium mentis opus eſt. Nequaquam verò id fuerit admittendum. Non hæc enim Dei eſt perfectio, ſed hominis & angelorum. Felices ſumus intelligendo: Deus autem eſt exiſtendo feliciſſimus. Hæc veteres non animadverterunt. Contemplatio rebus eſt contemplandis poſterior. Non enim quicquam contemplari potes, niſi res priùs exiſtat, quam vis contemplari. Res etiam contemplatæ ſunt ipſâ contemplatione potiores. Non enim felicem facit contemplatio, niſi res contemplatas admireris. Actio igitur, quâ res contemplatæ vel exiſtunt, vel factæ ſunt, eſt eâ præſtantior, quâ ipſæ contemplantur. Dum itaque non contemplatione perfici dicemus, ſed eâ actione, quâ res exiſtunt, quæ beant ſe contemplantes. Deum videre, Theologi ſtatuunt humanam eſſe felicitatem: Rectè quidem. At *Deum eſſe* Dei felicitas eſt. Hoc pluribus eſt comprobandum, ut Philoſophis etiam fiat conſpicuum, Actionis perfectiſſimæ hanc diximus eſſe proprietatem, ut ſuum in ſeipſa finem habeat: hoc eſt, ut quamprimum actio fuit, ſuum finem habuerit, & eum quidem perfectiſſimè

mè. Actionis etiam perfectiſſimæ opus eſſe diximus perfectiſſimum. At præter unum Deum nihil eſt, quod dicere liceat perfectiſſimum. Nihil quoque eſt præter eundem quod ab æterno fuerit (ut infrà demonſtrabimus.) Deus itaque quòd ab æterno fuerit, & ſubſiſtat perfectiſſimè, opus eſt actionis æternæ, & perfectiſſimæ. Hinc patet, quomodo Deus ſit ſuiipſius principium. Reliqua enim quæcumque ſunt, quòd finita ſint, ita exiſtunt, ut fieri cœperunt, & fieri deſierint: quò fit, ut quietè ſubſiſtant, ſiquidem accidentia ſunt, quas exerunt actiones: Deus autem, quòd à nullo exiſtat, non cœpit fieri: quæ cauſa eſt, ut nec fieri deſierit: ſunt enim quæ non cœperunt in æternum neceſſariò. Quamobrem Deum in perpetuo fieri ſubſiſtere dicimus: ſed ita ut agens non ſit extrinſecùs: cauſam enim non agnoſcit Deus. Sunt ergo tria, quibus Deum ſubſiſtere ſtatuimus, *Actio, quod agit, & quod fit. Idem.*

DE NATURA.

Naturam non eſſe primam rerum cauſam.

CAP. XXV.

NATURAM fortaſſis exiſtimet aliquis primam eſſe rerum cauſſam, quod tamen eſt abſurdiſſimum, ut multis demonſtrari poteſt argumentis, è quibus unum aut alterum exponemus. Prima cauſa, quòd ſuperiorem non agnoſcat, à qua ſuum *eſſe* acceperit, ipſa ſuiipſius cauſa eſt: Natura verò non à ſeipſa, ſed à principio ſuperiori exiſtit. Cùm enim finita ſit (ut ex cœlorum motu patet) ab alio certè definita eſt, nihil ſiquidem ſeipſum definit. Adhæc ſi natura ſeipſam fecerit (quæ primæ cauſæ proprietas eſt) certè ſeipſam fecit naturaliter: quæ verò naturaliter fiunt, ex præexiſtente materia fiunt, ut ſi natura facta ſit naturaliter, eam ex materia præexiſtente fieri oportuerit. Quod ſi ſtatuatur, naturâ nondum exiſtente, conſequetur aliquid factum eſſe naturaliter, & naturam aliquid feciſſe priuſquam ipſamet exiſteret. Non eſt ergo Natura prima rerum cauſa. *Idem.*

Quicunque Axiomata & Epitheta Naturæ hucusque tributa, paulùm conſiderat, facilè deprehendet, vulgarem Naturæ notionem hàc vel ſimili deſcriptione exprimi poſſe: Natura eſt ens ſapientiſſimum, quod nihil facit fruſtra, quod

quod fine ſuo non excidit, quod facit optimum ſemper inter ea, quæ fieri ab ipsâ queunt, idque præſtat per vias maximè rectas & breviſſimas, neque redundans in ſuperfluis, neque deficiens in neceſſariis, unicuique operum ſuorum ſui conſervandi inclinationem ingenerat, utque in Microcoſmo, Homine ſcilicet, morborum ipſa curatrix eſt, ſic in Macrocoſmo, Mundo nempe, ejuſdem conſervandi gratiâ abhorret à Vacuo, quo efficit horrore, ut quædam corpora privatas contra inclinationes, bonumque boni publici causâ agant. Sed cùm hæc Deſcriptio nullatenus veram Naturæ eſſentiam explicet, aliam eamque veriorem à me exſpectas, vocis autem illius ambiguitas tanta eſt, atque à Doctis etiam ipſa ad res tam varias ſignificandas adhibetur, ut minimè tutum eſſe videatur, non enumeratis, diſtinctisque variis ejuſdem acceptionibus, illius tradere definitionem, quæ veriùs tradi omninò nequiret, aut certè ejuſmodi nequiret, quæ cenſuræ obnoxia non foret; non mihi itaque aſſumam, ut definiam id, cujus nulla certa adhuc, ſtataque apud homines notio eſt. Ut tuis tamen, quantum auſim, votis paream, ſcias velim, ſi quæ mihi quavis hactenus datâ aptior Naturæ definitio proponenda foret, quæque præcipua Naturæ notio habenda eſſet, univerſalem, particularemque rerum Naturam diſtinguerem: *univerſalis* autem *Naturæ* proponenda à me notio hujuſmodi quæpiam foret: Natura eſt aggregatum quodpiam è corporibus Mundi formam conſtituentibus conſideratum ut principium, cujus vi agunt, patiunturque, conformiter legibus motûs ab Authore Naturæ præſcriptis. Quæ quidem Deſcriptio hunc ferè in modum exponi poterit: Natura, in genere, eſt effectus quidam materiæ univerſalis, aut ſubſtantiæ corporeæ Univerſi, ſpectatæ, ut in præſentem Mundi ſtructuram & conſtitutionem efformatæ, quâ omnia, ex quibus conſtat, corpora apta fiant, quæ agant in ſe mutuo, patianturque à ſe invicem juxta ſtatas motûs leges. Hæc jam Deſcriptio viam ad aliam huic ſubordinatam notionem, cui etiam ſubnecti debet, parabit, cùm particularis corporis individui Natura poſita ſit in generali Naturâ, applicatâ diſtinctæ Univerſi portioni, aut potiùs, ſi ponamus eam, ut reipsâ eſt in Mundo, inſtar noſtri conſtitutam à Deo; & dicamus, quòd *Natura particularis* ſit conventio quædam mechanicarum affectionum, Molis putà, Figuræ, Ordinis, Sitûs,

Texturæ, Motûs localis, mechanicarum inquam affectionum partium ſive ſenſibilium, ſive inſenſibilium, quibus particulare, quod conſtant, corpus in particulari ſpecie, aut denominatione conſtituatur, quatenus harum omnium Affectionum concurſus conſideratur ut principium motûs & quietis, mutationumque eo in corpore. Ut adeò Univerſalis Natura Coſmicus ſit Mechaniſmus, ſive complexio mechanicarum affectionum ad Macrocoſmi Syſtema pertinentium; Particularis verò Natura ſit peculiaris hujus & illius corporis in ſpecie conſiderati mechaniſmus, ſive eſſentialis modificatio, in complexione modorum ſive mechanicarum affectionum ſimiliter conſiſtens. *Rob. Boyle Tract. de Naturâ.*

Mundum aliquando cœpiſſe.

CAP. XXVI.

NATURA mundum non excedit. De mundo igitur agemus, ut totum, adeoque naturas omnes hoc nomine complectamur. Plures aliqui mundos admiſerunt: rident hoc Ariſtotelici, & meritò: quibus id verò confutaverint argumentis, noſtrum non eſt hìc recenſere: Alii tractent aliena. Certè confutatus eſt error hic, ut conſiſtere poſſit nihilominus. Nos autem nec ſenſu nec ratione moveri poſſumus, ut alium præter hunc mundum eſſe ſuſpicemur. Phantaſticis hoc phantaſma tractandum relinquimus.

Unum itaque mundum eſſe, & eum quidem finitum, ſatis conſtat. Hoc autem, ut diligenter examinetur dignum eſt maximè, num ſcilicet mundus hic ab æterno fuerit, aut aliquando cœperit? Nunquam cœpiſſe mundum Coryphæus obtinuit Ariſtoteles: contrarium divinâ revelatione ſumus edocti.

Quiſquis es autem, qui Philoſophum agis, & te Chriſtianum eſſe profiteris, hæc tu mihi conciliato. Promta hic eſt philoſophantium agilitas: Mundum (inquiunt) ab æterno fuiſſe, verum eſt philoſophicè: mundum etiam ab æterno non fuiſſe, verum eſt theologicè. Duplex ecce noſtrorum Philoſophorum veritas, & ſibiipſi quidem contraria. Animum attendite Doctores: Mundum ab æterno fuiſſe, falſiſſimum eſt philoſophicè & abſurdiſſimum: Hoc vos edocebimus.

Mun-

Mundum quod finitum quiddam ſit, ab alio, non à ſeipſo exiſtere fatemini. Quærimus itaque ſit ne mundus abſolutum opus, an verò in fieri conſiſtat? *N. Taurellus.*

Enimverò omnia, quæ in Univerſo ſpectantur, creatorem prædicant, & nihil natura mortalium oculis objicit, quod non ſui Authorem loquatur, & ad ejus venerationem excitet. Quem non Mundi partium diſpoſitio ad ejus exortum aſſerendum impellit, faterique cogit, non eſſe æternum? An caſu cœcoque fortunæ ductu prodiere hæc omnia, quæ miramur. An Terra, an Cœlum, an Sidera ſponte & abſque peregrino conſilio ſua loca occupavere? Quæ Atomis vis? Quæ materiæ potentia, ut Mundum tantâ varietate inſignem efficerent? Si ſolem, ſi Terram, ſi Planetas componere valuerunt, quidni urbes, Domos, Templa, Porticus potuere? quæ minorem operam exigunt & humanâ arte quotidie eriguntur. *Le Grand Hiſtor. Natur. Part.* 3. *Artic.* 1.

Mundum non fieri, ſed factum eſſe.

CAP. XXVII.

DUPLICES ſunt effectus: Quidam enim à ſua cauſa ſeparati ſunt, ut domus ab architecto: Quidam in ſua cauſa conſiſtunt, nec ab ea ſeparatim poſſunt ſubſiſtere, ut calor in igne. Ad quos igitur effectus mundum referemus? Si dixeris, mundum à Deo (cujus effectum eſſe fatentur omnes) ſubſtantiâ ſeparatum eſſe, Deum mundo tempore priorem eſſe conſequetur: hæc enim eſt horum effectuum proprietas, id autem, quod eſt alio quopiam tempore poſterius, ab æterno nequaquam fuit. Sin verò mundum in ſua cauſa ſubſiſtere judices, ut calor in igne; noveris hos effectus ſubſtantias non eſſe, ſed accidentia eorum, quibus inſunt, ut mundus in hac effectuum ſerie nullo modo comprehendi poſſit. Verùm ut hoc meliùs intelligatur, paucis id exponemus apertiùs. Mundus à Deo ſuum *eſſe* habet, quod hac voce *fieri* exprimimus. Fieri autem effectus tum dicuntur, cùm id ipſum, quod ſunt, à ſua cauſa accipiunt: eo nimirum tempore cauſæ cum ſuis junguntur effectibus. Hæc conjunctio in prima effectuum ſerie tamdiu durat, dum opus abſolutum ſit. Dicimus itaque mundum (quòd eum ad hos effectus omninò referri fatendum ſit) non fieri; ſed factum eſſe.

Perfecta namque ſubſtantia eſt, & ſuum finem ſuis actionibus jamdudum eſt conſequuta. Cùm itaque mundus non ampliùs fiat, ſuum eſſe non accipit ab alio: Quamobrem ſi fuerit ab æterno mundus ut nunc eſt, nunquam certè ab alio ſuum eſſe accepit. Dicant igitur Ariſtotelici, quomodo Deus mundi ſit cauſa, ſi mundus ab eo ſuum eſſe nunquam accepit: ſin autem accepiſſe fateantur, id certò non fuit ab æterno. Nam quæ ſunt ab æterno, in æternum ſunt neceſſariò; & quæ finem habent, principium habuerunt neceſſariò. Mundus itaque cùm à Deo fieri deſierit, ab eodem quoque fieri cœpit, atque adeò non ab æterno, ſed in tempore factus eſt. *Nic. Taurellus.*

Mundi finis eſt rerum viciſſitudo: Hunc mundus, hominibus etiam non exiſtentibus, conſequi poſſet. Imperfectus tamen hic finis eſt, non quòd aliunde quàm à mundo perfici debeat. Ut enim genus humanum in certam multitudinem propagetur, rerum viciſſitudo eſt ordinata. Cùm itaque mundus rerum viciſſitudinem jam dudum nactus ſit, perfectam & abſolutam ſubſtantiam eſſe conſequitur: ſuprà tamen mundum diximus ſuum finem nondum aſſequutum eſſe: verùm id de alio fine intelligi debere docuimus, qui rerum viciſſitudines perficit, hominum videlicet procreatione. *Idem.*

Machina concinnè elaborata non niſi à perito Artifice proficiſcitur, & ejus præſtantiam, ſolertiamque arguit. At quid hâc Mundi machinâ admirabilius fingi aut excogitari poteſt? in quâ nihil iners & otioſum reperitur, nihil temerè aut fruſtra effectum eſt. Stirpes contemplare, omnibus peculiaris vis indita eſt. Animalia intuere, cuilibet ſuum ineſt ingenium, & attributa naturæ propenſio. In Cœlum mente conſcende, illic ſidera aſpicies, ſed locis ſuis diſpoſita, curſum ſuum æquali tenore perficientia, & non niſi certâ viciſſitudine munia ſua obeuntia. *Sicut ſimulacrum*, ait Mercurius Triſmegiſtus, *aut imaginem ſine ſculptore aut Pictore nullus fieri dicet, hoc autem opificium ſine opifice factum exit? O multam cœcitatem! Le Grand Hiſtor. Nat.*

Sed lubet etiam Mundi originem ex antiquorum monumentis deducere, & quouſque eæ, quas habemus, Hiſtoriæ porrigantur, aperire. Nulla hominum geſta ante Thebanum, Trojanumve bellum commemorantur, & quicquid Poſteritas novit, noſtrorum temporum Scriptoribus debet. At, ſi Mundus æternus eſt, omniqueprincipio caruit,

ruit, qüomodo factum eſt, ut, qui præextitere Poëtæ & Hiſtorici, facta ſuorum non cecinêre, & ſcriptis mandavêre ? quæ tam immenſo temporis decurſu ab Heroibus ſuis patrata, aut à legislatoribus in univerſo fuere condita ? Verùm cùm nihil horum extet, tacitè innuitur, Mundum creatum eſſe, & haud multò ante illa tempora ortum habuiſſe. *Idem.*

Præterea quis Mundum ſemper extitiſſe fatebitur, cùm ultra Hiſtoriarum fidem, rerum plurimarum cultus, emendatio, ſive etiam inventio recentem eſſe arguat ? Cùm Barbaros primùm homines, & parùm à ferarum aſperitate abhorrentes Antiquitas memoriæ mandet, tradatque, non eundem eis, quo nunc utimur, victum fuiſſe, ſed glande priùs & baccis alitos, ut loquitur *Macrobius*, ſerò de ſulcis ſperâſſe alimoniam ? Cumque exordium rerum, & humanæ nationis opinemur, ut aurea primùm ſecula fuiſſe credamus, & inde Natura per Metalla viliora degenerans, ferro ſecula poſtrema fœdaverit ? Ac ne totum è Fabulis mutuari videamur, quis non hinc Mundum quandoque initium habuiſſe arbitretur, cùm ultra duorum annorum millia de excellenti rerum geſtarum memoriâ, ne Græca quidem Hiſtoria exiſtat ? Quippe ſupra *Ninum*, à quo progenita *Semiramis* exiſtimatur, nihil in libros celebre relatum eſt. Si enim ab æterno, ut loquuntur Philoſophi, Mundus incepit, cur per innumerabilem ſeculorum ſeriem culturâ caruit ? Cur rerum plurimarum experientiâ ad aliquas gentes recenti ætate pervenit ? Hæc enim Mundi æternitati adverſantur, dum opinari nos faciunt, certo Mundi principio ſingula paulatim, ac ſucceſſivis annis principium habuiſſe. *Idem.*

Mundum quòd alterius ſit causâ, non potuiſſe ab æterno eſſe.

CAP. XXVIII.

HOMINIS causâ mundum exiſtere in confeſſo eſt : Quamobrem ſi non fuerint homines ab æterno, mundus vel non fuit ab æterno, vel fruſtra fuit. Nullos autem penitus homines ab æterno fuiſſe ſuprà demonſtratum eſt, ut cùm cœperit humanum genus, mundum quoque aliquando cœpiſſe conſequatur. Verùm hoc alio quoque modo diſcutiemus. Quæ ſunt alterius causâ non neceſſa-

riò, ſed contingenter exiſtunt: cauſam enim ſe ſuperiorem habent, à qua exiſtunt, cùm nihil ſeipſum faciat alterius causâ. Quod autem alteri cauſæ ſubeſt, ejuſdem ſubeſt arbitrio: Ea namque cauſa facultatem habet ejus quod dedit accipiendi. Verùm nihil eorum, quæ contingenter exiſtunt, ab æterno fuit. Hoc enim fatentur omnes, finem habere non poſſe, quod principio caret. *Nicol. Taurellus.*

DE SECRETIS ANGELORUM

LIBER II.

De ſubſtantia, differentiis & poteſtate Dæmonum.

CAP. I.

MULTA ratione quidem & experientiâ ſolers hominum adinvenit induſtria, quæ cùm pauciſſimis comperta ſint, meritò ſecretis & miraculis annumerantur. Hæc humana ſunt, vel naturalia. Sed inexpleta hominum libido, nec arte fuit contenta, nec uſu: Dæmonum quoque fuit imploranda poteſtas. Horum ope plurima fieri ſolent, quæ pariter doctos & imperitos magno ſtupore afficiunt. Cæterùm ut hanc quoque Secretorum partem ratione, quam noſtra fides & religio ferat, expediamus, primùm quid Dæmones ſint, quibus differentiis diſcerni poſſint, & quam in res humanas poteſtatem obtineant, oſtendemus.

Quid ſint Dæmones.

CAP. II.

DÆMON quaſi δαήμων, id eſt, ſciens à Græcis dicitur: quo nomine ſimplices intelligentias (ut vocant Philoſophi) complectimur, ſubſtantias videlicet incorporeas, nullâ corporis mole irretitas, à primo rerum opifice

opifice Deo creatas, ut juſtâ Dei, & operum ejus contemplatione felicitatem conſequerentur. Juſta autem eſt contemplatio, quæ non invidiam, aut contemplatæ rei deſiderium, ſed opificis laudem parit, qualem contemplata res expoſtulat. Quòd verò exiſtimant aliqui Dæmones in hominum gratiam eſſe creatos, id præter Philoſophiæ veritatem eſt, ut aliàs oſtendimus: licèt enim Deus Angelorum bonorum, & malorum miniſterio ſæpiſſimè utatur ad homines protegendos, aut puniendos: non hic tamen finis eſt præcipuus, ob quem creati ſunt Spiritus: cùm omnis intelligens ſubſtantia ſibi ipſi primùm, non autem alii cuiquam, exiſtat. Humanæ quidem animæ, cùm à corporibus ſeparatæ fuerint, immunes ſunt à materiæ contagio: ſed Dæmones ob id nequaquam meritò nuncupantur, cùm earum finis ſit, ut corpora informent. Hanc ob cauſam ſeparatas à corporibus animas Theologi rectè conquieſcere ſtatuunt, ad extremum uſque diem, quo mortuorum corpora ſuſcitabuntur, utpote quarum operationes corporum ſubminiſtratione limitentur. Sed alia eſt Dæmonum natura, ſiquidem abſque omni corporea mole finem ſuum & perfectionem aſſequuntur. Nec eſt ut iis moveamur, quæ Cornelius Agrippa ex Auguſtino, Baſilio, Gregorio, Apulejo, & Pſello recenſet. Quamvis enim variis corporum, & formarum differentiis Dæmones quandoque conſpiciantur: hæc tamen ſpectra ſunt, aut aſſumta modò corpora, quibus Dæmonum ſubſtantia nullo modo definienda eſt: Dæmones enim, ut ſeſe hominibus conſolandis, aut decipiendis accommodent, formas quæ noſtris ſenſibus idoneæ ſint, aſſumunt, & eas paulò pòſt nullâ ſui corruptione deponunt. Porrò ad Dæmonum intelligendam ſubſtantiam, & naturam, id quoque expendendum venit: Dæmones nimirùm nec ſubſtantiâ, nec quantitate infinitos eſſe, quemadmodum aliàs Deum exiſtendo infinitum eſſe diximus. Licèt ergo Philoſophis infinitum ſit, quicquid incorporeum eſt: Dæmones tamen, ùt alia quæcunque ſunt præter unum Deum, finitos eſſe perhibemus: quod ſuo loco demonſtravimus, ubi Deum oſtendimus ſubſtantiâ, & unitate infinitum eſſe: ſubſtantiâ quidem, quòd hac ipſa omnia ſit: unitate quòd ſolus in hunc modum exiſtat. Quantitate autem finitos eſſe Dæmones hinc facilè liquet: infinitum enim eſt quantitate nihil, quod multum eſt, nec ulli, quod partem extra partem habet,

competit infinitum. At verò multos eſſe Dæmones, præter experientiam, hoc ipſum manifeſta quoque ratio ſatis atteſtatur. Bonum enim, cujus causâ creati ſunt Dæmones, non unitatem requirit, ſed multitudine præſtantius evadit, cùm melius ſit plurimos, quàm unum modò juſtâ Dei laude, felicitatem conſequi. *Nic. Taurellus.*

Philoſophi Spiritus dicunt eſſe ſubſtantias cogitantes, i. e. volentes, nolentes, &c. Spiritus autem creatos hinc faciunt Animas hominum, & Angelos, nunc bonos, nunc malos, quos communiore hodie acceptione nuncupant *Dæmones.* Quanquam enim antiquitùs hoc Dæmonis vocabulum fuerit uſurpatum promiſcuè ad indigitandos bonos maloſvè Angelos; hodiernâ tamen die nihil aliud ſignificatum volunt eâ voce, quàm malos Angelos, à conſpectu Dei proſcriptos & damnatos, qui in Mortalium perniciem nihil non moliuntur.

De Dæmonum differentiis.

CAP. III.

DÆMONUM Magi triplicem conſtituerunt differentiam, ut refert Agrippa: ſiquidem alios ſupercœleſtes faciunt, mentes nimirum penitùs à corpore ſejunctas, quæ ſoli Deo contemplando & colendo addictæ ſint, quam ob cauſam Deos illas nuncupant, propter divinitatis participationem quandam: quia ſemper ſunt Deo plenæ, divinoque nectare ebriæ. Hi Dæmones circa unum Deum verſantur, nec mundi corporibus præſunt, nec inferiorum miniſtrationi adaptantur: ſed ſuſceptum à Deo lumen inferioribus ordinibus infundunt, ſingulisque ſingula officia diſtribuunt. Hos ordine ſecundo proximè conſequi volunt cœleſtes intelligentias, quos Dæmones vocant mundanos, ſcilicet ultra divinum cultum mundi ſphæris accommodatos, unicuique cœlorum, & ſtellarum præſidentes: undè eos in totidem ordines diſtribuunt, quot in mundo ſunt cœli, & quot in cœlis ſunt ſtellæ. Tertiò ponunt Dæmones quaſi miniſtros ad ea, quæ ſunt in inferioribus diſponenda, quos Origenes vocat inviſibiles quaſdam virtutes, quibus ea, quæ ſunt ſuper terram diſponenda, credita ſunt: ſæpè enim nemini conſpicui itinera, & negotia noſtra dirigunt: ſæpè etiam præliis interſunt, clandeſtinisque ſubſidiis optatos amicis præbent ſucceſſus:

ſus: quippe conciliare proſpera, infligere adverſa pro libitu poſſe dicuntur. Illos ſimili modo in plures ordines diſtribuunt, ut alii ignei, alii aquei, alii aërei, alii terrei. Quæ quidem quatuor Dæmonum ſpecies, juxta quatuor cœleſtium animarum vires, mentem, rationem, imaginationem, naturam ſcilicet vivificam & motricem computantur. Hæc commentitia eſt Dæmonum ſcena (ut rectè Wierus inquit:) Nam nec ratione, nec experientiâ, nec Dei vel veracium authoritate comprobari poteſt: primus equidem Dæmonum ordo veritati conſentaneus eſt. Deus enim, ut infinitæ bonitatis eſt & ſapientiæ, infinitas penè ſubſtantias intelligentes creavit, ad contemplationem, amorem, & venerationem: quarum alias corporibus ſpeciei propagandæ accommodis alligavit, alias verò nullâ materiâ definivit. Hiſce primus Dæmonum ordo conſtitui poteſt: ſed quòd hunc eorum finem eſſe volunt, ut ſingulis cœleſtium Dæmonum ordinibus ſuſceptum à Deo lumen infundant, hoc præter philoſophicam veritatem eſt, & horrendam in ſe continet idololatriam: cùm hac ratione Deos nobis obtrudant gentilitios. Quinimò ſi philoſophicè agendum ſit, facilè hujus opinionis detegetur abſurditas. Quis enim ſanæ mentis unquam aſſeruerit ſubſtantias nobiliores ignobiliorum causâ conditas eſſe? Cœleſtes autem intelligentiæ primis hiſce Dæmonibus ignobiliores ſunt: Cur ergo cœleſtium animarum causâ Dæmones ſupercœleſtes eſſe ſtatuerimus? Eâdem etiam ratione cœleſtes intelligentiæ confutari poſſunt. Cùm enim hæ nobis, & nos ſphæris cœleſtibus nobiliores ſimus, non videtur veriſimile cœleſtes intelligentias noſtri causâ, ſphærarumque cœleſtium multò minùs eſſe creatas. Cæterùm de mentibus cœleſtibus aliàs à nobis actum eſt, ubi docuimus, abſurdiſſimam eſſe Philoſophorum ſententiam, qui mentes cœleſtes hoc nomine conſtituerunt, ut materiæ primæ potentiam, quâ corruptibilia ſunt omnia corporea, cohiberent, & curſu certiſſimo ſphærarum motus moderarentur. Nam hæc opera ab intelligentiæ naturâ ſunt alieniſſima, & imperfectum opus eſt, quod externo indiget adminiculo: veluti corruitura domus fulcimento. Verùm quòd hîc à Magis cœleſtibus intelligentiis alius finis adſcribatur, nimirum ut ſuis influentiis (ut vocant) Dæmones imbuant inferiores, adeoque variis virtutibus humana negotia gubernent, non minùs hoc veris rationi-

bus adverſatur, quàm quod modò confutavimus. Nam ſi cœleſtes influentias admiſerimus, eæ tamen ſolùm ſunt naturales, nec iis animæ noſtræ afficiuntur, niſi quatenùs corporibus obnoxiæ ſunt. Sed quis mentium incorporearum effectus dicet eſſe naturales? Infimus Dæmonum ordo Genios comprehendit, qui ex geniturâ duces, & rectores humanarum actionum, pro vario cœleſtium aſtrorum poſitu contigerunt. Ecquid hâc de re ſentiendum eſt? Certè ſi vera ſit Aſtrologorum ſententia, non ſcilicet fortunis, aut infortunio virtutibusque & vitiis obnoxios eſſe, prout hunc aut illum ex cœleſtibus aſtris dominum obtinuerimus? Nequaquam tamen hoc mediantibus mundanis Dæmonibus fieri conceſſerim, cùm nullus omninò Dæmon cœleſtium corporum actionibus ſubjiciatur. Itaque cùm differentias ab ipsâ rerum dividendarum ſubſtantiâ deſumi oporteat, ut veras ſpecies conſtituant: Dæmonum differentias inveſtigare non poſſumus, utpote quorum ſubſtantiæ ſubtiliores ſint, quàm ut earum diſcrimina noſter aſſequi poſſit intellectus. Siquidem verum ſit, quod Philoſophorum aliqui perhibent, Dæmonum videlicet alios immortales, & alios eſſe mortales, hinc differentia meritò deſumetur, cùm quod mortale eſt, ejuſdem nequeat eſſe cum immortali naturæ: ſed commentitia eſt hæc hominum Philoſophiæ imperitorum opinio, ſi vel ipſe Cardanus voluminoſus inſtiterit. Incorruptibiles enim ex ſeſe ſunt omnes Dæmones, ut animæ noſtræ: nec interire poſſunt, niſi eodem, quo facti ſunt à prima causâ, modo in nihilum redigantur. Hoc autem non velle primam cauſam, ex eo Dæmonum fine, ob quem creati ſunt, evincitur. Is ſiquidem eſt, qui ſubinde magis magisque perficiatur; cùm rerum corruptibilium ea ſit ratio, ut finem extra ſe ſuum habeant, qui ſuo tempore ſuam conſequatur perfectionem, adeoque opere nacto conquieſcant actiones. Mundus ex ſeſe in æternum uſque conſiſtere poteſt: hoc tamen non feret Deus, cùm eo fine factus ſit, ut ex eo certa hominum multitudo naſceretur. Hunc finem mundus non æternitate, ſed definito tempore conſequetur, ut aliàs copiosè docuimus: tumque mundi actiones deſinent, & mundus alius in hujus locum ſubſtituetur, cujus finis ſit ab hoc longè diverſiſſimus. Sed Dæmonum & hominum finis ita ſe habet, ut nullo tempore definiatur, quin perfectus quidem per ſe, nunquam tamen abſol-

absolvendus, perpetuò magis perfici possit. Porrò licèt Dæmonum substantia nobis incognita sit, ex variis tamen eorum actionibus differentias elicere licebit. Probè quidem, si modò diversæ sint Dæmonum actiones, & eæ nobis innotescant. Constat hoc multorum experientiâ, & sacrarum etiam literarum authoritate, Dæmones alios bonum; alios verò malum operari. Differentiam hinc ergo sumemus, ut bonitate & malitiâ distinguantur Dæmones. Verùm hoc accidentis esse, non substantiæ discrimen, hinc liquet: siquidem malum, quod in malis est Dæmonibus, non ipsius Dei, sed ipsorummet Dæmonum effectus sit. Quòd verò seipsos non fecerint Dæmones, aliâs ostendimus, ubi solius hoc esse Dei, multis argumentis demonstravimus. Cùm tamen nullum hoc ipso discrimen apertiùs habeatur, ferri poterit. Cacodæmonum multos Theologi constituerunt ordines (ut refert Wierus) novem Angelorum gradibus adversantes, quorum *primi* ψευδόθεοι, hoc est, *falsi Dii* nuncupantur, qui assumto divinæ majestatis nomine, pro Diis coli volunt, sacrificiisque & adoratione honorari: sicuti Satan ille, qui Christum tentavit, *Matth.* 4. *Marc.* 1. *Luc.* 4. *Secundo* habentur loco Spiritus mendaciorum: cujusmodi fuit ille, qui egressus est Spiritus mendax in ore Prophetarum Achab. 3. *Reg.* 22. Hoc Dæmoniorum genus sese oraculis immiscet, & Pythiorum fatum divinationibus ac prædictionibus homines ludificat. *Tertio* ordine censentur iniquitatis vasa, qui Spiritus sunt malorum inventores, omniumque artium pravarum: qualis apud Platonem Theutus ille Dæmon, qui ludos & aleam docuit. Vasa furoris, *Esajæ* 13. Vasa iræ, *Jerem.* 50. Vasa mortis, *Psal.* 7. *Quarto* loco, ultores scelerum. *Quinto*, præstigiatores, qui miracula imitantur, & magis infamibus, maleficiisque inserviunt, atque ita populum seducunt, *Eccles.* 39. *Sextæ* classi assignantur aëreæ potestates se tonitruis, fulminibus, ac fulgoribus miscentes, corrumpentes aërem, pestilentias & alia inducentes mala, *Apoc.* 13. *Septimam* mansionem tenent Furiæ, seminatrices malorum, discordiarum, bellorum, & vastationum, *Apocal.* 7. *Octavam*, criminatores & exploratores. *Postremam*, tentatores, & insidiatores, qui singulis adesse hominibus creduntur, mali Genii idcircò nuncupati, *Apocal.* 9. Non dubium est quin Diabolus, quibuscunque potest artibus, generis humani perniciem machinetur. Ut ergò regnum

gnum ipſe ſuum amplificet, multis hominum myriadibus, ad ſe pertractis, veriſimile eſt, ad hanc rem certis Dæmonibus certa eſſe officia diſtributa: aliàs enim unus & idem Cacodæmon varias poteſt exercere fraudes. Verùm quòd hæc certis rationibus demonſtrari nequeant, non eſt, ut in iis immoremur diutiùs. *Nic. Taurellus.*

De Dæmonum poteſtate.

CAP. IV.

ANIMÆ noſtræ corporibus alligatæ ſunt, quo fit, ut intellectu ſolo, qui liber eſt, hanc corporum cœleſtium, & elementarium molem ſuperare poſſimus; nec, niſi quod membra ferunt operemur: ſed Spiritus ab omni corporis vinculo ſoluti ſunt, nec ullo corpore, quantumvis denſo, impediuntur, quin quò libuerit, ferri poſſint. Cùm itaque Dæmones ſubſtantiæ ſint huic mundo nequaquam ſubditæ, ſi quid agant, id mediis naturalibus alligatum non eſt: nam nihil habent naturæ contrarium, ut ab hac afficiantur naturaliter, & ſubſtantiæ non naturâ ſuperiores, ut in hæc agant naturalia, licèt ab iis nihil omninò patiantur, cujuſmodi cœleſtium eſt in hæc inferiora poteſtas. At verò limitatam eſſe Dæmonum potentiam, hinc colligere licet, quòd eorum malignitas tanta proculdubio ſit, ut ſi poſſent, omnes homines, univerſamque naturam penitùs everterent. Ut autem limitata ſit, paucis exponemus, licèt hoc arduum ſit maximè, cùm hac in re varia ſint hominum judicia. Nam infinitis penè plurimorum authorum hiſtoriis, tot tantæque Magicorum vires eſſe perhibentur, quod quotidiana quoque teſtatur experientia, ut nihil non poſſe videantur Cacodæmones. Contrarium exiſtimant aliqui, meras ſcilicet eſſe illuſiones, quæcunque Magicis, & Lamiis attribuuntur. Non equidem inficior, quin multa Dæmones edant miracula faſcinatione, ſed id tamen inficiari non poſſumus, quin reipsâ, quod agunt, quandoque comprobetur, ut pòſt incantationis exempla teſtabuntur. Dæmones itaque, licèt ob admiſſum peccatum à bonorum Angelorum cœtu repulſi ſint, eorum tamen vires eis ereptæ non ſunt, ſubſtantiâ manente incolumi. Spiritus ergo ſunt, ut ab initio, potentiſſimi: ſed duplici ratione tamen impediuntur, quominus, quicquid lubet, efficere poſſint. Prima quidem, cùm finitæ ſint ſubſtantiæ: Dein verò, cùm id ipſum, quod

poſ-

poſſunt, id etiam, Deo inhibente, non poſſint. Licèt enim quidvis poſſe Dæmones admiſerimus, non proinde tamen hoc citra limitationem intelligendum fuerit: cur ſolus Deus ſimpliciter omnia poſſit, nullo quod vult, impediente. Proprium definiunt eſſe Logici, quod omni, ſoli, & ſemper convenit. Cùm ergò præ nimiâ triſtitiâ ridere non poſſim, ridendi tamen potentiam habeo nihilominus: quis dubitat, quin Cacodæmon hominem enecare poſſit, vel ei abſconditiſſimos etiam ſuffurari theſauros? Quis etiam dubitat, quin velit? non fit hoc tamen, quòd hæc ejus potentia potentiori potentiâ cohibeatur. Jam verò ſi permittat Deus, quid poſſint Dæmones, inquirendum eſt. Finitæ ſubſtantiæ finita etiam eſt neceſſariò potentia: cùm ergo Dæmones ſubſtantiâ finitos eſſe conſtet, utique potentiam obtinebunt finitam & determinatam. Determinata autem eſt non ut noſtra rebus naturalibus, ſed rebus non naturalibus, negatione nimirum, & privatione. Quod ſic intelligi volumus, ut ob negationem non poſſint aliquid ex nihilo facere: ob privationem nequeant aliquid ex aliquo facere perpetuò, cùm quidvis ex quovis facere pariter infinitatem denotet, atque ſi quid ex nihilo fiat. Materia namque nihil ad effectum inducendum conferens, nihili rationem obtinet. Hinc eſt, ut rectè pernegent aliqui, Dæmones quemquam in lupos tranſmutare poſſe, qua de re paulò pòſt agetur. Hoc itaque de limitata Dæmonum poteſtate licet aſſerere, ſubſtantias nimirum eos facere non poſſe: nam nec abſque, nec cum mediis: ſiquidem hoc ipſius naturæ proprium; illud verò facere, Dei ſolius eſt. Ex Dæmonum coitu mulierculas concipere poſſe, unde homines naſcantur, id abſurdiſſimum eſt: hoc enim Deus ſolis conceſſit hominibus. Etſi fortè Dæmon mulierculas ſubagitans, maſculo cuipiam ſemen ſuffurari poſſit: ineptum id tamen erit ad generationem, cùm ſubitò vis ejus evaneſcat, ubi externum aërem offenderit. Præterea ſubſtantias etiam corrumpere nequeunt Dæmones abſque mediis naturalibus: nam hoc quoque Dei ſolius eſt. Hanc ob cauſam, non videtur, Dæmones in cœleſtia potentiam habere, quòd in ea nihil agant naturaliter, niſi fortè aſtrorum poſitus immutare valeant. Verùm nec id eos poſſe, hoc univerſali theoremate liquet: *Deus unicuique ſubſtantiæ dedit, quantum ad finem conſequendum ſatis erat.* Sed hoc nihil ad Dæmonum finem facit, ut cœleſtia

leſtia tranſmutare poſſint. De ſubcœleſtibus alia eſt ratio, in quæ Deus agi voluit naturaliter, ad rerum inducendam viciſſitudinem. *Idem.*

De miraculis Cacodæmonum.

CAP. V.

ETSI verò limitata eſt Dæmonum poteſtas, ut non quidvis poſſint; multis tamen hiſtoriis, & experientiâ quoque quotidianâ conſtat, plurima operari ſæpenumerò Cacodæmones: quæ cùm nullo rationis diſcurſu aſſequi poſſimus, inter miracula meritò recenſentur. Verum quidem eſt, ob inſcitiam quandoque miracula nuncupari, quæ non ſimpliciter, ſed alterius reſpectu, miracula ſunt, cùm fiant hæc naturaliter. Nequaquam tamen quæcunque Cacodæmones operantur, fieri ſtatuenda ſunt naturaliter: cùm enim (ut anteà dictum eſt) ſubſtantiæ ſint incorporeæ, ſuas abſque mediis naturalibus exſerunt actiones. Hinc in tenebris videre poſſunt, & pernici motu feruntur, quò libet, nullâ corporum denſitie motum impediente: ut loquantur, inſtrumentis, ad vocem exercendam aliàs neceſſariis, nequaquam indigent: ut oraculorum ex idolis reſponſa teſtantur, & Magi, quos ἐγγαστριμύθους, aut *ventriloquos* appellant. Hæc certè mentis noſtræ captum excedunt, cùm naturali modo non fiant. Aliud autem eſt miraculorum genus, quod Dæmones per Magos & Lamias exercent. Hujuſmodi ſunt opera & prædictiones. Hæ præſentia, præterita & futura complectuntur, quæ quidem inſcientibus prædici dicuntur. Etſi verò Dæmones multa lateant, (ſolum enim Deum καρδιογνώστην volunt eſſe Theologi) nec ipſi quoque nôrunt Angeli, quo tempore venturus ſit filius hominis, ad hujus vitæ conſummationem: nihilominùs tamen multa Magi prædicere ſolent, quæ res ipſa & futurorum exitus, magnâ multorum admiratione, comprobat. Opera verò Magorum varia ſunt, & quæ miraculis annumerari poſſint, licèt multi nimis ſollicitâ præſumtione Dæmonum poteſtates, neſcio quo rationis diſcurſu, naturæ viribus alligare conentur. Itaque nonnulla referemus, quæ fieri judicamus miraculoſo potiùs modo, quàm naturali. Primùm enim Magos conſtat, & Lamias per aërem motu ferri velociſſimo, & ſuper aquas inambulare: ut Odde pirata, qui abſque navi altum

altum mare pererrabat. Noxias quoque tempeſtates inferunt. Hoc aliqui pernegant obſtinatè, judicantes Cacodæmonem, ut qui bonus ſit Aſtronomus, futuras animadvertere tempeſtates, & eo tempore, miſeris perſuadere mulierculis, ut hac aut illâ ratione pluvias aut grandinem ſibi cauſare videantur: aëris tamen dominus appellatur Cacodæmon: nec veritati contrarium hoc eſſe videtur, ſi tempeſtates eum inducere poſſe crediderimus. Cùm enim alia poſſit plurima, quæ præter omnem noſtræ rationis captum exiſtunt, quî non poſſit ea, quæ fieri ſolent, etiam naturaliter? Subſtantias ipſe quidem facere non poteſt, ut anteà diximus: quod tamen non citra conditionem intelligendum fuerit, cùm ſubſtantias facere poſſit naturâ mediante. Poteſt itaque Cacodæmon nubes diſrumpere, vel aliò transferre, magno etiam ventorum turbine: aquas quoque ſurſùm tollere poteſt, vel eò ubi in grandinem commutentur. Hâc & aliis rationibus, quæ nobis incompertæ ſunt, Cacodæmonis ope tempeſtates inferunt Lamiæ: Deo tamen hoc ad puniendas regiones permittente. Prætereà Magi (quò nomine complectimur omnes, qui Cacodæmonis auxilio fruuntur) præſtigiis & faſcinatione, incantatione & veneficio plurima præſtant. Faſcinatione quidem ut ſpectantium oculos circumveniant, atque adeò inviſibiles reddantur, aut varias aſſumant corporum formas: hinc Manes & mortuorum animas in corpora ab inferis revocare creduntur Necromantici, qualis ea Saga fuit, quæ Sauli deſperabundo Dæmonem effigie Samuelis obtulit. Veneficiis autem varios inferunt morbos, & curant modô, qui nobis incognitus ſit, aut certè, qui naturalem humani corporis modum ſuperet, methodicamque curandi rationem. Hinc infantes etiam, & varia pecora enecant Lamiæ, quod utique credendum nobis eſt experientiâ frequenti, & multorum fide dignorum relatione convictis. At verò ſi meras eſſe dicas Dæmonis illuſiones, quibus irretitas muliercularum mentes eò dementiæ deducit, ut ſe facere credant, & feciſſe fateantur, quæ nec ipſæ, nec Diabolus ipſe fecerint: hac, inquam, ratione ſi liceat effugere, quidvis etiam manifeſtiſſimum pernegare licebit. Cæterùm de morbis illatis, & morborum curationibus dubitari meritò poterit, an naturaliter procedant: cùm anteà dixerimus, Dæmones ſubſtantias corrumpere non poſſe, quin ad id mediis utantur naturalibus: ſiquidem

dem hoc ſolius eſt infinitæ ſubſtantiæ, ut quid abſque mediis fiat. Ad ſubſtantiarum verò generationem & corruptionem media Deus nulla, præterquàm naturalia conſtituit. De Duffo Rege Boëtius lib. 11. hiſtor. Scot. hiſtoriam refert, quam Cardanus ſatis ineptè refutavit: mendacium eſſe volunt, quod fieri non potuiſſe judicent Cardanus & Wierus, ut ex liquefactâ ad ignem cerâ veneficarum, Duffus rex tabe conſumtus enecaretur. Quis adeò mentis impos fuerit, ut hanc vim ceræ liquefactæ tribuendam eſſe judicet? de mediis magicarum artium quid ſentiendum ſit, poſtea dicetur: hic autem quæri debet, an Diabolus Duffum regem, modo præternaturali tabe conſumere potuerit, cauſis nimirùm & ſymtomatis, quæ præter naturalem tabis rationem exiſtant? Duffus rex abſque ullo bilis, aut pituitæ, vel alterius humoris noxii ſigno, vel læſi temperamenti, noctu perpetuis vigiliis, ſudoribus, & dolore conficiebatur: integer erat arteriarum motus; ſenſuum actiones illæſæ, & frequentior appetitus. Quibus utique ſignis docetur, nequaquam naturalem fuiſſe morbum. At verò non ob id exiſtimaverim eſſe mendacium, quod hìc de Duffo ſcribitur: Diabolus enim morbos complures inferre poteſt, quorum nobis incomperta eſt ratio. Poteſt & hoc, quòd ſubtilis exiſtens, facilè corporis partes univerſas pervadat, quas conſtringat, divellat, aut aliter excruciet: viſcerum quoque actiones ad vitam ſuſtentandam neceſſarias, inhibere poteſt, ut paulò pòſt de Magorum incantatione dicetur. Quin & tetro halitu, variisque venenis nobis incognitis, pulmones, aliásve corporis partes inficere poteſt, unde morbi præter naturalem modum exoriuntur. Sed corporis tamen corruptionem inducere nequit, niſi mediante naturâ: cùm enim gladio vita abrumpitur, mors hæc propriè corruptio eſt, ſed tum modò, cùm corpus emortuum in aliam convertitur ſubſtantiam, aut computreſcit. Cæterùm id etiam à nonnullis in dubium vocatur, an Dæmones morbos, quos ipſi non intulerunt, curare poſſint? Hoc negant aliqui, nullis tamen rationibus, aut certè leviſſimis. Ad hanc rem confirmandam hoc argumentum nonnihil ponderis habere poterat, quòd morborum remedia, cauſis eorundem oporteant eſſe contraria: nec curari poſſint naturaliter, quæ cauſas habent præternaturales: ut eâdem ratione convinci poſſe videantur morbos, qui naturalibus ex cauſis orti ſunt, ſaltem mediis diſcuti

cuti poſſe naturalibus. Utut tamen philoſophemur, id quotidiana docet experientia, nonnullos eſſe Medicos, qui magicis artibus, magno multorum ſtupore, morbos curent, quos ipſi Dæmones nequaquam induxerunt. Sed ad hoc, inquies, naturalibus utuntur remediis? Id quidem inficiari non poſſumus: quandoque tamen abſque mediis curant, & interdum etiam mediis utuntur, quæ Dæmonum afflatu magis, quàm inſitis à naturâ viribus, morbos propellunt. Etſi verò morbos naturaliter illatos, remediis oporteat diſcuti naturalibus: applicationis tamen modus, quo morbi naturales à Dæmonibus curantur, talis eſſe poteſt, qui noſtras ſuperet vires. Calculum (exempli gratiâ) qui major fuerit urinæ ductibus, confringendum eſſe novimus, vel aliâs magnâ vi opus eſſe, ut extrudatur: ſi neutrum, vel ob magnitudinum, vel ob duritiem vel ob ægrotantis imbecillitatem adhibetur, remediis fieri nequeat, morbus methodicis Medicis cenſebitur incurabilis, quem Magi tamen facilè Dæmonis ope diſcuſſerint: is enim, cùm ſingulas corporis partes citra impedimentum permeet, quid obſtiterit, quò minùs lapidem etiam duriſſimum conterere poſſit? De cæteris idem eſto judicium. Veruntamen, ut aliâs diximus, Dæmonum limitatam eſſe potentiam, id nunc etiam obſervandum fuerit: non enim quoſvis morbos abſque diſcrimine curant Cacodæmones, ut paucis oſtendemus. Morborum curatio, vel naturalis eſt per alterationem, aut generationem? vel violenta per ablationem eorum, quæ præter naturam in corpore continentur, aut reſtitutionem eorum, quæ dislocata ſunt; vel divina, quæ ſubſtantias immutat modo ſupernaturali. Diabolus equidem uſu naturalium medicamentorum, quæ nobis incognita ſunt, & violentâ curatione multos curat morbos, qui nobis ſunt incurabiles. Sed tamen alia eſt morborum curatio, quæ ſolius eſt Dei, vel eorum, quibus ex ſingulari gratiâ conceſſum eſt divinitùs: ut ſi pars aliqua vel amputata, vel corrupta fuerit, aut emortua, nullâ Dæmonum ope reſtituetur. Notus eſt in Helvetia Magus, qui gloriatur, ſe membra penitùs comminuta æquè facilè reſtituere poſſe, atque ſi leviter ſaltem eſſent confuſa. Sed vereor, ne vana ſit arrogantia. Porrò maximè admiranda ſunt ea, quæ præſtant incantatione Magi, dum corporum naturalium, aut animalium actiones præpediunt: ut Fauſtus, qui ruſticis ebriis, & nimioperè vociferantib. ora diſ-

tenta ligavit, ut taciti consisterent. Sic quandoque Veneris opus inhibetur: ignis ligatur, ut urere non possit: sanguis profluens sistitur: animalia, ut talpæ, serpentes aut aves coguntur: vulnerantium vis impeditur, ne vulnus infligere possint. Ad eundem modum ligantur mercatores, lusores ad lucrum, fures aut latrones, fulmina, &c. ad securitatem, & alia plurima, quæ partim ementita, partim ludicra existimat esse Wierus, ut ad illusiones, aut impiam crudelitatem potiùs, quàm ad vera miracula referri debeant. Sed vereor, ne dum volumus esse creduli, vitium non effugiamus incredulitatis. *Idem.*

DE SECRETIS

LIBER III.

Præcedentibus libris duobus de Deo Homine Natura, & Angelis breviter à nobis actum est, & eâ quidem ratione, ut in his secreta exposuerimus quæ contemplatione, non autem externâ operatione noster assequitur intellectus. Cùm nunc igitur ordinis ratio postulet, ut ea quoque tradantur, quæ non sciendo, sed non scienter operando, arte nimirum dextrâ sic efficiuntur, ut plurimis ignorata meritò secretis annumerari possint, ob id hoc libro de præcipuis mundi partibus, Cœlo nimirum, & Elementis acturi sumus: sequentibus verò libris ea, quæ in hisce partibus continentur, expediemus.

DE ASTRIS.

CAP. I.

De Sole, & Luna.

SOL proprii ignis siccitate humidam substantiam exhaurit. Luna verò per se ipsam humectans, convenientem juxta sese mixturam & temperaturam operatur. Sotion illunes appellat dies, à lunâ vigesimâ nonâ, usque ad secundam, iidem interlunares, & silentis

lentis Lunæ ab aliis appellantur, in quibus ſub radios Solis Luna occultatur, & hominibus non apparet. *Ptolomæus.*

Solem corpus eſſe Sphæricum, Lucidum, admodum fluidum & ardens, nemo facilè negabit, qui effectus illius probè conſideraverit. Rotunditatem conciliare dicunt Materiam ſubtiliſſimam, Solare corpus conſtituentem, quæ dum è corpore Solis pernici ſuo motu in primâ creatione acquiſito, undique rectâ lineâ ferri conatur, à circumſtante fluidâ & magnam quoque partem globulosâ Ætheris ſubſtantiâ æqualiter per totam Solis circumferentiam premitur, ſicque rotundam neceſſariò figuram conciliat. Lucidum verò eſt corpus Sol, quia Materia ſubtilis, è quâ componitur, undique ex eo, tanquam centro quodam, proruere tentans circumjacentes, ſibique incumbentes cœli globulos undique premendo, præter eos motus, quos tanquam corpora fluida habent, impreſſionem illam addunt, quæ requiſita eſt ad oculos noſtros afficiendos, ſive ad illa filamentorum extrema concutienda, quæ in fundo oculorum noſtrorum reconduntur. Sol proin Corpus non eſt ſolidum, ſed ex materiâ valdè fluidâ & mobili conſtat, quod non ratio tantùm, ſed & Mathematicorum obſervationes ſuadent. *Quippe Simon Marius* teſtatur, ſe corpus Solare per Tubum opticum conſpexiſſe fervens, non aliter quàm Aurum in Fornace liquefactum. *Athanaſius Kircherus in Arte magnâ Lucis & Umbræ* ſcribit, ſe Solem ſpectâſſe, tanquam mare fluctibus aſperum, & fluctuantibus undis criſpum. Nonnullos ego novi, qui mihi non ſemel aſſeverârunt, totam Solis circumferentiam ebullire, aquæ inſtar in lebete ferventis, non ſemel, dum Romæ agerent, Helioſcopio ſpectâſſe. Unde omnes hodierni alicujus notæ Philoſophi aſſerunt, Solem eſſe Ignem & pro flammâ habendum. Quippe illud corpus, quod calidum ſimul & lucidum eſſe experimur, haud dubiè ignis eſt; verùm calorem & lucem Soli ineſſe experimur vel ipſis ſenſibus noſtris, Tactu & Viſu, nec aliquid in Igne reperitur, quod Soli æquo jure tribui nequeat. *Le Grand Phyſ.*

Quamvis Sol varias in orbe Terrarum procreet tempeſtates, & præſentiâ ſuâ calorem ubique producat, contrarium tamen ſub zonâ torridâ paſſim contingit, in quâ Sol perpendiculariter imminens continuè vapores in altum attollit, eosque hinc in mediâ aëris regione coagulatos iterum diſſolvit in imbres refrigerantes, quibus verò Sol per-

pendiculariter non incumbit, ob defectum ejuſmodi imbrium calidiores longè æſtates habent. Solis Eclipſis ſemper ab Occaſu incipit, Lunæ autem ab Ortu: ratio eſt, quia Luna motu ſuo in ortum parte ſuâ orientali partem occidentalem tam umbræ terrenæ, quàm Solis ſubit. Unde fit, ut ipſa quidem ſui parte orientali propter occidentalem Umbræ partem deficere incipiat. Sol verò è diverſo occiduâ ob orientalem Lunæ. Et quoniam pars ultimò deficiens lucem ultimò recuperat, fit, ut defectus in Lunâ ad occaſum deſinat, in Sole autem ad ortum. *Idem.*

Luna Corpus eſt opacum è Materiâ craſsâ compoſitum. Facies ejus ſemper eadem telluri objicitur, habetque areas, maculas & umbras, quæ illam intercipiunt, quæ cùm ſolis radios tranſmittunt, vel abſorbent, tenebras pariunt, & obſcuriorem ſuperficiem pariunt. An in corpore Lunæ viventia ſint, ſcire hactenus nemo potuit, veroſimile tamen aliquibus videtur, talia quoque corpora in Lunâ exiſtere, creſcere, vegetari &c. Aſt certò quid hâc in re dicere non audemus. *Idem.*

Fortuna cujuſcunque anni quomodo conjectari liceat.

Fortuna cujuſcunque anni ex aſtris conjectari facilè licebit, ſi XII. XIX. VIII. IV. ac XXX. præcedentes quis conſideraverit, & ad præcedentis anni conditionem comparaverit. *Exemplum.* Volo ſcire, quæ conditio futura ſit anno 1554. inchoante mihi 24. die Septembris, uſque ad annum 1555. eâdem die. Primùm conſidero annum 1542. & eo anno feci iter nullâ causâ, ſuſcepi filium, fui infortunatus in lucro causâ meâ, non quòd multi non me quærerent: edidi quædam: igitur cùm nunc non habeam uxorem, reliqua omnia proportione habitâ correſpondebunt. Similiter conſidero annum 1535. in quo fui infeliciſſimus, ut unquam in vitâ: triſtis, anxius, cum timore, parvo lucro; & ita comparabo hunc annum anno 1553. ſicut annum 1535. anno 1534. in quo fui ſatis felix. Idem ego faciam de anno 1546. in quo habui augmentum lucri, ſed anxietatem magnam, & oppreſſus fui multùm: ſimiliter ad annum 1550. me referam, in quo fuit etiam anxietas magna, & ita ad annum 1524. in quo ſuſcepi in fine anni honorem cum contentione, ſine utilitate, & cum anxietate magna. Cauſa vero horum eſt XII. quia Jupiter redit ad eundem locum in natalitio die, & completur ordo XII. ſignorum in proceſſu: & Ptolomæus multum tribuit huic reditui: nec

eſt

eſt veriſimile, quòd tantùm tribuerit huic circuitui locorum principalium, niſi id experimentis multis comprobàſſet: ideò hic circuitus eſt potentiſſimus, & ſignificat ſupra vitam, honores, & divitias, ac magiſtratus principaliter. XIX. eſt, quia Luna redit ad eundem locum fermè, & quandoque etiam Mars, & ideò ſignificat ſupra corporis ſtatum, itinera & fortunam, animiſque qualitates ſenſusque. Octavo anno redit Venus ad locum ſuum, ideò ſignificat gaudia, dona & filios, converſationem cum mulieribus fermè ſimilem (ut dixi) comparando tamen ſemper ſtatui præcedentis anni: nam nec cæcus videbit, nec pauper ditabitur, ſed omnia habità proportione ſunt metienda. Quarto anno redeunt loca aphetica ad trigonum ſuum, quod etiam contingit octavo anno: ideò quartus eſt imbecillior, & hoc proceſſu, propter motum etiam Solis aſcendens, & cuſpides ad idem redeunt: ideò tales anni magnam habent ſimilitudinem cum ſuis correſpondentibus, in omnibus: non tamen adeò exquiſitam, ut octavus & multò minùs quàm duodecimus. Sed trigeſimo anno Saturnus redit ad ſuum locum, ideò ſignificat eaſdem actiones in laboribus, & cultu rerum ſtabilium, ſed hæc ſimilitudo eſt valdè parva propter ætatum mutationem. Hæc autem non ſunt ſemper vera, ſed etiam omnes aliæ regulæ rerum naturalium, & eò magis, quòd directiones perturbant omnes iſtos ordines. Sed directiones ſignificant unam rem tantùm, & non abrumpunt, niſi ordinem duorum annorum, non reliquorum. *Cardanus.*

Quomodo interdiu aſtra contueri liceat.

Omnibus jam eſt planum, exiguum lumen potiori vividioriſque propinquum evaneſcere. Si facem, vel flammam aliquam luculento appoſueris Soli, diſſipatur lumen, & marceſcit: deliteſcunt interdiu ſtellæ Solis fulgore nimio, quum æquè diu noctuque ſplendeant: eas igitur intuituri remedio non fuerint deſtituti. Die magno Solis defectu cùm lumine orbatur, & profunda tegitur caligine terra, nec oculi offenduntur luce, ſideribus cœlum diſſeminatum conſpicitur: quod ſuis accidiſſe temporibus Thucydides memoriæ mandavit, noſtroque ſæpè patuit ævo: nec oculi ſolùm vehementi caligine lucent, ſed offenduntur, ut de Xenophontis militibus legitur, & de Dionyſio Siciliæ tyranno, qui ſplendidiſſimâ luce, carceribus tetris obductos occœcabat: cùm enim oculorum acies obſiſtere Soli

nequeat, nec ferat, hebetatur illicò, quique fuerint aliquò conſpecturi, ad cilia manus obtendunt, vel propugnaculum aliud. Hinc auſpicamur: qui ea conſpicere affectabit, uti è Galeno, & Philopona docetur, in prælatum deſcendat puteum, vel hujuſmodi ſimile, ut per tenebras multumque intervallum cœlum contueatur, ſerenum utique, nec obtectum nebulis inconvenientibus oculis, & ſine nictatione clàm intueatur aſtra, & lucentia. Plurimæ enim ibi tenebræ, noctis inſtar) viſum congregant, nec à lumine ſuperfuſo diſſipari ſinunt: non id tamen periclitaberis Sole meridianum occupante: magno enim impedieris lumine: & ſi profundiùs deſcendas, clariùs conſpicies, & celeriùs: ſin minus, obſcuriùs & tardiùs.

Si profundo cæcoque aliquis demerſus antro, in Sole candelam ardeſcere conſpiciet, quod tamen ſplendidiſſimæ lucis occurſu repentino non evenit, quia à majori Solis vetatur lumine. Sic quàm plurimos haud minimæ auctoritatis viros hallucinatos reperi, uti ſæpè legiſſe, & audiviſſe memini, ſi diu aſtra conſpectari nequeunt, tali ea contemplari aggrediuntur artificio. Speculo aquæ immerſo in meridie cœlo ſtellas ſe contueri fixas credunt, oſtenduntque. Perpendiculares enim Solis radii in aquæ ſuperficiem incidentes, ſpeculum obliquè feriunt, ex cujuſmet ſuperficie ad ſpectantes oculos bene locatos intorquentur, Solisque repræſentant figuram: at radii obliquè aquam percutientes, inde refracti ſpeculum & viſum feriunt: videbitur ejuſdem figuræ, & minor, propter denſioris medii refractionem, aſtrumque videre putabis, Solis corpus inſequens, quod patet in opacis. Ideò Stilbon illud putant multi, quum parum à Solis corpore recedat, eumque ſemper conſequi conſpiciunt. Caniculæ aliqui ſidus, & æſtivis ideò diebus viſere properant: quòd ſi minùs demonſtrationi fidem adhibes, ſed experientiæ ſenſuique magis credis: verum illius in æquinoctiali requirito intervallum, nec eandem ſemper reperies diſtantiam, ut nunc remotiora, nunc verò propinquiora ſidera videantur: quod ſpeculo eandem ſemper diſtantiam monſtrat, ſi æquè appoſueris: non tamen inficior tali ope non modò orientem, occidentémve Solem, ſed meridianum occupantem liberiùs non poſſe contueri: prætereo luminarium defectus. Cùm enim oculi imbecilli, cominùs Solem conſpicere non ſuſtineant nimio lucis ſplendore; ſic clarâ luce, robore

re nullo, ac diſci cernes ſimilitudine, nec minùs nigro panno, vel papyro, parvo foramine pervio. *Joan. Baptiſta Porta, de Magia naturali.*

DE IGNE.

CAP. II.

IGNIS cùm nunquam excitetur niſi prævià corporum attritione, diviſione & motu celeriore; cumque metalla puriſſima, duriſſima, & minimos habentia poros, reſolvat & liquefaciat, quod certè ſine efficaciſſimo motu particularum ſubtiliſſ. minimis illorum poris ſeſe inſinuantium perfici nequit, credendum eſt, Ignem eſſe congeriem particularum ſubtilium rapidiſſimo motu ad ſe invicem allidentium. *Senguerdus.*

Candela inextinguibilis.

Candelam inextinguibilem ſic facies. Imple cannam pulvere ſulphureo, & panniculis minutiſſimè fractis. Deinde cerâ quicquid eſt inveſtito, ac incendito, multo flabello, aut vento non extinguetur. Præterea ſi ex librâ unâ ceræ & unciis duabus vivi ſulphuris, calcisque vivæ tantundem, additâ olei nucum unciolâ, formetur candela cum bombace, & in aquam mittatur, ubi primùm calx ardere incipiet, reliquas materias ignis ſeminaria agnoſcentes, ad eundem incendii actum promovebit, etiam in mediis aquis. *Antonius Mizaldus lib. Arcanorum memorabilium.*

Candela ſub aqua ardens.

Longum habeto vas, & capacitatis non incommodæ, ori lignum applicetur, quo ardens candela inſideat immobilis, & inverſo vaſe lumen fundum feriat: ſic totum aquis penitùs immergas, nec ſubintrabit aqua, cùm aëre repleatur, & ſub aquâ ardebit multùm ſecundùm vaſis capacitatem. *Joan. Baptiſta Porta.*

Candela mirabilis.

Referunt, quòd ſi partem unam halinitri ſumſeris, addideriſque thuris, olei communis & lactis lathyridis quintam ſingulorum partem, decimam ſulphuris, ceræ dimidium, candelam conficies, quæ calore, odore, motu, ac ſtrepitu erit admirabilis. Alii verò calce dimidium corticis ovi implent, partemque pyrii pulveris ſuprà addentes, cerâ concludunt, imponuntque aquæ frigidiſſimæ: nam perſæpè ignis accenditur, emicatque flamma. *Card. de varietate.*

Faces, quæ ventis non extinguantur.

Earum ellychnium ſalnitro ebulliunt & aquâ, & exſiccatum ſulphure & ardenti madefaciunt aquâ, inde Candelas hâc efficiunt mixturâ: conſtat enim ſulphure, inde caphuræ, & terebinthinæ reſinæ medietate, colophoniæ duplo, ceræ autem triplo, quatuor efficiunt candelas: eas componunt ſimul, in medio autem vivum ſulphur injiciunt, & pertinaciùs omnibus reſiſtit. Si candelam aliquam nive circumtexeris, & incendes, in nive flamma ardere videbitur. *Alexius.*

Candela, quæ nequeat extingui.

Multa ſunt mirabilia, quæ tamen cùm noveris cauſam, ceſſat omnis admiratio: veluti ſulphur cum cera æqualiter diſſolutum, eam reddit inextinguibilem: oportet autem ſulphur valdè purum eſſe. Similiter ſi candela ſulphuris pulvere tum carbonis oblita in aqua mergatur hyemis tempore, ex ſuperiore parte contecta papyro, ſuſpendaturque ubi gutta cadit glacie, circumdabitur glacie craſſiore, ardebit tum accenſa, magnoque miraculo glacies aſtantibus ardere videbitur. *Card. de ſubtilitate.*

Ignes, qui aquâ non extinguuntur, artificioſi.

Aqua ſolet vehementes accendere ignes, quoniam humidum ipſum, quod exhalat, pinguius redditur, nec à circumfuſo fumo abſumitur, ſed totum ignis ipſe depaſcitur, quo purior inde factus, & ſimul collectus à frigido alacrior inſurgit, unde etiam ignes, qui aquâ excitantur, & accenduntur: conſtat autem pice navali, & græcâ, ſulphure, vini fece, quam vocant tartarum, ſarcocolla, halinitro, petroleo. Relatum hoc ad Marcum Gracchum. Additur igitur calx viva duplo pondere, & cum ovorum luteis pariter miſcentur omnia, & in fimo equino ſepeliuntur.

Aliud.

Sulphurei olei, petrolei, juniperini olei, halinitri æquales ſingulorum partes: nigræ picis, pinguedinum anſeris, & anatis, ſtercoris columbini, liquidæ vernicis, rurſus ſingulorum tantundem: aſphalti partes quinque: excipe ardentes aquâ, & in fimo equino ſepeli.

Aliud etiam.

Vernicis liquidæ, ſulphurei olei & juniperini, & olei lini, & petrolei, lachrymæ laringæ partes æquas ſingulorum,

rum, aquæ ardentis tres ac mediam, tum halinitri, ligni laurini ſicci, in pulverem redactorum, quantum ſufficit, ut omnia ſimul mixta luti ſpiſſitudinem recipiant. Hæc omnia vitreo vaſe excipe, & in fimo equino tribus menſibus ſepeli. Si igitur ex his pilæ lignis hæreant, ſponte imbribus accenduntur: ſed hoc non omninò ſemper evenit. Illud autem ſemper evenit, ut jam accenſus nullis aquis extinguatur. Pulvis autem, qui facillimè ardet, & cujus flamma vehementer urit, conſtat pyrio pulvere, & tertiâ ſulphuris ac græcæ picis parte. *Card. de ſubtilitate.*

Ne quid igne comburatur.

Si ichthyocollæ & aluminis æquales partes acceperis, ac invicem miſcueris, hisque acetum ſuperfuderis, quicquid eâ miſcellaneâ illitum in igne projeceris, non comburetur. Et ſi trito malvaviſco, cum ovorum albumine manus illeveris, atque alumen ſuperinduxeris, ignem abſque læſione tractare poteris. *Albertus Magnus.*

Ignea mixtura, quam Sol accendere poteſt.

Maximè autem ferventis in meridie, & id præcipuè illis regionibus, ubi Sol flagrat, vel ſub caniculæ ortum, nec aliunde evenit, niſi accendibilium rerum compoſitione, hanc tamen ſedulò parabis, qualis eſt, quæ ex his conſtat: caphura paretur, inde vivi ſulphuris terebinthinæ reſinæ juniperi & vitellorum ovorum oleum, pix liquida, colophonia, in pulverem redacta, ſal nitrum, & omnium duplum ardentis aquæ, arſenici, & tartari puſillum. Hæc omnia benè tuſa, & remixta, vitreo condas vaſe: quod per duos menſes obrutum immorari oportet, fimum ſemper innovando, & remiſcendo, eodemque, ut docebimus, eliciatur aqua vaſe: hæc inſpiſſetur, vel noſtro pulvere, vel ſtercore columbaceo, & tenuiter cribrata, ut ſtrigmenti formam habeat, ligna delinito, vel aliqua combuſtibilia & æſtivis Sole utitor diebus. Hæc omnia Marco Graccho adſcribuntur. Vim retinet comburendi maximam columbaceum ſtercus. Refert Galenus in Myſia, quæ eſt Aſiæ pars, ſic domum conflagrâſſe: Erat projectum colu mbaceum ſtercus, in propinquo feneſtram tangebat, ut jam contingeret ejus ligna; quæ nuper illita reſinâ fuerant, cui jam putri & excalfacto, & vaporem edenti, mediâ æſtate, cùm Sol plurimus incidiſſet, accendit reſinam, & feneſtram: hinc fores aliæ reſinâ quoque illitæ, ignem concipere, &

ad tectum uſque ſubmittere, incipiunt: ubi autem à tecto ſemel eſt accenſa flamma, celeriter in totam graſſata eſt domum, cùm maximam habeat inflammandi vim. *Joan. Baptiſta Porta, in ſua Magia naturali.*

Faces, quæ ventis non extinguantur.

Pro itineribus fiunt faces, quæ ventis non extinguantur, quod è ſulphure evenit; difficulter enim extinguitur, ubi flammam concipit: unde faces cerâ & ſulphure viciſſim oblinitæ, & confectæ, ventis tempeſtatibus innoxiè feruntur. Pro ducendis autem exercitibus, vel neceſſariis rebus aliis, utuntur talï: Earum ellychnium ſalnitro ebulliunt aquâ, & exſiccatum ſulphure, & ardenti madefaciunt aquâ, inde candelas hac efficiunt mixturâ: conſtat enim ſulphure, inde caphuræ & terebinthinæ reſinæ medietate, colophoniæ duplo, ceræ autem triplo: quatuor efficiunt candelas, eas componunt ſimul in media, aut vivum ſulphur injiciunt, & pertinaciùs omnibus reſiſtit. *Idem.*

Igne ut quis non comburatur.

Belbinnus dicit quando accipis albumen ovi, & alumen, & linis cum eo pannum, & ipſum abluis cum aquâ ſalis ſiccâ, eum prohibet ignem comburere. Dicit alius, quando accipitur arſenicum rubeum, & alumen, & teruntur, & conficiuntur cum ſucco ſempervivæ, & felle tauri, & linit cum eo homo manus ſuas, deinde accipiet ferrum ignitum, non comburit ipſum. Similiter ſi accipiatur ex magna & alumine jamenti & talo, & aceto forti, & althea, & contriveris ea contritione bonâ, & linias cum eo manus, non lædit eas ignis. *Albertus Magnus.*

Lampas mirabilis, in quâ apparent res quantitatis terribilis, habens in manu virgam & territans hominem.

Accipe ranam viridem, & decolla eam ſupra pannum exequiarum viridem, madefac ipſum cum oleo ſambucino, & pone ipſum licinium, & illumina cum eo in lampade viridi. Nam tu videbis nigrum ſtatum, inter cujus manus erit lampas, & mirabile. *Albertus.*

Ignis mixtura, quæ ſub aqua ardeat.

Pulvis primò paretur pyrius (ut dicunt) ad bellicas machinas, quibus ab ardenti quaſi bombo, nomen bombardarum eſt inditum, hic mixtiones horum ſubintrat omnes utpote

utpote baſis & fundamentum: cui adjiciatur tertia colophoniæ pars, communis olivarum olei quarta, ſexta autem ſulphuris, ritè permiſceantur: ex omnibus reſiccatis periculum ſumunt, ſi valentiùs uritur quàm quæritur, colophoniæ & ſulphuris; ſi remiſſiùs pulveris dicti pluſculum ſuggeratur, horum mixtura in ſtramentis, & linteis obvolvatur pannis, vel loculis ex iis confectis ſtrictiùs quàm poſſit. Inde funiculis, & ligaminibus obvolutam ferventi immergunt pici, & reſiccari curant, ac denuò ſtraminibus munientes, illiniunt pice, ut eam ab aquæ humiditate tueatur, nec ignis vi diſrumpi ſinat: ubi autem ritè fuerint inſolata, parvo foramine pervia, ignem immittunt, & ardere incipiente, paulo morantur tempore, tum projiciunt in aquam, nec ſe ab ea extingui ſinit: nunc fundum, nunc aquæ ſuperficiem petens, & in ea obvolvitur. Nec diſplicet, ut naphtham adjungant iis, quam petroleum vocant: rapaciſſimus enim ignis eſt, eoque longè viſo diſſilire cogit, ut Magnes ferrum, & comburitur, multumque bitumen hoc in aqua ardet, quod à natura artifices mutuati ſunt, nec balneorum ſemper ebullientium alia reddi poteſt ratio, niſi quòd bitumine intus ardeant, & aquâ depaſcentur, quæ continuæ ſit cauſa ebullitionis. Bellica ſæpè inſtrumenta hujuſmodi compoſitionib. replentur, inde igneas quaſdam emittunt pilas eminùs, & diſrumpuntur, quas ſic parant: pulverem hunc obvolvunt ſtupâ, ac mixturâ quam diximus, illinunt, & implicant, & concavas machinas replent pulvere, pilis, & mixtura viciſſim inſperſis, igneque admotò, in hoſtium congreſſibus pilæ per aërem projiciuntur accenſæ. Quod olei vicem expleat, & ardentiùs exuratur: immittunt aliqui ſuillum adipem, anſerinum, ſulphur ignem non expertum, quod Græci vocant ἄπυρον, ſulphureum oleum, & naphthicum, ſalnitrum ſæpè purgatum, ardentem aquam, terebinthinam reſinam, liquidam picem, quam omnes kitram vocant, vulgò dictam liquidam vernicem, vitellorum ovorum oleum, & aliquando, ut molem his addat, & liquida inſpiſſet omnia, lauri ſcrobem immiſcent: iis vitreo vaſe occluſis, illud ſub fimo condito, per menſes duos vel tres, alternis ſemper denis diebus innovando fimum, remiſcendo, exemtæ inde compoſitioni, ſi ignem adjeceris, ardere non deſinit, niſi tota fuerit abſumta: aquæ enim diſperſione non reſtinguitur, imò accenditur: veruntamen luto, terrâ, pulvere & omninò quibusvis aridis

aridis ſuffocatur, ſi caſſidi, clypeo, & armatis hominibus injeceris, igne candentes reddit, ut comburi cogantur, aut arma exuere. Aliud trademus, quod eſt valentioris operationis: Terebinthinæ reſinæ, picis liquidæ, & vernicis inde picis, thuris & caphuræ partes potiores, vivi ſulphuris ſeſquitertium, ſalnitri purgati duplum, ardentis aquæ triplum, & tantundem naphthici olei, ſed ſalicis pollinis carbonum puſillum adjicias: hæc ſimul conficiantur, & in globulos effingito, vel ollulas reple: ſic exurit, ut extinguere ſit vanum. *Potta.*

Ignis eſca.

Fomes ex minima causâ, ignem concipiens (eſcam vulgares vocant) ſic fit: Fungi arborum maximi, exactè à lignoſa parte mundantur, ac ſic lixivio longo tempore decoctos ſiccari facies, ac cuilibet libræ ipſorum addes ſulphuris uncias duas, ſalis nitri unciam mediam: ac ſic lixivio eò uſque incoques, donec abſumatur lixivium, ſiccatosque in Sole, rorabis aquâ vitæ (alii appellant ardentem) ſiccabisque denuò: quantò frequentiùs efficies, eò meliores evadent: ſervantur aut olibano, vel vulgari ſandaracâ. Aliud eo longè paratu facilius: ſed minus concipit, etſi multum ſatisfaciat. Lintea è goſſipio, præcipuè nigra, leviter combure, & dum comburuntur, ſuffoca, & ſerva. *Cardanus de varietate.*

Ignem trahentia.

Heraclitus profeſſus eſt, omnia fieri per litem & amicitiam. Sic naphtha trahit ignem, proſilitque in eam undecunque viſam: ſimiliter aproxis herbæ radix, à longinquo attrahit ignem, ut naphtha. *Cornelius Agrippa de occulta Philoſophia.*

Ad ignem Sole accendendum.

Ignis ex rotundâ vitri phialâ, aquæ plenâ & immobiliter Soli oppoſitâ, facilè excitari poteſt. Cùm enim directè Soli objicitur, retrò in lineâ amphoram pertranſeunte, objectum illi fomentum combuſtibile, ignem ex radiis multiplicatis & addenſatis, leviter concipit, non ſine ſpectantium miraculo, qui ex aquâ ignem excitari vident. *Jo. Baptiſta Porta.*

Ut aliquo cubiculum cum accensâ candelâ ingrediente totus inflammetur aër ſine noxâ.

Sumatur quantitas magna aquæ vitæ optimè repurgatæ, & in

& in eam projiciatur caphura particulatim conciſa, quæ brevi ſpatio in eâ diſſolvetur. Jam diſſolutâ, feneſtræ & fores cubiculi claudantur, ne exhalans vapor foras exſpiret: vas ubi aquâ vitæ plenum eſt, ſine flammâ carbonibus ſubjectis ferveat, ut tota aqua in fumum ſolvatur, qui cubiculum expleat; & adeò tenuiſſimus erit, ut vix conſpici poſſit. Cogatur hinc aliquis accensâ in manu candelâ cubiculum ingredi; nam aër visâ candelâ totus accenditur, & cubiculum totum inflammatur, ut fornax accenſa videatur, maximumque terrorem introëunti incutit, ſi in Aquâ vitæ moſchum, aut minimum Ambræ diſſolvatur, poſt flammam maximus odor ſequetur. *J. B. Porta.* Si loco camphoræ aliud Bituminis aut Gummi genus, quod facilè diſſolvitur, adhibeatur, idem ſequitur effectus. Si non magnum eſt cubiculum & benè clauſum, ſufficiet ſola aqua vitæ. *J. Caſp. Schottus.*

Mixtura, quæ aquâ accenditur.

Si vis facere imaginem aliquam hominis, aut alterius, & quando ponitur in aqua, accenditur, & ſi extinxeris eam, extenuetur. Accipe calcem non extinctam, & permiſce eam aliquantulo ceræ, & oleo ſeſamino, naphthâ, id eſt terrâ albâ, & ſulphure, & fac ex illo imaginem: nam quando turorabis aquâ, accendetur ignis. *Albertus.*

Ignis, qui ſputo accenditur: furibus atque latronibus maximo uſui.

Recipe Olei ſulphurini, Larinici, Cedrini, Picis liquidæ —— ana unc. XIV.
Salis petræ, unc. xvj.
Salis ammoniaci, Vitrioli, Tartari calcinati ana drach. viij.
Magnetis calcinati, Calcis vivæ ex ſilicibus fluvialibus ana unc. v.
Sevi, Adipis anatis ana unc. vj.

Aquâ vitæ cooperta omnia ſepeliantur in equi ventre per menſes tres. Quarto quoque die conturbantur, tum igne

igne decoquuntur, quoad abeat liquor, & remaneat fex. Ea vaſe rupto extrahitur, ac teritur. Hoc aſperſa pulvere ſi aqua perfundatur, igne concepto ardet. *Scaliger.*

Ut ellychnium pares, quod non abſumatur.

Alumen plumæ in ellychnii modum ſecato: id in oleum immittito, nec unquam conſumetur. *Noſtradamus.*

Lapis ignem fricatione reddens.

Recipe Styracis calamitæ
Sulphuris
Calcis vivæ
Picis ——————
} ana drach. iij.
Caphuræ drach. j.
Aſphalti drach. iij.

Pulverizata ponantur in vaſe terreo, optimè clauſo ad ignem, donec in lapidem convertatur; qui panno aliquo fricatus, accenditur; ſputo verò extinguitur. *Ruſcellus.*

Candela, quam ventus extinguere non poſſit.

Ellychnium ſumito, ſulphur vivum pulverizatum ei linteolo obvolvas; dein cerâ candelam conficito. Accenſa non extinguetur, dum ejus tantillum ſuperfuit. *Noſtradamus.*

Ignis ferrum detrahens, inventum filii Amram.

Recipe Picis liquidæ
Gummi juniperi
Olei è lacryma terebinthi
Olei de ſulphure
Olei de nitro
Olei ex ovorum vitellis
Olei laurini
} an. partes ſenas.
Pulveris lauri ſicci
Caphuræ
} ana in aqua vitæ macerati partes 14.
Salis petræ ad pondus omnium.

Indito in vas vitreum oris anguſti, bene lutato, & obturato, infodiantur in ventre equino per menſes ſex: quarto quôque die agitentur: deinde diſtillentur in Seraphino. *Scaliger.*

Aliud.

Aliud.

Recipe Recrementi lacrymæ laricinæ
quod reſidet ex olei deſtillatione
Olei ejuſdem
Picis liquidæ
Picis cedri
Camphuræ
Bituminis
Mumiæ
Ceræ novæ
Adipis anatis } an. lib. v.
Stercoris columbini
Olei ex vivo ſulphure
Olei juniperini
Olei laurini
Lini
Cana bis
Petrolei
Philoſophorum } an. lib. 5.
Vitellini
Salis petræ lib. x.
Salis ammoniaci unc. vij.

Imbuantur aquâ ardenti omnia ita, ut cooperiantur, tum ſepulta in equi ventre tertio quoque die, & lectus renovetur. Poſt hæc extrahatur anima Seraphino: quam ſpiſſabis bubuli ſtercoris pulvere tenuiſſimo. In hoc Semimaurus ille canit miracula, vel Solis radiis ignem concipere. Neque id, in quo eſt urere, ſed admotâ ſolâ urinâ, aut aceto extingui, injectâve terrâ ſuffocari poſſe. In ipſa aqua invictum pertinaciter ardere: tantum abeſſe, ut ab ea quicquam patiatur. Hos ignes in vaſa conjectos etiam nunc in hoſtes jaculantur. Id vaſis genus apud veteres Græcos ἀσιόχῳ dicebatur. *Scaliger.*

Multas candelas ſimul accendere.

Sulphur & auripigmentum cum oleo coque, & in eis poſtea filum ebullire ſinito: reſiccatum filum per candelarum ellychnia ligetur, tranſeatque; nam ex uno capite accenſo curret per omnes candelas flamma & incendet. *J. B. Porta.* Sed *Cardanus dicit lib.* 10. *de varietate c.* 49. tam ſulphur, quàm auripigmentum debere eſſe purgatum. Ad prohibendum tetrum odorem adjici poteſt Ambra, Moſchus,

Moſchus, aut ſimile quid odoriferum. Candelæ omnes, antequam candelabris infigantur, debent accendi & extingui, & carbo ellychnii extincti debet remanere in omnibus; & huic circumplicari debet filum ab unâ ad alteram candelam ductum, accensâ unâ extremitate ipſius fili poſſit ignis ab unâ candelâ ad alteram tranſcurrere mediante filo. *J. Caſp. Schottus.*

Ignis inextinguibilis.

Recipe Vernicis, quâ coria inaurantur, lib. x.
Sulphuris vivi lib. iv.
Olei reſinæ lib. ij.
Salnitri lib. j. s.
Olibani lib. j.
Caphuræ unc. vj.
Aquæ vitæ optimæ unc. xiv.

Miſceantur omnia optimè ad lentum ignem: & fiet mixtura, quâ imbutæ ſtuppæ, & in ollas poſitæ, atque accenſæ, ignem inextinguibilem reddunt, quocunque fuerint projectæ. *Fioravantus.*

Ignis inextinguibilis.

Recipe Vernicis ſupradictæ lib. xij.
Olei reſinæ } an. lib. j.
Olei ceræ }
Olei trebinthinæ un. viij.
Sulphuris vivi lib. ij.
Salnitri lib. iv.
Camphuræ lib. j.
Aquæ vitæ lib. ij.
Picis græcæ pulverizatæ lib. iij.

Miſceantur ad ignem lentum, & fiat mixtura. *Fioravantus.*

Lucernæ Sepulcrales inextinguibiles.

Lucernas olim Cadaveribus hominum, dum ſepeliebantur, appoſitas fuiſſe non inficior, cùm non paucæ præ multorum manibus habeantur fictiles lucernulæ, in cryptis inventæ; atque has crediderim potuiſſe tam exiguo ellychnio inſtrui, ut tenuem flammulam, quæ pro ſepulchri amplitudine ſuo ipſius fumo non præfocaretur, emitteret aliquandiu duraturam, fomite lentiùs abſumto. Verùm ſi fuiſſe perpetuas lucernas admittamus, adhuc in dubium revocari poteſt, utrum lucetent tantùm, an verò

verò etiam arderent. Si enim arsissent, vix aliter flammam illam perennare potuisse intelligo, quàm si fieret quidam materiæ in orbem reditus, quemadmodum in vasis chymistarum circulatoriis, ut in Pelicano; ascendens scil. fumus ad summum vasis apicem, ibi iterum cogeretur in liquorem, qui per recurva vasis brachia descendens ad lucernæ fundum, fomitem flammæ denuò subministraret. Hic tamen exardescentis, atque postmodum concrescentis materiæ circuitus suis non caret difficultatibus; propterea verosimilius videtur, lucem fuisse ab ardore sejunctam, cujusmodi in cicindelis, & quernis lignis putridis observatur, aut in succo expresso ex vermiculis, quos vulgus Ballaros vocat, innascentibus saxo marinæ aquæ immerso in Portu Anconitano; hujusmodi enim vermiculos contusos, & vitreæ phialæ injectos tantum luminis emisisse, ut in obscuro cubiculo potueris literas legere, mihi sanctè affirmavit non semel Vir fide digniſſimus. *Paulus Casatus, Dissert. de Igne.*

Ignem ex poculo aquâ pleno conspicere.

Recipe ovum gallinæ, à quo vitellum unà cum albumine fuerit exemtum, & imple sequenti pulvere. Accipe sulphuris vivi, calcis vivæ ana quantum sufficit; redigantur in pulverem, & in prædictum ovum ponito, foramen cerâ obturato. Cùm ignem ex eo videre voles, in poculum aquæ plenum ponito. *Fallopius.*

Ignem sub aquâ conspicere.

Recipe Calcis vivæ, Sulphuris vivi } an. q. s.
Petrolei, Ceræ } an. parum.
Misce: & in aquam ponito. *Fallopius.*

Ignem manu tractare.

Recipe Altheæ quantum sufficit, misceatur cum ovi albo, quo manus inungantur, & siccatæ ignem tractare poterunt. *Fallopius.*

Lapis ignem humido quovis excitans.

Magnetem lapidem in ollam, vel aliud consimile vas conjice, vivâ calce immersum, meliusque fuerit, si colophoniam adjeceris cum calce pari: cùm vas expleveris, figulari cretâ circumlinito spiramento fornaci indatur, do-

nec percoquatur : inde detrahatur, & in unam ollam conjiciatur, creta denuò illita imponatur fornaci, alterius eadem prosequendo, dum vehementer inalbuerit, & rorefiat : cùm opus fuerit, aqua vel saliva superinfusa flammam elevabit : quâ sopitâ, loco calido ad usum recondito. *Porta.*

Alia faciendi ratio.

Si vivi sulphuris, salnitri vocati repurgati pari pondere, caphuræ duplum, novæ calci addantur, ac omnia mortario conterantur usque adeò tenuia, ut in auras evolare possint, simul stricto linteolo deligata convolvantur testaceo vase clausa, superillita argilla, ferventi deficcentur Sole, figulorum imponatur fornaci : cumque figulinum vas fuerit excoctum, in quo maxima est adhibenda diligentia, in lapidis duritiem coëunt & redigantur, extracta ad usum ministrantur. *Idem.*

Aliter.

Sumatur Magnetis lapidis prænarrata calx, salnitri sæpè purgati quadruplum, æquali pondere caphura, vivi sulphuris ignem nondum experti, & terebinthinæ resinæ oleum, & vini fæcis concretæ, quas semper tartarum vocabimus posthac : hæc omnia mola vel pila trita cribrentur: quæ infracta supersunt denuò terantur cribrenturque : insuper austeri vini ardentem aquam paratam habeas, eamque infundas, ut superemineat, vitreo vase condito, & operculato, ne halitum expiret; fimo supponatur duobus, vel tribus mensibus, denis vicissim diebus innovando, donec mellis crassamentum imitetur, nec ullum divisionis indicium præbeat, flagranti inde carbone inferveścat, dum humiditas omnis evolet, & penitùs siccata in lapidem coëat. Si hoc cognoveris, vas frange & exemtam iterum terito compositionem, aquâ vel humore aliquo leviter superinfuso, flamma erigetur, & inter omnes principem hæc sibi vendicat locum.

Ignis volans.

Accipe libram unam sulphuris, libras duas carbonum salicis, libras sex salis petrosi : quæ tria subtilissimè terantur in lapide marmoreo, postea aliquid posterius ad libitum in tunicâ de papyro volanti, vel tonitruum faciente, ponatur. *Albertus.*

Ut

Ut ignis Cryſtallo rotundo accendatur.

Si ſphærula perfectè rotunda, vel ſi planum vitrum paretur, uti ſpecillum, & aliquantulum ſoli oppoſitum retrò partem in adverſam radios uniens, uſtulat: tamdiu enim materiam illam ignium conceptricem removebis, & appropinquabis, dum radiorum reflexorum conum inveneris, inde paululum immorando ignis emicat, inde & præcipuè mirabimur, ſi parva magnæ extet ſphæræ portio. Medici tradunt, quæ in corpore urenda ſunt, non utiliùs poſſe, quàm cryſtallina pila adversùs Solis radios oppoſita. *Porta.*

Ligna, quæ attritu ignem concipiunt.

Quæ ligna attritu ignem concipiunt, ſunt quæ maximè calida, ut laurus, rhamnus, ilex, & tilia. Meneſter verò morum addit: & conjiciunt, quòd aſcias illicò retundant, & hebetent: ex his omnibus terebrum faciunt, ut attritu acriùs reſiſtat, & pertinaciùs opus expediat, conceptaculum verò ex molli, uti hedera, ferula, ſylveſtri vite, & ſimilib. arefactis, & penitus humore omni exinanitis: ad ſummum ea deteriora ad ignarium uſum veniunt, & rejiciuntur, quæ umbroſis contectisque locis aſſurgunt. Et ſic commodiùs expedies: nec referre arbitror, ſi laurum lauro, vel hederâ enudatâ, ferulam ferulâ confricaverit, & quod præſtantius eſt, fune ſuper eam celeriter, & vehementer moto, & ubi fumum elevabit, adjecto minuti ſulphuris momento fomitem admoveris, vel arida nutrimenta, quæ ex materia parabis aridi fungi: foliorum excocti velleris, circa tuſſilaginis radices reperti: ociùs enim ignem concipiunt retinentque. Ex ignariis olea ut inepta rejiciuntur, pinguiori materiâ, & immodico humore referta. *Joan. Baptiſta Porta.*

Ex carabe ignis quomodo fiat.

Et dixerunt, in Carabe, quando multum teris ipſum, & ſufflas versùs lampadem cum ſufflatorio, inflammatur ex eo ignis magnus, & ab eo nihil contactum comburitur. *Albertus Magnus.*

Ignem manu tractare.

Si vis portare in manu tua ignem, ut non offendat, accipe calcem diſſolutam cum aqua fabarum calida, & aliquantulum magranculis, & aliquantulum malvaviſci, & permiſce illud cum eo benè, deinde line cum eo palmam

tuam, & fac ſiccari, & pone in eam ignem, & non nocebit. *Albertus Magnus.*

Ut quis totus videatur ignitus.

Quando vis ut quis totus videatur ignitus à capite uſque ad pedes, & non lædatur : accipe malvaviſcum album, confice cum albumine ovorum, deinde line cum eo corpus tuum, & demitte, donec exſiccetur : & deinde line te cum albumine, & poſtea pulveriza ſuper illud ſulphur ſubtile : inflammatur enim ignis in eo, & non lædit, & ſi facis ſuper palmam, poteris tenere ignem ſine læſione. *Albertus.*

Ignitus totus videri.

Prædictâ ubi te liniveris mixturâ, reſiccari curato, & tritum ſubtiliſſimè ſulphur inſpergito : flammam admoveas, ubi ardere incipiet, ignitus videberis totus. Si minùs commodum fuerit ſulphur, ardentis aquæ irroratus aſpergine, quam diximus, ignem admove, & aliquantulum ſub ea tutus deges. *Joan. Baptiſta Porta.*

Igne tueri aliquid, ne comburatur.

Ea conſiderato, quæ ſummè frigida obſtupent, & ſubtilia ſunt & ob ſubſtantiæ connexionem ab igne non vincuntur, uti Amiantus lapis, quem palmeum alumen vocant, extincta calx, ovi albumen, altheæ ſuccus, hyoſcyamus, pſylii ſemen : hæc cum ſuccis permiſcentur, dum linimenti ſpeciem aſſequantur, inde manus oblinito, & illæſus ignem detinebis : non ſic tamen, ut omninò tutus & intrepidus pertractare poſſis, vel per ignem ambulare, ex Animante lapide, mappæ texuntur : & ſi ſordidatæ, igni projiciuntur, candori priſtino reſtituuntur. *Porta.*

Ut res in igne non comburatur.

Si vis ut res projiciatur in ignem, & non comburatur, Accipe cutem piſcis partem unam, & aluminis tantundem : illi permiſceatur totum, & fundatur ſuper ipſum acetum vini, & commiſceatur cum eo quicquid vis : projice in ignem, line cum hoc linimento, non comburetur. *Albertus Magnus.*

Candela pavorem inducens.

Accipe pannum lini, novum album, & fac ex eo licinium,

nium, & pone in concavitate ejus cutem ſerpentis, & ſalem groſſum, & ſacra ipſum oleo olivæ, & da cuivis, & ſtatim cùm accenſum fuerit, ipſum trepidabit, & timebit valdè. *Idem.*

Ut homines in igne non comburantur.

Experimentum mirabile, quod facit homines ire in ignem ſine læſione vel portare ignem, vel ferrum ignitum ſine læſione in manu. Accipe ſuccum biſmalvæ, & album ovi, & ſemen pſyllii, & calcem, & pulveriza, & confice cum illo albumine ovi, ſuccum raphani commiſce, ex hac confectione illinas corpus tuum, vel manum, & dimitte ſiccari, & poſtea iterum illinas, & poſt hoc poteris audaciter ſuſtinere ignem ſine nocumento. *Idem.*

Ut filum igne non aduratur.

Cur filum ovo circumdatum, non ſolùm in prunis, ſed nec in flamma ardet? quia non fit ignis, niſi calor ad ſummum deducatur: at ſemper prohibetur ab ovo, ne ad ſummum deducatur: quia ovum comburi non poteſt: at quod non comburitur, aliquo modo ſemper refrigerat, quod eſt maximè calidum. *Card. de ſubtilitate.*

Ignis, qui oleo extinguitur, & aquâ accenditur.

Hic ea ſunt conſideranda, quæ faciliùs in aqua ardent, vel in eâ ſpontè accenduntur, uti caphura, & viva calx. Unde ſi cerâ, naphthâ, & ſulphure mixtum compoſueris, ignemque concipiens, ubi oleum injeceris, vel cænum, extinguitur: reviviſcit enim, & majorem concipit ignem, infusâ aquâ. Hac fiunt compoſitione faces, quæ fluminum trajectu, & pluvioſis temporibus non extinguuntur. Narrat Livius, vetulas quaſdam in eorum ludis, accenſis facibus ex his confectis, Tyberim tranâſſe, ut miraculum expectantibus, & cernentibus, oſtentarent. *Joan. Baptiſta Porta.*

Aqua ardens.

Vetus, validum, & nigrum vitrum habeas: inde intùs vivam immitte calcem, tartarum, ſal, vivumque ſulphur, vitreis chymiſtarum organis aquam exugito, hæc mirè ar-

det, nec ardere deſierit, niſi tota conſumetur, vel parum relinquat, ſi in patinam, vel aliud patentioris oris vas pones, & flammam admoveas, ilicò ignem arripit: ſi in murum projeceris, vel è feneſtra noctu, innumeris ſcintillis, & igniculis accenſum aërem videbis: ardet in manibus detenta, nec comburit multum, id autem advertito, ſi pluries diſtillabis, minùs ardere, id enim aceto contrarium aqua habet ardens. Si minus phlegmate redundet vis, ſpongiam oleo madidam vaſis ori in diſtillatione accommodato, phlegma autem penetrare non ſinit. *Idem.*

Flammam eminùs projicere.

Id commodè faciunt colophonia, thus, & ſuccinum præcipuè: nam ſi flammam concipit, in altum ſe tollit, eminùs flammam emittens: ſi inter digitos candelam continebis: in palma autem pinſitum pulverem, dumque projicis, evolet pulvis per candelæ flammam. Longè efficaciùs ſuccedit experimentum, ſi ſemen vel pulverem Lycopodii ſive Muſci terreſtris clavati per flammam candelæ ardentis projicias, tum enim ſimiliter ignes admodum flamma excitabitur, ſed non niſi momentum temporis durans. *Idem.*

Ignis Græcus.

Ignem Græcum ſic facias. Recipe ſulphur vivum, tartarum, ſarcocollam, picòlam, ſal coctum, petroleum & oleum commune, fac bullire benè, & ſi quid imponitur in eo, accenditur, ſive lignum ſive ferrum, & non extinguitur niſi urinâ, aceto, vel arenâ. *Albertus.*

Manicæ metallicæ ad duriſſima igne colliquanda.

Vaſa longitudinis cubitorum quatuor, aut ſaltem trium, latitudinis dodrantis, craſſitudinis digitorum trium, in imo flexa, ac ad cubili figuram fermè formata, ſine fundo, ex ſilice nigro maculis albis inſperſo fiunt: in medio longitudinis foramen, atque in eo canalis ad unguem collocatus, per quem ſpiritus follium intus feratur: in imo foramen, per quod liquata materia deſcendat. Ima pars vaſis obſtruitur, eo (ut dixi) relicto oſculo, argillâ & carbonibus tritis ſimul tuſis, & in formam cæmenti ac tenaciorem redactis. Hæc ſic diſpoſita, à ſimilitudine Manicæ metallicæ dicuntur. Implentur intùs materiâ, quam liquare propoſitum eſt, atque carbonibus alternatim concluſus hic ignis ſummam habet vim, cunctaque neceſſe eſt, ſi non liquan-

liquantur, uri. Non vulgaris utilitas eſt ſpiritûs, qui per canalem ex follibus intus immittitur: hic primò, quòd palàm eſt, ignem accendit, & flammam ſuſcitat, ipſumque ignem cogit vehementiùs penetrare. Secundò cùm frigidus ſit, conceptum à metallo calorem cogit, ac intrò pellit, atque ſic materiam, in qua eſt, diſſolvit. Tertiò ſi quid liquatum eſt, ne uratur, prohibet, caloremque mitigat. *Cardanus de ſubtilitate.*

Qui fieri poſſit latex in tenebris refulgens.

Tu qui præavidus ad lectionem rerum accedis, quas larga, eademque prodiga natura humano uſui liberaliter fœneratur, abditas, & deliteſcentes, eumque curat tenebris innoxium reddere (quod non eſt profectò aſpernabile) ex iis ingeniosè requirere, quæ præſtare poſſunt: pleraque enim habes, quæ in noctibus ſenſum feriunt & cient, multa Ariſtoteles, multaque paſſim experientia demonſtrat: ſeu beſtiolæ, ex inſectorum genere, quas Græci πυγολαμπάδας, Latini nitedulas, ſive cicindelas vocant. Sunt fungi, capita & ſquamæ piſcium, ut recentis trichiæ, & vulgò harenagi dicti. Sic milvus, ſive milvago, quòd oculi noctu ſplendeant, lucerna dicitur. Pectinum ungues in tenebris igne lucentes, & in ore mandentium. Sic luporum & ælurorum oculi. Eſtque in Germaniæ ſaltu, in Hercinia, apparens volucris, cujus lucent pennæ ignium modo, earumque ſplendore viatores, per innumeras illas ſolitudines, itinerum dubios moderantur eventus. Sic de ſpondilis, pleriſque oſtracodermorum generibus, vel ſuper eos inſidente muſco. Aglaophotidis marinæ, & terreſtris meminit Ælianus, tale nomen à ſplendore lucis inditum, aliaque maris alumna animalia. Sæpè manibus marinam aquam exagitatam, igneis ſcintillis corruſcantem vidimus. Narrat Joſephus vallem, in qua eſt locus Baraas, ex eodem radicis nomine dictus, igneo colore fulgurans. Sic nictegretum, cujus valdè miratus eſt Democritus. Jam quercus præaridi caudicis, ſituque marcidi, argenteo noctu ſplendore adſpectum movent, & vulnerant. Carbunculus in tenebris rutilat, aërem circum ſecus pro corporis modo illuminando: & multa ſunt quoque noctu lucibilia, graviſſimorum auctorum teſtimonio com-

probata. At ſeries admonet, doceamus inde humorem extrahere, ex quo latius diffuſiusque proficiſcitur lumen, & emanet, ut noctu videri poſſit. Jam infra pateſcit exemplum : Nitedulæ igneo multum colore corruſcantes, inter omnia principatum obtinent. Nos earum caudam à corpore reſcindimus: præcavendo, ne alieni quippiam nitidis partibus immiſceatur porphyretico lapide terendo, diebus quindecim, vel pluſculis ſub fimo vitro condimus: fueritque præſtantius, ne latera contingant, ſed pendeant: jam elapſis diebus, furno vel calentis aquæ balneo vaſe impoſito, & accommodato, paulatim luculentum, & ſtillatitium laticem ſubjectâ paropſide recipias, ac pellucido cryſtallino orbe condito : ſic conclavis medio, lucigena pendeat aqua, & aërem illuminabit, qui eſt circa illam, ut majuſculæ literæ noctu poſſint conſpectari : dummodo à non magis ſplendido illuſtretur: ſic enim illius penitus exiguum lumen exoleſcit, ut interdiu videri nequeat. Cui congener, nec multum diſſimilis eſt aqua, ex dictorum piſcium ſquamis ſedulò extracta, quam ſæpè ſeparari vidimus, nec à prima ferè dignoſcitur, eademque in reliquis parandi ratio jam patet, eisque utimur in dicendis. *Joan. Baptiſta Porta.*

Aqua ardens.

Aquam ardentem ſic facies: Accipe ſerpentinam, quam deſtillabis per alembicum, velut aqua ardens exibit: etiam miſce vino, aut cui vis, & accenditur, ſi appropinquas ei candelam. *Albertus.*

Comburentia ſpecula.

Verùm cùm duo videantur eſſe modi accendendi ignem ex ſpeculo: primus, ut omnes radii in centrum ſpeculi incidentes, colligantur in uno puncto per reflexionem, qui fit cum cavo ſpeculo ſphærico. Secundus eſt, ut omnes æquidiſtantes colligantur, qui à Sole prodeunt, in punctum unum, qui etiam ſit parabole: extare de hoc libros Archimedis, ubi docet comburentia ſpecula parabole conſtare, Franciſcum Maurolicium Meslanenſem ſcripſiſſe, apud Conradum Geſnerum invenio. Res autem ſic ſe habet: Cùm ſuperficies conum rectum ſecat, & ſuperficies

ficies dimetiens æquidiſtat lateri trigoni inſcripti ſuperficiei conum per axem vertice ſecantis, ſuperficies illa parabole dicitur, quæ ſit *ABC.* cujus recta à vertice *B.* dividens *AC.* rectam ſubjectam æquis lateribus, curvis *B. A.* & *BC.* vocetur dimetiens *BD. AC.* autem diameter. baſis coni *K.* medium *BD.* dico *HKL.* talem ſemper habere proportionem ad perpendicularem quamcunque ex latere ſuper dimetiens venientem, qualis eſt ipſius perpendicularis ad partem dimetientis inter verticem & perpendicularem interceptam. Velut ſit perpendicularis *FG.* talem habebit igitur *HL.* proportionem ad *FG.* qualis *GF.* ad *GB.* & vocabitur tunc *HL.* latus rectum, & omnes lineæ æquidiſtantes *BD.* ſeu radii reflectentur in *K.* Eſt verò *HL.* ſemper quadrupla *BK.* Sed ſi propoſitum ſit facere ſpeculum, quod procul comburat, qualem feciſſe Galenus narrat Archimedem, qui hoſtium triremes deuſſerit: manifeſtum eſt



ſpecula, ſeu à parabole ſumpta fuerint, ſeu à circulo, ac ſphæra, maxima eſſe oportere, id eſt, portiones maximarum ſphærarum aut conorum maximorum, parabolis partem non tamen maximam. Velut ſi ad *M.* paſſus extendere ignem libeat, circulum deſcribemus, cujus dimetiens ſit duo millia paſſuum, hujus tantum aſſumemus portionem, ut rotunditas non lateat, partem ſcilicet ſexageſimam, cui dimetientem pro altitudine in termino uno adjiciemus, & dimetiente fixo circumagemus circuli partem, quæ nobis portionem ſphæræ deſcribet: quam cùm expoliverimus, ignem Soli expoſita procul & validiſſimum ad paſſus *M.* accendat. Nunc autem non adeò utilis ob bellicas machinas: olim verò tutiſſima. Quæ verò parabole procedit conflagratio, potentior eſt. Ea autem ſic fit. Sit locus, qui comburi debet mille paſſibus diſtans. Facio *BK.* paſſuum mille, cui rectam coæqualem adjicio *KD.* ipſi autem *BD.* æqualem ad perpendiculum facio *BA.* & ex altera parte *BC.* æqualem *BA.* & ductis *DA.* & *DC.* facio *D*, centrum baſis coni, & *AE.* axem: nam angulus *ADC.* rectus eſt, & circumvolvo *AC.* ut fiat conus, &

deſcribetur circulus à linea *DC.* tanquam ſemidiametro pro coni baſi: hunc divido duabus diametro ad rectos angulos ſe ſecantibus *CE.* & *FG.* in centro *D.* Erit etiam ut *B.* punctus circumferentiam circuli deſcribat circa conum, quæ ſit *HB.* Duco igitur à vertice coni rectam ad extremitatem unius diametri baſis, puta ad *C.* ubi ſecat circuli peripheriam, ut in *B.* ex illo puncto duco lineas



rectas ad extremitates alterius diametri *BF.* & *BG.* ſuperficies igitur, in qua eſt trigonus *B F G.* ubi ſecat ſuperficiem coni, facit duas obliquas lineas *BF.* & *BG.* quas ex chalybe optimo, ne flectantur, fieri oportet, aſſumptâ tantùm parte, puta *BL.* & *BM.* æqualibus, quæ ſunt latera parabolis. Inde aſſumes molem ex gypſo *N.* majorem latitudine *LBM.* in vertice, quem ſenſim cotibus atteres, donec impoſita parabole *LBM.* circumverſaque undique tangat, ſineque impedimento circumvertatur. Quod



cùm effeceris, huic moli vitrum candens aptabis, efficiesque parabolem, quæ à tergo ſuper aſperſo plumbo radios omnes è Sole æquidiſtantes, qui omnium ſunt robuſtiſſimi, in punctum *K.* id eſt, paſſibus mille diſtans reflectat, comburentque ſtatim. Hæc autem ab Archimede planè demonſtrata ſunt, ut etiam Antonius Gonzaga ad nos tranſtulerit. *Card. de ſubtilitate.*

Ignis ex aqua.

Ut ignis de aquâ extra eat, teſtam ovi accipe, & ſulphur vivum tritum impone & calcem, & claude foramen: & mitte in aquam & intenditur, & ducitur: quòd ſi ponatur caphura ſuper aquam, accenditur & comburitur in aqua. *Albertus Magnus.*

Ut

Ut in ſomno omnia revelentur.

Suffumigatio ad videndum in ſomno, quod futurum eſt de bono & malo. Accipe ſanguinem aſini congelatum, & lupi cervini pinguedinem, & ſtoracem, aggrega totum ponderibus æqualibus, & conficiantur, & fiant grana, & ſuffumigetur cum eis domus. Tu enim videbis in ſomno tuo, qui narrabit tibi omnia. *Idem.*

Candela, quæ cùm accenditur, agitatur.

Si vis facere candelam vel licinium, quæ cùm accenditur agitatur, & ambulat: accipe cutem lupi, & cutem canis, & fac utriſque licinium, & accende ipſum cum oleo olivæ, & ſtatim movebitur. *Idem.*

Lumen pedere faciens.

Operatio lampadis eſt mirabilis, quam ſi quis tenuerit, non ceſſat pedere, donec dimiſerit eam: accipe ſanguinem teſtudinis, exſicca ipſum in panno lini, & fac ex ipſo licinium, & illumina ipſum in lampade, da ipſum cui vis, & dic illumina: nam ipſe non ceſſabit pedere, donec dimiſerit illud, & eſt mirabile. *Albertus.*

Lampas, quæ cùm accenditur in loco ranarum, non cantant, ſed omnes ſilent.

Accipe pinguedinem crocodili, & confice ipſam cum cera, albifica in Sole, & fac ex eo licinium, & illumina cum eo in loco, ubi ſunt ranæ & cùm viderint iſtud, ſtatim tacebunt. *Idem.*

Candela quoſvis referens colores.

Lampas vitrea admodum ſplendida, & diaphana, quæcunque ſuo lumine illuſtrabit crocea reddet, & lutea, aut flava, ſi pulveri croci oleum ellychnio vicinum reſpergatur. De aliis coloribus idem erit experimentum: modò cubiculum aliud lumen non agnoſcat. *Mizaldus.*

Coloratum cubiculum.

Viride cubiculum ſic videbis. Sit viridis lampas, vitrea, & pellucida, ut pertranſeuntes radii medii colore inficiantur, & (quod in hoc plurimum conducit) oleo, vel omni, quo vivit humido, immiſceatur ærugo, unà ritè terantur, ut humor fiat viridis, lichneus ex linteo, coloris ejuſdem, vel è goſſipio paretur uncto: lampade in illa peruratur,

uratur, oppoſitum feriens lumen, viride omne & intuentium vultus oſtentat. Nigrum autem omne ſi videre deſiderabis, atramentum immiſce omni fuliginem vel ſimile: melius autem è ſepiis immiſſum atramentum, nam lucernis admotum, ſi accenditur, atra lucet flamma. Sic Anaxilaum luſiſſe fertur: ſæpè enim ex atramento ſepiæ aſtantes Æthiopes reddebat, & nigros. Flavum ſi teres omne, uti auripigmentum, crocum, lupinorum cortices, & oleo permiſcebis, & accendes in eo funiculum, flavâ lampade, croceum conſpicies omne. Viride partim, flavum partim, & nigrum ſi præoptabis, hæc inſimul permiſceto: uti quoque tradit Simeon Sethi, ſi quis thryallida, id eſt, lucernæ ſtupam in ſepiæ atramento, & æris ærugine intinxerit, homines circumſtantes videri, partim æreos, partim nigros, propter mixtarum rerum inſperſionem. Sed maximè id perpendendum duco luces omnes amovere, ne lumine illo impediatur, ſupereturque è lampade color emanans, & fruſtretur illuſio: ſi die fuerit, claudantur feneſtræ, ne aliquod lumen irrumpens præſtigium deſtruat. *Joan. Baptiſta Porta.*

Ut in palatio omnia videantur nigra.

Quando volueris, ut quæ ſunt in palatio, videantur nigra: Accipe de ſpuma maris, & calcantho, & permiſce ea filis, deinde humecta cum ea lichnium & illumina cum eo lampadem. *Albertus.*

Ut Lampade noctu ranæ taceant.

Narrat Albertus delphini pinguedine, ac cerâ ex Sole albâ confecto ellychnio, accenſo in lacuum ripis, ſtatim ranas omnes ſilere. Affricanus autem naturalius & certius in Geoponicis græcis, omne id ait evenire lucernâ: nam ſi accenſum poſueris in ipſam, obſtrepentes omnes ranæ ſtatim conticeſcunt. Solent impoſtores perforato pariete ranam immittere, inde chartâ cooperiunt, & in ea corvum depingunt, accenſa extrà face, vel admoto igne, incaleſcens rana coaxat, ut corvi voces imitetur, ſic depictum corvum crocitantem oſtendunt. *Joan. Baptiſta Porta.*

Ut Lampada quis accendens reformidet.

Linteum fiat licium, cujus meditullio anguis ſenecta, ac leviter infractum ſenecta, ſal accommodetur, alicui

cui ſuccendendum præbeto ex oleo: nam flammam ſentiens ſal diſſiliet, anguina pellis diſtorquetur cùm coquitur, ut timorem incutiat pueris: ſic canis & lupi, lupi & ovis corium obtortum ſimul oleo ſi accendes, commoventur, innatam etiamnum fugientia ſimultatem. *Porta ex Alberto.*

Ut ſine capitibus videantur homines.

Quando vis, ut quæ ſunt in palatio, videantur ſine capitibus: accipe ſulphur citrinum cum oleo, & pone ipſum in lampade, & illumina cum eo, & pone illud in medio hominum, & videbis mirum. *Albertus.*

Ut homines videantur ſine capitibus.

Accipe ſpolium ſerpentis & auripigmentum & picem græcam, rheponticum & ceram novarum apum, & ſanguinem aſini, & tere omnia, & mitte in rudi olla plena de aqua, & facias bullire ad lentum ignem, & poſtea dimitte frigeſcere, & facias cereum, & omnis, qui illuminabitur eo, videbitur ſine capite. *Albertus.*

Ut aſtantes ſine capitibus videantur.

Auripigmentum ſubtiliſſimè tritum novâ ollâ ex oleo ſinas ebullire: nec ab re fuerit, ſi ſulphur immiſceas operculo ollæ impoſito, ne croceus evolet vapor, id novâ incendes lucernâ, & aſtantes ſine capitibus & manibus videbuntur, oculos digitis comprimendo dum candela accenditur, idque pauliſper videbis ut ut fieri poterit. *Porta.*

Ut equina vel aſinina videantur aſtantium capita.

Difficile aggredieris opus: vincat tamen operis ſeduli-tas rei difficultatem. Equo abſcinde caput vel aſino, non mortuo, ne languida ſit virtus, ejuſdemque capacitatis fictilem fabricato ollam, oleo plenam, ſuique pinguedine, ut ſuperemineat: os operculato, tenacique munias luto, ignem ſubde lentum, ut planè bulliens tribus ſervetur diebus oleum, elixataque caro in oleum currat, ut nuda ſpectentur oſſa: pila tundito, pulvisque oleo permiſceatur, quibus aſtantium capita perungantur, ſimiliter in lampadibus ſtupei funiculi in medio ſtatuantur, nec propè nec longè, ut res poſtulat, & monſtroſo ſpectaberis vultu. Ex iis multa diſcas componere: ſatis enim dixiſſe videor, ſi di-

ſi diligens fuerit intuitor. Ex humano capite recenter obtruncato electum oleum, animalibus faciem hominis inducit, ſic variis animalium capitibus monſtroſiora reddes corpora, ſi iis accenſis liciniis illuſtretur domus, quod fido claude pectori: nam uti arcana ab antiquis cælabantur, nec ita faciliter ex eorum eruitur dictis. Aliter tamen docet Anaxilaus, nec irritè. Equorum virus à coitu accipitur, noviſque lampadibus ellychniis accenſum, hominum capita equina viſui monſtrificè repræſentat, de aſinis ſic quoque proditur. Sic illud, quod apriam vocant, in ſuibus cùm ſubant. Acceptum enim & accenſum idem præſtat. Sic animalium reliquorum auricularibus accenſis ſordibus. Si illud perures, quo dicemus ſperma eoque ſpectatorum facies perunxeris, eorundem animalium conſpicies capita, ſerva. *Joan. Baptiſta Porta.*

Ut homines videantur vultum canis habere.

Accipe adipem de aure canis, unde ex eo parum de bombycino novo, pone in lampade nova de viridi vitro, & pone lucernam inter homines, & cernent vultum canis. *Albertus Magnus.*

Ut homines videantur habere quorumlibet animalium capita.

Accipe ſulphur vivum & litargyrium, & iſtis ſimul pulverizatis, ſparge in lampade oleo plena, habeantque candelam de cera virginea quæ permixta ſit cum fece illius animalis, cujus caput vis ut videatur habere, tenens candelam accenſam de lampadis igne, & da bibere vinum cum valdimonia, & illi, qui inde potabunt, videbunt ſe habere caput animalis. *Albertus.*

Ut homines habere tria capita videantur.

Accipe de pilis aſini mortui, & fac funiculum & ſicca, ſume medullam de oſſe principalis dextri humeri, & miſce cum virga virginea, & line funiculum, & pone ſuper liminaria domûs: ingredientes domum tria capita habebunt, hi, qui in domo ſunt intrantibus aſini videbuntur. *Albertus.*

Ut caput hominis videatur caput aſini.

Tolle de ſegmine aſelli, & unge hominem in capite. *Albertus.*

Can-

Candela, quæ facit homines equinis, aliorúmve animalium capitibus videri.

Diu multumque cogitavi, utrum antiquitùs arcana hujuſmodi ignorarentur, an veritati reſponderent, quæ de iis dicuntur, & ab impoſtoribus promittuntur: nec parum gaviſus ſum, cùm inter antiquos multos compererim, quibus hæc fuêre curæ, præſertim Anaxilao, Plinianæ aſſertioni fidem adhibendo: nec parum in his inveniendis deſudavimus ad explendam noſtram hiſtoriam, nec ab re fuerit eorum commeminiſſe, & in medium afferre, experientiæ accommodando, iis primò aſſueſcat operator, ad alia paulatim deveniens: docenturque primò, quomodo videri poſſit omne. *Joan. Baptiſta Porta.*

Ut facies inſignis videatur maciei & palloris.

Sic faciliter opus exequeris: vitreo amplioris cratêre, valde infundas vinum vel græcum, intus ſal injice, quantum pugno quis capere poſſet, flagrantibus impone ſine flammis, ne vas rumpat, illicò ebullire incipiet, candelam admove, & ſuccendetur, reliqua tunc extingues lumina, & tales aſtantium facies reddet, ut ſibi mutuò terrorem incutiant. Idem in fodinis evenit, ubi campanæ conflantur & metallica tam opertum omne diro viſitur colore, ut demirari contingat labia ſquallore perfuſa, punicea in lividum & nigrum commeantia. Accenſum quoque ſulphur aſtantium modo collocetur, & fortiùs operabitur idem. Sic quoque Anaxilaum Philoſophum ludere ſolitum eſſe comperimus. Sulphur enim calici novo immiſſum carbonibus ſubditis circumferens, convivis exardeſcentis repercuſſu pallorem dirum effundebat. Id mihi ſæpe caſu accidit, dum Neapolitano in agro Leucogeis collibus noctu deambularem: nam ſponte ardens ſulphur tales dabat vultus. *Porta.*

Ut homines videantur elephantes.

Accipe ſpeciem, quæ dicitur Alchachengi, & contere, & confice ipſam cum aliquantulo pinguedinis delphini, & fac ex eo grana ſicut citri. Deinde fumiga ex eis ſuper ignem ſtercoris vaccæ, quæ mulgetur, & non ſit in domo locus, ex quo egrediatur fumus, niſi portas, & ſit larga ſub terra de intus. Nam omnes, qui ſunt in manſione, videbuntur quaſi ipſi ſint homines magni in formis equorum, elephantum, & eſt mirabile valde. *Albertus.*

Ut homines videantur variâ formâ.

Accipe oculos bubonis, & oculos piſcis, qui dicitur libinitie, & fel luporum: contrita ergo ea manibus commiſcendo, & pone ea in vaſe vitreo. Cùm ergo vis operari eum, accipe adipem cujuſcunque vis beſtiæ, quod fiat hoc in forma ejus: liquefac eam, & permiſce cum illa medicina, & inunge cum oleo lichnium quodcunque vis, deinde ipſum in medio ædis, videbuntur enim omnes homines in domo illa in forma illius beſtiæ, cujus pinguedinem accepiſti. *Albertus.*

Ut homines videantur Angeli.

Accipe oculos piſcis, oculos fileæ, id eſt, frangentis oſſa, & contrita eos manibus malleando, & pone eos in vaſe vitreo ſeptem diebus, deinde in eis aliquid de oleo infunde, & illumina cum eo in lampade viridi, & pone ipſum coram hominibus, qui ſunt in æde: ipſi enim videbunt ſe in forma Angelorum ex igne accenſo. *Albertus.*

Ut homines nigri videantur.

Accipe lampadem nigram, & funde ſuper ipſam oleum ſambucinum, vel argentum vivum, & funde in illo oleo, vel argento vivo ex ſanguine phlebotomantium, & pone in illo ſanguine ſambucinum, vel argentum vivum. *Albertus.*

Lampas alia, faciens apparere homines in forma fœda.

Et terrentur homines invicem, & faciunt ipſum figentes Dæmonem, accipe pilos ex cauda canis nigri, in quo non ſit albedo, & aliquid ex pinguedine ejus: liquefac pinguedinem: deinde accipe pannum exequiarum, & fac deinde licinium, deinde line ipſum cum eo, quod feciſti, & illumina ipſum in lampade viridi cum oleo ſambucino, & accende ipſum in domo, & non ſit ibi licinium præter ipſum, & videbis mirabile. *Albertus.*

Lampas, quam cùm aliquis tenet in manu, non videt aliquos eorum, qui ſunt ibi.

Et qui erit poſt ipſum, videbit tantùm. Accipe piſcem, qui diciturDelphinus: deinde accipe pannum lini aut funeris, & ſparge ſuper ipſum aliquid extra azimat, deinde ſtringe manum ſuper ipſum, & involve pannum, & fac ex eo lichnium, deinde accende ipſum in lampade, & eris viridis & fiet quod tibi dixi. *Albertus.*

Domum

Domum argenteam & luminoſam videre.

Si præoptabis, ſic efficies: Nigris abſcinde lacertis caudas, & ſtilla è fractura emanans lucida excipiatur: è multis tamen plures adunabis, & papyraceum licium, vel ſparteum inficies, & ſi poteris, oleo permiſceto; ſic argenteo colore omne videbis perfuſum. Idem in omnibus imitaberis. Nunc ut inſtitutum exequamur ordinem, reliqua trademus experimenta hanc ſequentia ſeriem, ne cupidos legentium animos detineamus. *Porta.*

Ut omnia alba & argentea videantur.

Accipe lacertam, & abſcinde caudam ejus, & accipe quod exit, quia eſt ſimile argenti vivi: deinde accipe lichnium, madefac cum oleo, & pone ipſum in lampade nova, & accende domum ejus, videbitur ſplendida & alba, vel deargentata. *Albertus.*

Ut domus videatur tota viridis, & plena ſerpentibus & imaginibus timoroſis.

Accipe cutem ſerpentis & ſanguinem alterius ſerpentis maſculi, & adipem alterius ſerpentis, aggrega illa tria, & pone ea in panno exequiarum, & accende ipſa in lucerna nova. *Albertus.*

Ut tota domus appareat plena ſerpentibus.

Accipe de pinguedine ſerpentis, & parum ſalis in ea pone, & accipe pannum exequiarum, & ſcinde ipſum in quatuor fruſta: deinde pinguedinem, & pone ipſam in omni panno: ſic facias quatuor angulis domûs cum oleo ſambucino, & in lampade nova, & fiet quod dixi. *Albertus.*

Licinium pulchrum, ut domus videatur tota plena ſerpentum & imaginum, donec lichnium permanet accenſum.

Accipe pinguedinem ſerpentis nigri, & ſpolium ſerpentis nigri, & pannum exequiarum, & fac licinium ex illo panno: deinde line ipſum cum illa pinguedine & pone ſpolium ſerpentis in concavitate ejus, & illumina cum oleo ſambucino in lampade viridi aut nigra. *Albertus.*

Uvæ plenum domicilium videre poteris, & omnes uvarum illuſione decipientur.

Cùm defloreſcere jam incipiet uva, vas puro plenum

oleo accommodetur infrà, cui racemum cum frondibus immergas: firmetur, ne hinc inde convellat ventus, feriat illud Sol, operculo gypſato, & pellicato, relicto tamen foramine, quo petiolus intromittatur, ita immorari ſinito: ubi perfectam receperit uva maturitatem, linteo exprimitur, expreſſusque humor ſervatur in oleo, ſolis diebus paucis, lucernis demum accenſum omnia uvis cernes plena, frondibus & arboribus circumvallari videberis, ubi fortaſſe arbores prorſus carent frondibus: in aliis verò fructibus utitor, idem enim arbitror præſtari poſſe. *Porta.*

Ut res virides volantes conſpiciantur.

Accipe pannum exequiarum recentem, & pone in eo cerebrum avis, & pennas caudæ ejus, & involvendo fac eis licinium, & pone ipſum in lampade ex nova viridi. Accende ipſam in domo cum oleo olivæ, & quæ res erunt in domo, fient virides valdè, & videbitur quaſi volent virides & nigræ. *Albertus.*

Lumen, quo aſtra vagari videantur.

Sunt qui teſtudinem vel centauream perurunt, ejusque flammæ fumo ſpectant ſtellas ſic vagantes, ac loco dimoveri videantur undique per cœlum: id quod non ab eo ſolùm, ſed à rei omnis evenit fumo: craſſioris enim loco exiſtens diaphanitatis, mobilisque imaginis forma à loco ipſo variari videbitur: ideoque fallitur viſus, ac moveri putabit. Quod ſi id mirabilius expetitur, ignem celato, ut ſpectantem lateat, & pertranſeuntes radii refrangantur: hinc multa ingenioſus aucupare poterit oculos fallentia, quæ è libris opticorum excipiet. *Porta.*

Lampas cùm accenditur, vident ſe invicem aſtantes ſicut imagines & lapides.

Accipe zimat, & tere bene, & accipe pannum funeris, & madefac ipſum cum pinguedine piſcis, aut cum oleo ſiſamino puro, pone ipſum in lampade viridi, & pone ipſum ex illo medicamine contrito rem parvam, & fit mirabile. Licinium, quod cùm accenditur, non ceſſant ſaltare & gaudere, & inſanire gaudio, & maximè mulieres: & accipe ſanguinem leporis, & ſanguinem cujuſdam avis, quæ dicitur Solon, & aſſimilatur turturi, & æquale medietatis ejus ex ſanguine turturis maris. Infunde ergo in licinium, & illumina cum eo in medio domûs, in qua ſunt canta-

cantatrices & puellæ, & eſt mirabile, & probatum. *Albertus.*

Lichnium, quo arctâ imminente manu peruratur, laxâ verò extinguatur.

E caphura aquam exugito, vitreis chymiſtarum vaſis, & ritè luto fabricentur ſpiramenta, ne vi ſpiritus evolet, tali aquâ intus perunge manus, & ſuper flammam arctam pugnum comburitur valdè, ſi aperitur, debilitatur lumen. *Joan. Baptiſta Porta.*

Aliud lichnium, quod quando eſt accenſum, & infunditur ſuper ipſum aqua, valeſcit; & quando oleum, extinguitur.

Accipe calcem, quam non invenit aqua, & permitte eam cum æquali pondere ſibi ex cera, & medietatis ejus ex oleo balſami, ex naphtha citrina, cum æquali ſibi ex ſulphure, fac lichnium ex ea, & rora ſuper aquam, & accendetur, & rora ſuper ipſum oleum, & extinguitur. *Albertus.*

De multis lampadum experientiis.

Jam aliquas lampadum experientias ſupereſſe video, quas licet viſu non tam jucundas & mirabiles, ut res poſtularet, ne quid omiſiſſe videremur, recenſere cenſuimus. Has nec otioſum, vel inutile fuerit primæ addere ſeriei. *Porta.*

Mulieres valdè lætari.

Cùm leporis adipe lampades accendantur, ac mulierum medio morentur aliquantulum: nec enim lætantur, ut ſaltent: id tamen rarò operatur. *Porta.*

Ad faciendam carbunculam, vel aliquam rem lucentem in nocte.

Recipe nocticulas lucentes quàm plurimas, & ipſas contritas pone in ampulla vitrea, & claude: in fimo equino calido ſepelias, & dimitte morari per quindecim dies, poſtea diſtillabis ex eis aquam per alembicum: quam repone vaſe de criſtallo, aut vitro. Tantam enim præſtat claritatem, quòd in loco obſcuro quilibet poteſt legere & ſcribere. Quidam faciunt hanc aquam ex nocticulis, felle teſtudinis, felle muſtelæ, felle furonis, & canis aquatici, ſepeliunt in fimo, & diſtillant ex eis aquam. *Albertus.*

Recipe ceræ, ſulphuris, aceti, ana partem unam, coquantur ſimul uſque ad aceti conſumtionem, poſtea formentur candelæ, quæ accenſæ, inextinguibiles evadunt. *Roſcellus.*

Ignem ex pluviis conſtruere.

Recipe olei petrolei, ſulphuris vivi, ſulphuris flavi, calcis vivæ recentis, picis græcæ, picis navalis: miſceantur, & hæc mixtura ab humore accenditur. *Fallopius.*

DE AERE.

CAP. III.

Vas ventum projiciens.

E GLOBO terraqueo beneficio caloris Solis & ſubterranei attolluntur quotidie vapores & exhalationes, è quibus oriuntur meteora, atque illæ exhalationes cum aëre, in quo reperiuntur, conſtituunt illud fluidum, quod proximè ambit terram, & communiter *Atmoſphæra* dicitur, quæ vix ultra altitudinem unius milliaris à terrâ extenditur. Aër autem non ſolis conſtat vaporibus, ſed proprias etiam ſibi habet particulas, fluidas & ſubtiles, quæ non ſolùm, quia plicatiles ſunt, elaſticâ donatæ ſunt, quâ preſſæ conantur ſe reſtituere, ſed & inſuper gravitate præditæ ſunt, ex qua plurima naturæ phænomena commodè explicari poſſunt, ſaltem omnia illa, quæ antiqui ad fugam vacui, & quæ Liquorum æquilibrium ſpectant. *Caſp. Barthol. Spec. Phil. Nat.*

Qui terræ globo circumfuſus eſt aër, ſuâ ipſum gravitate & pondere comprimit, tumque magis, cùm altior eſt aëris moles, non ſecus ac in lanæ ingenti quodam acervo partes infimæ pondus & compreſſionem ſuperiorum partium magis ſentiunt. Ex hâc aëris gravitate ratio deduci poteſt, cur aqua intra antlias aſcendat, embolus enim antliæ quando retrahitur, aquæ locum cedit, quæ ab incumbentis aëris pondere preſſa aſcendit, ſed ſaltem ad certam altitudinem, ſcil. ad pedes 32. quia tunc fit quaſi æquilibrium quoddam aquæ aſſurgentis, & columnæ aëris prementis. *Idem.*

Vis aëris elaſtica ſive Elaterium eſt conatus ille reſiliendi, quo partes corporis alicujus compreſſæ conantur ad priſtinam redire formam, ac ſitum ſuum recuperare, qui reſtitutionis motus non aliunde proficiſcitur, quàm ab

æthereâ illâ & ſubtili ſubſtantiâ aëri permiſtâ, quæ elaterium in aliis corporibus efficit, licèt ipſa elaterio ſit deſtituta. *Idem.*

Vas ventum projiciens.

Confici poteſt ſi fiat æolipila ærea, vel rei alterius, ſit cava & rotunda, & in ventre punctum habeat anguſtiſſimum, quo aqua infunditur, & ſi foris arduum fuerit, priori utere experimento: ſi ad ignem accendens ferveſcit, cumque nullum habeat ſpiramentum, maximum inde ejicit ſpiritum, ſed vapidæ craſſitudinis humectum. *Porta.*

Ad corrigendum aërem peſtilentem.

Abſque ulla noxa emendant teterrimi odoris pleraque, ejuſmodi ſunt caſtoreum, galbanum, ſagapenum, ſulphur, coriorum cornuumque ſuffitus, & pulvis bombardicus. Qui ceu præſentiſſ. diſcutiendæ peſtis remedium, ſuperioribus annis adhibitum fuit (inquit Lemnius) quum apud Tornacenſes peſtis totâ urbe graſſaretur. Nam milites præſidiarii, qui in arce excubias agebant, tormenta bellica, pulvere bombardico, ſed abſque globis repleta, urbi obvertebant, eaque ſub diei & noctis crepuſculum explodi curabant. Hinc factum fuit, ut ſonitu violento, fumique odore teterrimo, contagium aëris diſcuteretur, & aliò depelleretur.

DE AQUA.

CAP. IV.

Aquæ marinæ concinnatio.

AQUAE marinæ quadrat. 1. ex alto ſumito, quo aqua dulcis non accedit, ſeſquilibram ſalis frigito, eodem indito & rude miſce, uſque adeò, donec ovum gallinaceum coctum natabit, deſinito miſcere. Eodem vini veteris, vel aminii, vel miſcelli albi congios 2. infundito, miſceto probè. Poſtea in vas picatum confundito, & oblinito. Si quis plus volet aquæ marinæ concinnare, proportione ea omnia facito. *Cato de re Ruſtica.*

Aqua à vino ut ſeparetur.

Quòd ſi linteum vino aquæ mixto imponatur, promineatque extra urceum, aqua è vaſe tota aſcendit per linteum, ſincerumque relinquit in calice vinum. Quo experi-

mento proditur lymphatum à puro: nec poſſet hoc fieri, ſi vinum & aqua miſcerentur. *Cardanus de ſubtil.*

Aquæ inebriantes.

Aquâ ex Avena diſtillatâ utuntur Moſchovitæ, quòd vino careant: nec minùs excalefacit, aut inebriat, quàm vinum. Cùm enim avena craſſioris ſit ſubſtantiæ, neceſſe eſt, ut ex diſtillatione incaleſcat, attenuetur, ac exacuatur, & ad naturam aquæ ardentis accedat. Cannabis folia in farinam verſa, quòd caput feriant, potum ſuaviter inebriantem efficiunt. *Cardanus de ſubtil.*

Glacies ardens.

Si candela ſulphuris pulvere tum carbonis oblita in aqua mergatur hyemis tempore, ex ſuperiore parte papyro, ſuſpendaturque ubi gutta cadit glacie, circundabitur glacie craſſiore, ardebit tum accenſa, magnoque miraculo glacies aſtantibus ardere videbitur. *Cardanus de ſubtil.*

Flumina quomodo quis tutò tranare poſſit.

Utiliùs flumina tranantur, coriaceo inteſtino craſſiore: quod ubi opus fuerit, inflatur vehementer, & concluſis capitibus ſub alis circumligatur: ita tutò equites & pedites in magnis neceſſitatibus fluminibus ſeſe committunt, quandoque hoc ſolo tranare auxilio etiam auſi. Securiùs id fiet etiam tympanis coriaceis ſub pedibus, poſitis, baculoque cui tympanum ſit ſuppoſitum. Non enim ſolùm tranare, ſed deambulare ſuper aquas, res propè oſtentum videri poterit. *Cardanus de ſubtil.*

Vas inverſum ut hauriat aquam.

Quod ſic efficies: longiſſimi colli paretur vas, & quò longius, eò mirabilius: vitreum verò & pellucidum, ut aſcendentem inſpicias aquam, hoc bullientis aquæ expleatur, & ubi totum efferbuerit, vel igni fundum admoveto, illicò ne frigeſcat, inverſo ore aquam tangat, & intro tantùm abſorbeat. Sic naturæ rerum exploratores Solis radiis aquam hauriri, & abſorberi ajunt, è terræ concavis locis in montibus, unde fontanea efficitur ſcaturigo: nec levia inſurgunt hinc artificia in ſpiritalibus mechanicis, ut tradit Hieron, ſed uti ab hoc propoſito aliena, aliò

trans-

transferantur. Simile quoque à Victruvio de veterinorum ortu affertur, nunc verò in domeſticum peragravit uſum. *Joan. Baptiſta Porta.*

Aqua fortis.

Recipe aluminis & vitrioli, aut ſalnitri, aut horum trium ſimul uſtorum, ſing. part. j. redigantur in pulverem, miſceantur & ponantur in cucurbitam, luto obductam: deinde in vas recipiens duæ unciæ aquæ in ſingulas libras pulveris. Quod cùm factum fuerit, collocetur ita ſine operculo, cum vaſe recipiente ori cucurbitæ, farina, & ovorum albis copuletur, ne ullo modo reſpirare queat. Sitque vas recipiens in aqua frigida ſitum, & continuè deſuper linteis madefactum. Nam ſic fiet, ut ſpiritus cum ipſorum aqua meliùs copulentur, ne adhæreſcant recipienti. Quibus adminiſtratis, ignis accendatur, primò quidem lentus, & ſub cucurbita tantùm, donec materia diſſolvatur: deinde augeatur, atque etiam ſupra cucurbitam ponantur carbones accenſi, augeaturque ignis, uſque ad horas quinque, aut ſex, tunc ſinito, ut frigeſcat: pòſt eximatur aqua, & ſervetur ad uſum, in vaſe aliquo probè obturato. Verùm ignis ita inſtruendus erit, ne vas recipiens aliquo modo ab eo corrumpi queat. Quòd ſi fortiorem aquam conficere voles, addito ſalnitri partes duas. *Alexius.*

Ad naves ſubmerſas.

Cùm naves freto merguntur, quas eruere conſilium eſt, cymbæ onuſtæ ſaxis per funes alligantur navigio ab urinatoribus, ſic ut funes, quantum fieri poteſt, tendantur, inde totidem cymbis vacuis lapides ex prioribus detracti excipiuntur: quo fit, ut allevatæ cymbæ navigium paululum ex profundo ſecum trahant. Nam aër cymbas, quæ pondere lapidum fermè mergebantur, cùm aquæ ſubeſſe nolit, in ſuperficiem aquæ attollit, unde navigium fermè pro cymbæ altitudine ſuperius trahitur. Trahatur igitur ex *A* in *B*. tunc cymbæ, quæ plenæ ſunt lapidibus, illi annectantur funibus, transfuſisque lapidibus, navigium trahetur in *C*. Rurſus priores cymbæ, in quas lapides tranſudiſti, nectuntur tenſis funibus navigio in *C*. exiſtenti, trahentque deductis lapidibus ipſum in *D*. atque perpetuâ tranſmutatione, ad aquæ ſuperficiem tandem deduce-



tur. Sed dices: Plurimis cymbis opus erit ad triremem educendam. Verum eſt, ſed ratio ſic conſtat: quælibet navis aut cymba tantum ferre poteſt ponderis, quantum eſt pondus aquæ quam continere poteſt. Velut ſi triremis capiat in flumine mille amphoras aquæ, quarum pondus ſit decem millia talentorum, triremis illa in flumine decem millia talenta feret. Quòd ſi eadem in mari capiat, ut dixi, eaſdem mille amphoras, quarum pondus ſit duodecim millium talentorum (nam aqua maris gravior eſt aquâ fluminis) eadem in mari duodecim millia talenta ponderis feret. Atque eâ ratione manifeſtum eſt, cur navigia appellare ſoleamus à menſura, ut, navem mille vel quingentarum amphorarum. Idem enim eſt, ac ſi dicas, quæ ferre poteſt mille aut quingenta ponderis talenta. Nam qualis eſt capacitas, ut dixi, navis ratione aquæ, tantum eſt pondus, quod ferre poteſt, ſcilicet quantum eſt pondus aquæ, quam capit. Manifeſtum eſt igitur ex hoc, quòd diverſa pondera, eadem navis in diverſis aquis feret, quoniam & aquarum ipſarum diverſa pondera ſint. Juxta verò hanc rationem liquet ponderis magnitudinem eſſe pro ratione impellentis aquæ. Nam ſi (ut exempli gratiâ dicam) cymba viginti amphoras ſuſtinet: hoc eſt, quia aër incluſus ab aquæ amphoris viginti ſuperiùs impellitur, ut

aqua

aqua illa ſcilicet, quæ in navi contineretur, locum ſuum recipiat. Bellè igitur convenit hoc experimentum cum ratione, quæ ſuperiùs dicta eſt, ſcilicet veſicam aëre plenam ab aqua ſurſum pelli, quòd veſica aquæ locum occupet: quare pondus pro magnitudine aquæ, quam veſica continere poteſt, in aëre ſuſtinebit: id eſt, ita veſicæ pondere ſuperimpoſito, ut ipſum pondus totum in aëre ſit, non in aqua. Verùm pondus quod in aqua eſt (ut ad navigium eruendum rurſus veniam) tantò levius redditur, quantò aqua ipſa gravior extiterit: unde paucioribus cymbis opus erit, quàm quæ pondus demerſi navigii ferre poſſent. Duplici verò ratione navigia ex gravioribus aquis extrahuntur, quàm levioribus, atque ideò ex mari, quàm ex fluminibus, vel lacubus. Altera, quòd cymbæ in mari plus ſuſtinent ponderis: reliqua, quòd navigium in ea aqua minùs grave eſt. Oportet autem hanc ob cauſam animadvertere cùm, ut dictum eſt, navigium gravius reddatur in aquæ ſuperficie (quia partim eſt in aëre) quàm in imo, ut quando magis elevatur à cymbis, eò plures ac majores cymbæ alligentur, ne decepti hac ratione non ſolùm denuò mergatur, ſed & impetu adjecto omnes ſecum cymbas in profundum trahat. Dubitabit autem aliquis, cur exoneratis cymbis *B.* impletis autem aliis, quæ per *A.* ſignificantur, non deſcendat navis, quæ elevata fuit ab *A.* cymbis vacuis? non enim plenè poſſunt ſuſtinere pondus. Cauſa eſt, quia factis jam funibus æqualibus cymbarum *A.* & *B.* quum jam vacuum ſeu inane, vel aër, qui in cymbis continetur, potentior ſit navis pondere, plus trahet inane cymbarum *E.* quàm remittet gravitas aucti cymbarum *A.* Itaque hac ratione perpetuò navis aſcendet, hoc duntaxat obſervato, ut plenarum cymbarum funes eò ſint vacuarum cymbarum funibus breviores, quantò pondus lapidum eas cymbas deprimit. *Cardanus de ſubtilitate.*

Aqua ſalſa quomodo reddatur potabilis.

Si vas cereum efformabimus vacuum, & in maris aquas immergimus, quæ per ceræ poros intrò delabitur, fiet potabilis. Sic crudo fictili vaſe obſtructo ore (quod enim intrò permeat, percolatum eſt, quod ſalſedinem facit per commixtionem ſecernitur.) Fit aliter uberiùs & celeriùs: Sabulonem fluminum in ſalſam aquam immittas,

& pauliſper immoraberis, & lineo panno ſubjecti vaſis ori obtento colatur, donec ſalſamentum amiſerit omne, & dulceſcet. *Joan. Baptiſta Porta.*

Aqua adversùs locuſtas.

Cluerch Scytharum Catainorum civitas, in qua ſtagnum, cujus præſentia locuſtas arcet. Olim eam ob cauſam inde petitis à Cypri Rege aquis. Quarum vaſe ſtanneo pleno turri appenſo, factum eſt, ut eo tempore non ſit à locuſtis inſula tentata. *Scaliger.*

Ut aqua ſine igne calefiat.

Si vas æneum, amplum, rotundum, & unico apertum foramine, vivâ calce, ac ſulphure, æquis partibus exactè & integrè adimpleatur, & foramen, ne quid expiret, ſedulò recludatur, & mox in fontem non excurrentem, vel puteum dimittatur, aquam ejus dies multos calidiuſculam conſervabit, ac palàm exhibebit. Expertum à multis. *Mizaldus.*

DE TERRA.

CAP. V.

Terra ardens.

EST inter Lazige Metanaſte terra nigra bituminis & Penolei particeps, ceræ lentore & uſu non abſimilis: nam ut candela ardet, eam vidimus apud Archiepiſcopum legatum Pannoniæ regis. Sed hæc olim mihi, & nunc aliis, qui ea, quæ de lapide ac terra Scotica ſcribemus, non viderint, admiratione digna dici poterunt: at cùm ipſum lapidem candelæ inſtar ardere viderimus, ceſſat admiratio. *Cardanus de Varietate rerum.*

Luti ſapientiæ conficiendi modus.

Sumito cretæ optimæ, quâ vaſa fictilia conficiuntur vel albæ, vel cineritiæ, partes quatuor: cineris communis partem mediam: ſtercoris equini, vel aſinini ſicci, partem unam: & ſi perfectius voles, adde laterum contritorum, vel ſcrobis ferri parum, redigantur in pulverem ſubtiliſſimum, cribrentur, & miſceantur: deinde ponantur in terra, ſuperſpargendo ſenſim lanæ è pannis detonſæ, quod tomentum dicitur, partem unam: aquæ communis,

munis, quantum ſatis eſt, & miſceantur: deinde ponantur in terra ordinatè, ſuperſpergendo paulatim, primò tomentum, ita ut æqualiter diſtribuatur, deinde aquam, etiam ſubigatur probè primò baculo aliquo, dein palâ, & fiat maſſa. Quæ cùm benè ſubacta fuerit, ponatur ſuper ſcamnum aliquod firmum, vel murum, ſubigatur, & palâ optimè tundatur tamdiu, donec ſatis eſſe videbitur. Quò enim diutiùs tunditur, & ſubigitur, eò etiam melius evadit. Valet autem hoc lutum ad lutanda vitrea vaſa, ad formas craſſiores formandas, fornaces, aliaque quàm plurima facienda. Quòd ſi tantum laboris in conficiendo luto conſumere fortè nolis, ſumito tantùm cretam, tomentum, & ſtercus cum aliquantulo cineris. Quidam abſque ſtercore, quidam abſque tomento conficiunt, ſuum quoddam propoſitum ſecuti. Cæterùm ad lutanda ora vitreorum vaſorum, ne reſpirare queant, valet ſuprà dictum lutum, præſertim ſi addideris calcis vivæ partes duas, alba ovorum, quot eſſe ſatis videatur: nam ſic tutius eſt, atque vitri modo durum redditur, quo fit, ut minus etiam per id reſpirare poſſit. Porrò lutum tale in loco aliquo humido conſervandum erit, ita tamen, ut nec humidum nimis, nec ſiccum fiat, nam ſemel induratum, nullius eſt uſûs. Si enim aquâ remolleſcere velis, foris parùm humeſcet, intùs ſuam duritiam retinebit. Quare cùm nimium fuerit durum, optimè ſiccari permittito: deinde in pulverem redigito, conficitoque, ut priùs eſt dictum. *Alexius.*

Lateres cocti cur graviores.

Sed illud mirum, quod quidam ajunt, lateres coctos graviores eſſe, quàm antequam in fornacem ponerentur. Cauſa eſſe poteſt, quòd ubi facti ſunt, in Sole ſiccantur, concipiuntque aëris non parùm, qui intrò latens multò leviorem lapidem reddit, quàm idem fit igne exuſtus: itaque dum coquitur later, gravior efficitur, quanquam humidum abſumtum ſit. Qui etiam excoquuntur plusquàm par ſit lateres, colorem ferri imitantur: unde gravitatis & coloris cauſa eadem eſſe poteſt: parvitas pro ratione materiæ: at parvitas ipſa fit, coacta per vim, & liqueſcente terrâ, quæ metallicum quid retinet, unde fermè ſemper plus, quàm par ſit, excocti inflectuntur, atque incurvantur. Illud verò magnâ dubitatione dignum, aut intermiſſo igne

igne fornacibus, vel brevi momento lateres frangantur. Id verò non ſemper, ſed cùm calor immodicus igne ceſſante contrahitur, frangit lateres. Idem cùm denuò accenditur, etiam frangit: nam quæ jam ſicca ſunt, cùm novo calore fervent, diſrumpuntur: ſicut de vitro patet. Cauſa eſt, quoniam antequam liqueſcat, & molliatur quod durum eſt, flatu diſtendente rumpitur. Ob eam igitur inæqualitatem magna jactura figulis. *Cardan. de ſubtil.*

Phoſphorus fulgurans & ardens ſolidus.

Phoſphorus eſt ſubſtantia luminoſa, & ardens, è fermentatâ urinâ per deſtillationem extracta. Præparatur autem ſequenti modo:

Collige bonam quantitatem urinæ recentis hominum cereviſiam ordinario potu bibentium; ac igne lento humiditatem è terreis vaſis evaporari permitte uſque ad conſiſtentiam mollioris extracti, vel mellis ſpiſſioris. Omnem poſtea materiam uni vaſi terreo amplo immitte, illudque tectum in cellâ per ſpatium trium vel quatuor menſium repone, ut ita probè fermentet atque corrumpatur.

Recipe duas urinæ ſic fermentatæ libras, permiſce quatuor libras arenæ ſubtiliſſimæ vel boli pulveriſati. Mixta immitte grandi admodum Retortæ terreæ, vel vitreæ probè lutatæ; atque hinc in furno reverberii collocatæ adapta vas amplum Recipiens longiore collo præditum, cui priùs tres vel quatuor libras aquæ communis infuderis, juncturas dein luto exactè muni, atque, cùm furno ſuperius operculum applicaſti, ignem lenem ſubde per bihorium, ut materia inſenſibiliter calefiat, & ſimul urinæ ſpiritus exſtillet. Dein verò ignem ſenſim per gradus auge, & ita prodibit ſal volatile multumque olei nigri fœtidi. Auge ignem ad ſummum gradum, ſic comparebunt in Recipiente nebulæ albæ, quarum pars ſenſim adhæreſcet parietibus Recipientis in formâ pelliculæ flaveſcentis; alia verò pars ad fundum præcipitabitur pulveris ad inſtar. Continuabitur ſic ignis violentiſſimus per trihorium, vel uſque dum nihil amplius è Retortâ prodeat.

Omnia demum refrigerari permitte, & juncturis apertis: in ablatum vas recipiens aquam adhuc infunde novam, hinc probè agita, ut ſeparetur, quicquid parietibus accrevit, ac denique illud omne in vitrum amplum effunde, quietique trade; ſic ſal volatile in aquâ diſſolutum erit,

erit, materia autem Phoſphori, atque oleum præcipitabuntur ad fundum. Separa dein aquam ſ. phlegma per decantationem, materiam verò reſiduam, minori immitte, affunde parum aquæ, impone arenæ, & ſuppoſito igne digere, interdum agita leniter cum ſpatulâ ligneâ. Tum Phoſphorus ſic ab oleo ſeparatus fundum petet, quem poſtea adhuc calentem in bacillos redigere potes, transmittendo ſcil. eum per collum anguſtum tenuis phiolæ aut cucurbitæ vitreæ. Cumque refriguit, immittes phiolæ aquâ repletæ exiguæ, & in hâc probè clausâ aſſervabis; abſque aquæ affuſione autem facilè in auras exhalaret.

Phoſphorus idem liquidus.

Ad eundem autem reddendum liquidum, oportet ejus fruſtulo contrito affundere Eſſentiam caryophyllorum ſatis claram & perſpicuam, ad eminentiam vel altitudinem unius digiti. Claude hinc vitrum probè, & per biduum ad Digeſtionem pone in fimum, ſubinde tamen agitando, ut diſſolutio materiæ facilitetur. Aufer hinc vitrum, & aſſerva, quicquid autem ei inerit, Phoſphorus eſt liquidus: omnis autem materia vix erit diſſoluta, ſed fortè pars remanebit in fundo.

Phoſphorus autem tam ſolidus quàm liquidus lumen in tenebris à ſe ſpargunt, quando ipſis liber conceditur per aperta vitra aëris acceſſus. Si pingas cum illis literas, ſi faciei, aliique rei eoſdem afficies, lucebunt hæc omnia in tenebris.

Obſervationes circa Phoſphoros præcedentes.

Dantur Phoſphori naturales & artificiales; naturales ſunt v. g. vermiculi lucentes, lignum putridum, aliaque plura. Artificiales fiunt cum Lapide Bononienſe, cum Cretâ, Urinâ, Sanguine, multisque aliis corporibus ſulphureis.

Alchymiſta quidam Hamburgenſis, nomine *Brand*, Philoſophicum Lapidem Urinæ deſtillatione producere laborans, hunc caſu fortuito Phoſphorum invenit Anno 1669. Sed rationem eundem conficiendi ſecretum tenuit, mortuusque eſt eodem nemini revelato. Succeſſit dein *Kunckelius*, Electoris Saxonici Chymicus, qui ejuſdem inventioni ſeſe applicuit, & voti ſui compos tandem redditus, non

non tantum inde myſterium fecit, quin generoſo animo ſuis amicis illud candidè revelavit.

Circiter annum 1680. Illuſtris ille *Boyleus*, Londinenſis, rem hanc, Dn. *Krafft*, Bresdenſi Medico auditam, ſcripto Tractatu egregio, ſub titulo *Noctilucæ Aëriæ*, publicam reddidit. Poſtea autem Nobilis Germanus *Dn. Homberg*, Phoſphorum, quem ab ipſo inventore feliciter parari vidit, deſcripſit Lutetiæ Pariſiorum cum magno obſervationum curioſiſſimarum numero, atque Collectaneis Academiæ Scientiarum Regiæ, cujus ipſe membrum erat, inſeri curavit Menſe Aprili & Majo Anno 1692.

Oportet Urinam recentem, nondum fermentatam, quæ facilè ſulphureo-volatiles ex ſeſe particulas amitteret, in hanc rem aſſumere. In evaporatione phlegmatis, & inſpiſſatione Urinæ cave, ne materia admodum rarefacta aheni oras excedat. Materia incraſſata nigreſcens manet in ollis terreis.

Recipientis collum deſideratur longum, quò ſic illud à furno magis remotum exiſtens nonnihil frigidiuſculum maneat; nimius enim calor ipſius impediret, quò minùs nebulæ albæ, quæ Phoſphori ſunt materia, coagulentur facilè. Aqua autem Recipienti immiſſa condenſat & reſtinguit Phoſphori materiam ad fundum præcipitatam. Arena autem Urinæ fermentatæ permiſcetur, ut partes illius ab invicem magis remotæ majorem ignis vim in ſui ſeparatione experiantur. In deſtillationis principio magnum ignis moderamen eſt tenendum, ne materia craſſa integraque nondum probè ſiccata prodeat. Abſolutâ deſtillatione, Recipiens ne tollito, antequam furnus & omnia refriguerint, ſi priùs ſeparaveris, phoſphorus in flammam erumpere poſſet.

Obſervatum eſt, urinas hominum vino communiter utentium difficulter admodum exhibere Phoſphorum, idque propter ſpirituoſo-ſulphureas vini particulas facilè avolantes. Neceſſaria magis eſt ſubſtantia viſcoſa ad Phoſphorum reddendum, quemadmodum eſt Cereviſia in potu.

Phoſphorus magis Sulphureo, quàm alio principio gaudet: Aqua enim ipſum condenſat, & oleum diſſolvit. Odor ejus eſt ingratus.

Phoſphorus liquidus ob majorem ſui particularum rarefactionem plus ſtatim luminis exhibet, quàm ſolidus.

Quam-

Quamprimum enim vitrum, cui liquidus ineſt, aperitur, illico in tenebris velut tota flamma comparebit.

Lapis Bononienſis in tenebris lucens.

Lapis hic eſt exiguus, coloris cineritii, ponderoſus, tener, ſulphureus, pluribus in locis nitens, magnitudine juglandis nucis, planus & gibboſus, ſi frangatur, calcis inſtar fulgens: Quandoque cruſtâ albâ & opacâ involutus, qui cenſetur optimus. Reperitur circa Bononiam, & maximè quidem in radice Montis Paterni, quæ maximè ſterilis eſt. Lapis autem hic per ſe nullum de ſe ſpargit fulgorem, ſed priùs præparari debet. Præparatio hæc fit per Calcinationem Lapidum, à cruſtis ſuperficialibus priùs liberatorum, hinc Spiritui Vini immerſorum, denique pulvere ſimilis Lapidis conſperſorum, ac inter prunas in furno peculiari collocatorum, inibique relictorum, uſque dum carbones abierint in cineres. Hi lapides poſtmodum aëri expoſiti ſereno, inprimis calenti ac illuminato, lucem prehendunt, eamque poſtea in tenebris de ſe ſpargunt per aliquod tempus.

Phoſphorus Hermeticus Balduini.

Phoſphorus hic nihil aliud eſt, quàm mixtura cretæ & acidæ Aquæ fortis, certâ operatione invicem ita mixtorum, ut inde compoſitum evadat in tenebris lucens. Verùm hic minùs durabilis, ſicut & ipſe Lapis Bononienſis vim ſuam haud diu retinet.

Hæc omnia extracta ſunt è *Curſu Chymico Nicolai L'Emery Pharonacopæi Regii Parigienſis.*

DE SECRETIS

LIBER IV.

Mundi partes, quas vocant integrales, præcedenti libro expedivimus: jam verò cùm ea quæ in hiſce partibus continentur nobis exponenda ſint, omnium primò de homi-

homine acturi ſumus, utpotè quòd inter cætera Dei nobiliſſimum opus exiſtat, & cujus causâ non mundus ſolùm, ſed etiam quidquid in eo eſt, creatum ſit. Cùm tamen, quæ ad hominum ſecreta referuntur, multa ſint, & ſub diverſis contineantur generibus, non uno, ſed duobus libris comprehendenda fuerunt: quorum hic animi, quintus verò corporis remedia contineret. Ad animum autem referimus affectus, quos vocant animi paſſiones, odium ſcilicet, amor, & alia hujuſmodi. Animæ item facultates internæ, memoria nimirum, phantaſia & ratiocinatio, quæ nullum extra ſe opus proferunt, ſed externarum actionum rectrices exiſtunt.

DE ANIMO.

Memoria ut confirmetur.

MIRABILE eſt, quod referunt, dentem taxi, vel ſiniſtrum pedem, brachio dextro hominis alligatum, memoriam roborare. Veriſimilius forſan, quod tradit Simeon Sethi, ſcilicet vel perdicis arteriis temporum illitum, ut penetret ſemel in menſe, ad memoriam confirmandam plurimum prodeſſe. Sed & meliſſa confirmat eam, & ingenium acuit, ut hominem commeſta facit induſtrium: quod etiam naſturtium efficere poteſt. Et gallinæ cerebrum, ingenium & memoriam juvat, adeò ut aliquos qui delirare cœperant, reſipiſcere fecerit. Sed meliſſa præter hæc animi tranquillitatem præſtat, & hilarem non parum curas pellendo reddit. Sic à cœna commeſta, ſomnos jucundos facit, ut caules triſtes, & phaſeli turbulentos, & allia, ac cepæ terribiles. Inde ab his natam opinionem Lamiarum, quæ apio, caſtaneis, fabis, cepis, caulibus, phaſelisque victitantes, videntur per ſomnum ferri in diverſas regiones, atque ibi diverſis modis affici, prout uniuſcujuſque fuerit temperies. *Cardanus de ſubtilitate.*

Ad

Ad Amorem conciliandum.

Scire debes, tantam esse rerum naturalium potentiam, quòd non modò cunctas res sibi propinquantes suâ virtute afficiant, verùm etiam præter hoc, infundunt ipsis consimilem potentiam, per quam hâc eâdem virtute ipsæ etiam cætera afficiant, quemadmodum in Magnete videmus: qui quidem lapis non solùm annulos ferreos trahit, sed vim etiam annulis ipsis infundit, quâ hoc idem efficere possunt, qualem vidisse referunt Auguſt. & Albertus. Simili modo ponuntur annuli per certum tempus in nido passerum, sive hirundinum, quibus postea ad amorem vel benevolentiam utimur. *Cornelius Agrippa.*

Ad dissolvendum maleficium.

Si quæ mulier te ligavit maleficiis ad amorem suum, & vis illud dissolvere: accipe camisiam illius, & per capitium ejus minge foras, & per manicam ejus dextram, & non curabis de ea. *Albertus.*

Aliud ad dissolvendum maleficium.

Si vis solvere vincula amoris, vade in sylvam, & prospice, ubi pica nidum habuerit cum pullis, & quando eris ibi, ascende arborem, & foramen ejus circumliga quocunque vis, quia cùm videt te, vadit pro quadam herba, quam ponit ad ligaturam, & statim rumpitur, & tunc cadit herba illa in terram super pannum, quem debes posuisse sub arbore, & tu sis præsens, & accipe. *Albertus.*

Ad augendam memoriam.

Thus albissimum in pollinem attritum, & cum vino, si frigus erit, vel aqua decoctionis passularum, si æstas, epotum in Lunæ augmento, oriente Sole, nec non in Meridie, & Occasu, mirum in modum memoriam augere fertur, & cerebro ac ventriculo prodesse. *Autor Rhasis.*

Ad perpetuam sponsi cum sponsa concordiam.

Orpheus in libello de lapidibus, jubet sponsum cervinum cornu gestare; sic enim perpetuam ei cum sponsa futuram concordiam pollicetur. *Mizald. memor.*

Cor masculinæ coturnicis à viro gestatum, & fœminæ à fœmina, facit ut nec lites, nec jurgia possint inter illos oboriri, aut spargi. *Mizald. memor.*

Quomodo amor conciliari poſſit.

Noſtrum fuit ab operis initio conſtitutum, omnia tantùm naturaliter operari, & præſertim quæ Magorum operibus impiorum evenient, ad eorum ſcientiam penitus peſſundandam: mortalium enim mentes his laqueis, & errorum involucris irretiunt, cùm hominum pars magna huic inſiſtet, ac fallaci amoris illecebrâ multos divexari videam, admiratione animos capi, & ingenia ipſa ad perniciem elabi, quæ elevata, ac diſcendi cupidiora ſunt. Nos quæ ex iis poterimus amorum illicia recenſere non pigebit, à naturâ poſtliminiò minimè diſceſſuros: quæſo legentes boni conſulant. Ut igitur exordiamur, ſcitu jam dignum eſt, quòd aliò non intenditur mens, niſi ut in hominum mulierúmve animis amoris igniculos accendere, eos mitiores reddere, noſtræque voluntati obtemperaturos nitatur, cumque rebus eveniat, in quibus efficiendi poteſtas latet: iis utamur, quorum aliqua à majoribus nobis experientiâ comprobata, multaque recentiorum induſtriâ comparata ſunt: & primum Hippomanes, antiquitùs ad ſidera laudibus elatum, quanquam non defuerint, qui adſtruxerint mulierecularum figmenta, delirias eſſe fabulas, demonſtrationibus fortaſſe addicti, nec prodigioſis naturæ miraculis, additisque cauſis fidem adhibentes: quibus evidens experientia refragatur. Quod duplex ſtatuunt, unum virus, ex equarum obſcœnis diſtillans, libidinis furore nimio ſtimulatarum, noſter in Georgicis Poëta ſic cecinit:

Hinc demum (Hippomanes vero quod nomine dicunt
Paſtores) lentum diſtillat ab inguine virus,
Hippomanes, quod ſæpè malæ legére novercæ
Miſceriq; herbas, & non innoxia verba.

Unde apud Tibullum,

Hippomanes cupidæ ſtillat ab inguine equæ.

Nec inſtituto inefficax, ejuſque uſum alibi tradidimus, & vires cùm popoſcit locus: alterum autem carica eſt magnitudine, ſpecie orbiculatum, latiuſculum, colore jam nigricante, fronti naſcentis pulli adhæret, ſtatimque fœta partu edito ſecundas devorat, & laborum oblita perlambendo, & abſtergendo, eum convellit, Hippomanes appellatum: quod ſi quis præripuerit, ad ubera partum non admittit,

mittit, odit, & alienum tanquam à ſe fugat, nunquam amatura : quod idem rectè ſenſit in Æneide vates,

Quæritur, & naſcentis equi de fronte revulſus,
Et matri præreptus amor.

Meritò igitur ex carne illa amorem creari, & illius eſſe irreticulum, non abſurdum putârunt, amatoriumque innaſci veneficium. Et ut tradit Pauſanias, nec Ælianus omittit, tantam in eo vim novit olympiæ Phormis Arcas, quod illo æri mixto, & effuſo equam poſuit, abſciſſâ caudâ, ubi Hippomanes incluſerat, fabricâ non tam accuratâ, ut ex ea equi eatenus fallerentur, ut tantoperè ad illius conſpectum furiis ſtimulari deberent : ſic enim eos allicie-bat, tantâque inſaniâ ducebantur, ut ruptis frenis in ipſam violentiùs, quàm in pulchram equam & vivam inſilirent. Neque enim quòd ungulæ, cùm æreæ ſtatuæ hærent, lubrico lapſu elidantur, idcirco coitum deſperant, immò ardentiùs multo hiante ore imminenteque adhinniunt : neque prius, quàm flagris & magno ductorum robore abſtrahantur, ab æreo ſimulacro depelli poſſunt. Unde nomen veneno inditum ἱππόμανες, quòd equinæ cupidinis ſimilitudine, hominibus amores inducit, & effrenatè furere in Venerem facit: traduntque non minimæ auctoritatis viri, quòd hoc cognitum paſtores habent, & ſi amatorias alicui inſidias parare velint, ut amoris flammâ conflagret, hippomanes à partu equæ præreptum in pollinem huncque eſculentis permiſcent, &c. *Joan. Baptiſta Porta.*

Ad amorem conciliandum.

Diligent te omnes, ſi cor hirundinis tecum habueris. Et mulier eum perditè amabit, à quo columbini cordis pulverem, in potu vel eſcâ acceperit. Prætereà, ſi quis de leporis felle ſub capite poſuerit, perpetuò dormiet. Excitabitur autem ſi acetum illi potandum dederis. Ex Alberti fabuloſis narrationibus. *Mizald. memor.*

De faſcinatione, & quomodo per eam illaquearí quis poſſit.

Jam de faſcinatione eſt differendum, quique effaſcinatores fuerint, nec ſilentio prætereundum? nam nobis priſcorum

ſcorum monumenta libeat videre comperimus hujuſmodi multa poſteritati prodita jam eſſe, cùm nova recentis ævi eventa, antiquæ famæ non prorſus vanæ ſuffragentur. Nec hiſtoriis fidem derogare opus eſſe cenſui, ſi veras rei cauſas validis rationibus aptare nequimus: præterea cùm pleraque ſint perveſtigationem penitus ſummoventia. Quod autem ipſe ex aliis operationibus ſenſerim, in medium explicandum duxi: multa apud Theocritum & Vergilium reperies, unde

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.

Iſigonus & Memphrodorus in Aphrica terra familias quaſdam produnt voce & linguâ effaſcinantes, quæ ſi impenſiùs fortè, quàm liceat, admiratæ fuerint, vel laudaverint pulchras arbores, lætiores ſegetes, infantes amœniores, egregios equos, pecudes paſtu vel cultu opimas, areſcere, & emoriantur repentè, hæc omnia nulli alii cauſſæ obnoxia: quod Solinus quoque ſcriptum reliquit. Idem Iſigonus Triballis, & Illyriis ejuſdem eſſe generis, qui pupillas binas in oculis habeant, atque viſu exitialem effaſcinationem faciant, ut interimant quos diutiùs intueantur, iratis præcipuè oculis tam nocenti viſu ſunt, ut impuberes maximè noxam ſentiant. Hujuſmodi fœminas in Scythia eſſe, quæ vocentur Bithiæ, tradit Apollonides Philarchus in Ponto, Tibiorum genus alterum, multosque alios ejuſdem naturæ, quorum notas dicit in oculo altero pupillam geminam, in altero verò equi effigiem eſſe: quorum meminit quoque Didymus. Nec diſſimilis generis Damon prodidit pharmacum in Æthiopia, cujus ſudor tabem contactis corporibus afferat: ac fœminas quoque omnes viſu effaſcinare patet, quæ duplices pupillas habeant. Cicero quoque de iis ſcribit. Sic Plutarchus & Philarchus effaſcinatrices gentes Paletheobeorum Pontum incolentes non puſionibus modò, quorum habitus ſit imbecillis, ſed adultis, qui ſolido concretiorique conſtant corpore, peſtilentes eſſe, & intuitu, ſoloque habitu in morbos languere, quos perimant, & in tabem reſolvant: nec ſolùm qui continuò, ſed hoſpites, & qui ab eorum commercio alieniſſimi ſunt, concutiuntur, tanta oculis vis: & faſcinum, quanquam per contactum, & miſcellam iniatur ſæpè, per oculos tamen perficitur: uti exterminatio quædam per ſpiritus, per oculos ad faſcinati cor deveniens, totumque

tumque inficiens. Sic enim evenit, ut adoleſcens ſubtili, claro, calido, dulcique ſanguine præditus, tales det ſpiritus, cùm à cordis calore è puriori ſanguine exoriantur, quia leviſſimi in altiori corporis parte perveniunt, & per oculos procidunt, & jaculantur, qui maximè foraminoſi & venulenti ſunt, omniumque partium nitidiſſimi: & cum ſpiritu ipſo unà vis quædam ignea radiis emittitur; ut rubentes oculos, & lippos ſpectantes obvios, ſimili cogantur laborare morbo: mihique accidens detrimentum attulit: inficit enim aërem, qui infectus alium inficit: ſic oculis proximus, unà ſecum vaporem corrupti ſanguinis deferens, cujus contagione ſpectantis oculi rubore ſimili afficiuntur? ſic adimit lupus vocem, ſic regulus vitam, qui aſpectu venenum excitat, & radiis virulentos infigit ictus: cum ſpeculo autem, reciproco jaculatu in ſui auctorem retorquentur. Sic immundæ mulieris intuitum reformidat politum ſpeculum, ut affert Ariſtoteles, ejuſque aſpectu ſordeſcit, & fulgor hebetatur: quod evenit, quia ſanguineus vapor in ſpeculi ſuperficiem, propter terſitudinem in unitatem coit, ut quadam eluvieculâ operiatur, & clarè demonſtratur: immò ſic novitium ægerrimè elues, quod ideò in panno vel ſaxo non evenit, quia in illo ſerpit, & in profundum deſcendit, in hoc verò ex partium inconcinnitate diſſipatur. At ſpeculum quia pertinax obſtat, quia terſum infractum reſervat, quia frigidum coacto aëre guttulas gignit: tali fermè pacto ſi in clarum vitrum reſpires, facies ſalivæ roris aſpergine rigatur, tenuiſque evolans pars in ſalivam relabitur: ſic ex oculis radiorum profluvium, qui ſpirituum vehiculum, ad occurſantis oculos perveniens transverberat, & percuſſi hominis interiora afficit, propriam quærens regionem, cùm è corde exoriantur: ſic ipſi in cordis marginibus coguntur in ſanguinem, peregrinus hic ſanguis ab effaſcinati natura viri diſcordans, reliquum tabe conficit, unde ægrotat, eatenus contagione ipſâ permanente, quatenus vis tabidi ſanguinis in membris viget, & cùm ſanguinis affectio ſit, ex nunquam interpolari contuetur febri, quæ ſi in bili, vel pituita eſſet, per intervalla fortaſſe ſedaretur. Ut autem diſtinctiùs pateſcant omnia, id primò ſciendum, duplicem apud autores faſcinum reperiri: alterum amoris; invidiæ vel malevolentiæ alterum: Si verò pulchri deſiderio, formæque concinnitatis fuerit deſiderio irretitum, quanquam eminus jaculetur, per oculos vene-

num hauritur, & venuſtæ ſpectrum formæ amantis cordi reſidet, igniculos ſuccendit, unde ſemper afflictari ſolet, & quia ibi molliſſimus amati ſanguis vagatur, vultus repræſentat, ſuique ipſius ſanguine relucet, in ſe non quieſcit, & ſic ab eo trahitur, ut vulnerati ſanguis in vulnerantem labitur, rectè hoc ſic innuit Lucretius:

Idq; petit corpus, mens unde eſt ſaucia amore,
Namq; omnes plerunq; cadunt in vulnus: & illam
Emicat in partem ſanguis, unde icimur ictu:
Et ſi cominus eſt, os tum ruber occupat humor.

Si verò invidiæ, vel malevolentiæ fuerit, quem tale virus infecerit, effaſcinatio noxia admodum, maximeque in vetulis reperitur. Nec valet aliquis inficiari, quin animo affecto malè habeat corpus: animusque affectus corporis vires firmat, & potiores reddit: nec ſolùm immutat corpus proprium, ſed alienum reddit, & tantò id, quantò ardores interiores vindictæ, vel cupiditatis in corde cient. Nónne avaritia, mœror, vel amor colores, & habitus immutat? Invidia nónne corpus pallore inſigni, & extremâ induit macie? Nónne prægnantis aviditas inficit tenerum fœtum rei agnatæ nota? ſicubi flagrantes invidia oculos, & truces deflexerit, & pernicioſè nocendi cupido acriùs micat ex oculis, & inteſtinis ardor proficiſcitur ab eis, aſtantium corporibus maximè ſpecioſis malum inferunt, & oculorum acies uti telum tranſverberat, præcordia perurit, & maciei præbet cauſam. Si cholerici, & ſanguinei præſertim fuerint: nam pororum aperturâ, & humorum ſubtilitate facilè depaſcitur morbus. Nec ſolùm ex paſſione tale fit corpus, ſed venenum humano reperiri poſſe corpore facile eſt, quod probat Avicenna: plerique tali ſunt naturâ præditi: quod mirum videri non debet, ſi arte fieri poſſe ſæpius viſum eſt. Mittitur Alexandro ab Indorum Regina inſignis ſpecie puella, ſerpentum veneno delibuta & depaſta, ut Ariſtoteles tradit: & Avicenna Rufi teſtimonio ſcribit, Galenuo aût alteram fuiſſe, quæ Hyoſcyamum impunè ſumeret, alia verò Aconitum, ut nec gallina appropinquaret, & frequenti ejus uſu (ut ex antiquorum monumentis accepimus) uſque adeò innoxium præbuit ſe veneno Mithridates Ponti Rex, ut cùm vellet veneno ſibi mortem conſciſcere, ne ſe Romanis dederet, nullam ex aſſumto veneno perciperet noxam.

noxam. Gallinæ, anguium, & lacertorum carnibus obesæ, vel tritico cum jure decocto, si accipitri glutiendas dabis, accelerat pennarum defluvium, multaque præterea fiunt, quæ longum esset recensere: sic plerique viri suâpte naturâ sunt, qui tactu infirmitates aliquas curant: multi araneum & oleandrum comedentes, serpentumque morsus floccifaciunt, nec tabem sentiunt, si similem sortiuntur naturam: quorum obtutus vel emanans spiratio non homines solùm, sed plantulas, herbas, cæteraque emaciat, ut exaresçant penitus: & sæpè ubi hujusmodi animalia residunt, arentes segetes veneni participes factæ, exsiccatæ cernuntur, non nisi oculorum vi, & auram quandam eructantes. Nónne mulieres, mensium tempore cucumeres, & pepones tactu visuque inficiunt, ut marcescant? nónne pueri innocentiùs viris, quàm mulieribus tractantur, & plures fœminas, quàm viros effascinatores reperies complexionis ratione: fortiori enim lapsu à temperamento decedunt, plurimisque noxiis vescuntur, ut in singulis mensibus superfluitatibus expleantur, & sanguis ebulliat melancholicus, unde vapores orti, sursum elati, per oculos prolabuntur, & astantibus venenum expirant, & tali corpus explent. At si formosam deperis juvenem eique vis (vel mulier viro) fascinum inducere, ut si fieri possit, in amorem coarctetur, hic patet

Amatoriæ illaqueationis modus.

Sint oportet sanguinei, ex parte quadam cholerici, oculos habeant amplos, nitentes, & glaucos, & multum conducit castè vivant, ne frequenti coitu humorum succus exhauriatur, unde frequentissimo intuitu, diutissimâ imaginatione, debitâ approximatione, cum conamine facto aciem aciei dirigant, radii radiis, & lumina luminibus conjungantur, sic ex intuitu ultro citroque facto nascitur amor, & combibitur. Cur autem tui fascino detineatur non aliorum, ex superiori, & ex hac videatur ratione: Evenit enim ex fascinantis intentione, qui quidem per spiritus, sive vapores transmittitur ad maleficium, & spiritu illo affectus ei similis efficitur: existente enim maximè in passione illa, & imaginativâ virtute circa rem valdè fixa, habitus diu permanens, spirituum habet obedientiam & sanguinis: tunc exoptatâ re, potest à virtutibus devinciri, & inflammari. Quanquam animus (ut Avicennæ adscribitur, neque

ab hac ſententia illius abhorret auctoritas:) ſolo affectu, & imperio, tales producere poteſt affectiones. Placet Muſæo, quòd amoris fundamenta oculus jaciat: & præcipuè ad amandum illices ſint, & ex aſpectu amorem naſci dicit Diogenianus, ubi incognitum amari non poſſe inquit: & tanquam prodigii loco Juvenalis de amante refert:

Qui nunquam viſæ flagrabat amore puellæ.

Nitidus enim oculorum obtutus viſam ad inſaniam compellit, amoriſque allicitur per oculos rudimentum. Reliqua verò membra non verè dant cauſam: ſed concitant, ut formæ lenocinio cernentem remorentur viſis rebus illectum, & immorantem obtutu feriant, & ibi cupidinem excubantem ajunt ſua mittere tela, ut emiſſus ex oculis aculeus in oculos adſtantis confugiat, ac præcordia perurat. Apulejus. Iſti enim tui oculi per meos oculos ad intima delapſi, acerrimum meis medullis commovent incendium. Jam non parvam tribuimus quærentibus radicem, ni penitus, malæque mentis compos extiteris, multis corroborare poteris. Quòd ſi aliquibus fortaſſe mirum fuerit, morbis perpenſis, qui ex contagione eveniunt: uti pruritum, ſcabiem, lippitudinem, epidemiam: ſi tactu, viſu, loquelâ aſtantem inficiat, facileque tabem contrahat: cur amatoria contagio morborum omnium graviſſima peſtis, non illicò homines invadat, ac penitus conſumat? Nec in aliis ſolùm, ſed in ipſos quoque relabitur, immiſſumque faſcinum ipſi alliciunt. Veteribus quoque ſcriptis proditur de Eutelida, qui refluxionibus, aquis ſpeculo vel fonte reſilentib. in videntem imaginem retorquentibus, ſibi faſcini perniciem intulit author.

Εὐτελίδα ἀνάγη βακχαίῃσιν ἰδὼν ὀλόφησις ἄινης.
Δινήεντι ποταμῷ ἄδ' ἀντίκα νῆσσον ἀδίκης.

Adeò ſibi pulcer viſus eſt, ut eodem, quo alii ipſe faſcino deciderit: ſic priſtinum corporis habitum deperdit, peculiariſque morbi pœnas dedit. Sic ſe proprio pueri vitiant faſcinatu; parentes verò veneficis & faſcinatoribus cauſam adſcribunt. *Porta.*

Ad ligatos & maleficatos à mulieribus.

Pone de egeſtione ſeu alvi excremento ipſius mulieris manè in ſoculari dextro maleficiati, & ſtatim cùm ipſe ſentiet fœtorem, ſolvetur maleficium. *Alexius.*

In calamum, vel avellanam vacuam pone argentum vivum,

vum, obturando cum cera: & ponatur ſub pulvinari, ſeu cervicali maleficiatorum: vel ponatur ſub limine oſtii, per quod in domum vel cameram intrat, & ſolvetur maleficium. *Idem.*

Aliud.

Ligatus ungat totum corpus ex felle corvino, & oleo ſeſamino.

Aliud.

Suffumigium ex dente hominis mortui, ligatos ſolvit indubitanter. Si vir ſecum portaverit cor cornicis maſculi, & mulier cor cornicis fœminæ, benè convenient ſemper. *Alexius.*

Philtrum.

Porrò veneficia ſunt per ſe: cerebrum murilegi, lacertæque: ſanguis menſtruus meretricis; ſtellio, cui nomen ſtincus inditum eſt; hippomanes. Hæc omnia mentem mutant potiùs, quàm ad amandum eam à qua ſumpſerint cogant. Componuntur autem plerunque ex excrementis, aut animalibus quæ putredo genuit, aut ex ſemine humano: quale illud, quod ex eo & utero catulæ ardentis in Venerem fit, cùm tamen catulus præſens diuque coram illa detentus ad eam non admittitur, tunc enim quaſi rabioſa furit. Sunt & alia philtra, quæ non eduntur, plerunque à mortuorum veſtibus, candelis, menſuris, acubus, & generaliter eorum, quæ funerum gratiâ parantur, ſumta. *Card. de ſubtil.*

Faſcini amoris curatio.

Multa enim ſunt, quæ prudens inſtituit vetuſtas. Si amoris faſcinum amoliri conaberis, ſic averruncabis. Viſum abſtrahas, ne tuis aciem oculis adigat, néve lumina luminibus copulentur: unde enim affici ſolet, inde cauſam amove: conſuetudinem interpolatim remove, otium repelle, gravibus animum adhibe curis, ſanguinem, ſudorem, & excrementa omnia largè ejicito, ut una noxia ejiciatur aura, & contraria primis extant quoque. Si invidorum fuerit maleficium, illud ſic noſcis: colorem deperdit, difficulter oculos elevat, ſemper inclinat, crebra jactat ſuſpiria, cor anguſtiis cohibetur, nec ſignum conſpicitur mali alicujus, lachrymas effundit falſas & amaras. Ad ipſum effaſcinandum, quia aër contagioſus, & contaminatus eſt,

odorata ſuffimenta ſubſtituantur, ut aërem inſtaurent, nec minùs aquis irrorando, cinnamomum, caryophyllos, cyperum, xylaloe, moſchum, ambram. Ideo priſca ævum ad hoc noſtrum ſe propagavit conſuetudo, retinentque hoc mulieres, ſi noxam pueros contraxiſſe vident: ad expiandos thure eos ſuffumigant, & circumvolvunt: claro ſerventur aëre, ipſi pendant è collo lapides, carbunculum, hyacinthum, ſaphirum: aliſſum in domo ſuſpenſum, rhamnum,& phu opiferum putat amuletumDioſcorides,Hyſſopum & lilium odorato. Annulus deferatur, ex onagri vel ungulis aſini domeſtici. Satyrion, quæ orchis & fœmina dicitur, Rutam ſua dote probat Ariſtoteles. Hæc omnia veneficiorum vires hebetant. Quæ autem experientia comprobata, & ad veritatem propenſiora viſa ſunt incerti generis experimenta, hoc ſcripſimus libro. *Joan. Bapt. Porta.*

Dementes reddere, ut facilè alienentur.

Faciliter efficiunt vino, quod ſic conſtat. Mandragoræ radices accipiunt, & in muſtum adhuc fervens, & in bullas tumens demittunt, operculum indatur, aptoque loco tribus ſervetur menſibus: cùm eo indigueris, potui dabis: qui id hauſerit, ubi multum profundo fuerit demerſus ſomno, mente capitur, ut per diem non parum deliret: at poſt ſomnum ſolvitur dementia; nec malum defert multum, multumque fuerit voluptuoſum videre, periclitanti. Sic de cameli ſpuma ab ebrio potata fertur, ita tamen, ut dicemus, ſæviùs dementant. Ex menſtruorum profluvio ſanguinem capiunt fœminarum, pernicioſior eſt tamen bilioſarum & ſterilium, potiorem retinet in ſe vim, cum ſylveſtris cati cerebro remiſcent, integram ſinunt cum ſua nocte diem, vitreis inde vaſis, aquam eliciunt, & poculentis immiſcent, & tamdiu inſaniet, quamdiu perniciоſum deſtruet virus, & abiget, quod in menſe fiet: & ſi volunt, poterunt ſopitam rabiem excitare. Vel ſic: muris cerebrum, cati, urſi, canis ſpuma, & veſpertilionis optimè cum myrrha aliquo remixta vaſe fimo obruunt, & exaggerant octo dierum ſpacio, per diſtillationem aquam extrahunt, quâ potionatâ, memoria veneficâ proprietate tollitur, & intellectu carere facit.

Joan. Baptiſta Porta.

DE

DE SECRETIS
LIBER V.

Hic liber verè medicus eſt, utpote qui corporis humani, quatenus eſt mutationibus obnoxium, ſymptomata contineat, eorumq; remedia ſecretiora. In hoc itaque libro de morbis agitur, quorum diviſionem brevi tabellà paulò pòſt exhibebimus. Hæc ampliſſima eſt materia, tùm quòd morborum variæ ſint ſpecies; tùm quòd unius & ejuſdem morbi, multa paſſim à multis remedia proponantur, ex quibus tamen ſaltem præcipua ſelegimus. Cæterùm quòd mors & vita humano corpori, ſanitati, & morborum rationi competerent, prius quàm de morbis ageremus, viſum eſt de vita, morte & ſanitate nonnihil exponere.

DE CORPORE.

DE VITA. Cap. I.

Vita ut producatur.

AMBROSIAM producere vitam in longiſſimum ævum plerique affirmant. Italia quoque hanc herbam, licèt raram, fert: ſed ſi ſeratur, non recipiet: facilè dignoſcitur, quo ſola ſuo ſemine, quemadmodum copioſum fert vinum, ſuaviter redolet: racemoſa eſt ruthæ folio, radice valdè longâ exiliqúe, nunquam floret. Uſus igitur herbæ hujus vitam producere creditur, nec ratione caret, quod ex proprietate fit. *Cardanus de Variet.*

Syrupus ad prolongandam vitam.

Recip. Succi recenter expreſſ. & filtrati Herbarum
Mercurialis lib. viij.
Borrag.
Bugloſſ. ana lib. ij.
Mellis anthoſat. ſive albi Narbonenſ. lib. xij.

Miſce & coque omnia invicem ad ebullitionem primam, poſtmodum cola per linteum craſſum; ac iterum

Recip. Rad. Gentian. major. unc. iiij.
Iridis noſtrat. flav. unc. viij.
Inciſis tenuiter affunde
Vini albi optimi lib. ij.

Stent infuſa per 24. horas, ſæpiùs agitando; poſtea colatum ſine expreſſione liquorem miſce cum ſuperiori Herbarum ſucco; coque invicem uſque ad conſiſtentiam Syrupi, ſpumam ſubinde auferendo. Quòd ſi de hoc Syrupo quotidie mane cochleare plenum per longum ſat tempus, imò per integros annos ſumas, inſigne tibi præſervativum contra morbos omnivarios erit; languentes vires reſuſcitat, Arthriticis, Hecticis, Phthiſicis, Vertiginoſis, Hemicraniâ, Cephalalgiâ, Nephritide, Cardialgiâ, Affectione Hypochondriacâ laborantibus apprimè confert. Vitam denique ſic ab omnibus morbis præſervando prolongat.

DE MORTE. CAP. II.

Mors ut levior reddatur.

MORS homini minùs moleſta eſt ex ſenio, ut Ariſtoteles inquit: hoc ſolo deterior, quòd antè multa perfert incommoda adeò ſenex. Proxima quæ ex viperæ cujuſdam morſu contingit, cujus meminit Plutarchus. Succedit huic, quæ ex potu meconii: nam dormientes pereunt. Quarta fit potu cicutæ, de qua aliâs, authore Theophraſto: ſed hæc torquet perſæpe, ut & meconium: viperæ autem morſus non adeò cuique in promptu eſt. Quinta fit dealbatis nuper cubiculi parietibus, accenſisque carbonibus, cùm quis dormierit. Interrogavi enim jam deprehenſos, ac pene mortuos, qui mihi retulerunt, ſe nil ſenſiſſe mali. Ultima contingit his, qui in aqua ſuffocantur: nam quæ ſanguinis profluvio accidit, juxta finem laborioſa eſt, ut Tacitus refert. *Cardanus de Variet.*

Ut quis ridendo moriatur.

Ranæ, bufones, ſerpentes & quæcunque venenoſa reptilia gaudent in planta, quæ apium riſus dicitur, de qua ferunt Medici, ſi quis comederit, ridendo moritur. *Cornel. Agrippa.*

Ut quis ſine cruciatu exſpiret.

Crudorum porrorum ſuccum Plinius inter deleteria recenſet: nam fama eſt, Melam equeſtris ordinis reum, ex procuratione à Tiberio principe accerſitum, in ſumma deſperatione ſucco porri ad trium denariorum argenteorum pondus hauſto, confeſtim expirâſſe ſine cruciatu. *Mizaldus ſecret. hort.*

Oleum ſuo fœtore necans homines.

Recipe. Terebinthinæ lib. ij.
Sulphuris flavi libr. j.
Aſſæ fœtidæ unc. viij.
Serapini unc. vj.
Stercoris humani unc. xviij.
Sanguinis humani unc. x.

Miſceantur, & ponantur in retortam optimè obſtructam, deſtillenturque igne vehementiore, quò uſque omnes ſpiritus exierint. *Fioravantus.*

Mortem fotu allicere, & aliter doloſè.

Quis credet, quod ajunt, humani cruoris feces detractâ aquâ, & arefactas cum ſtyrace commixtas, & cubiculo in aliquo ſuffumigatas, lethalem afferre odorem? Sic verò tutus fies: cepam habeto candidam, quam excava, ut excipiendis pulveribus ſit apta: intus conjiciuntur aloës partes duæ, tres verò agarici pulveris, claudito, & filo ligato, ne dehiſcat; inde ollæ inditur, & acetum infunditur acre, cum mellis dimidio, aquæ ſeſcuplum, è rufi juvenis ſtercore, & tantundem roſmarini coronarii, ollam operculo & luto ſtipato, clibano per diei quadrantem calidis inferveſcat ignibus, & priùs quàm refrixerit, fimo quinque menſibus exaggerato: eximito demum, & per colum trajicito lineo panno, & ſervato: ſi vini malvatici cyatho guttulas abſumes, tribus diebus liberat: ſi illicò ſuccurris, ſemel tantùm ſufficiet exhibita. Alia autem ſic parant venena: Rubetam cum aſpide maximè virulento,

to, vipereoque ſcatente veneno, plumbeo condunt organo, quò aptiùs extrahi poſſit aqua; inde ambo acribus verberibus excruciantur, ut ita excandeſcant: intus euphorbium & criſtalli immittunt ſpumam in tenues pulveres; inde leves ſubjiciunt prunas, paulatim aquam deſtillando detrahunt, plumbeâ ſervant pyxide, cujus ſi quotidie exhibeant guttulam, in menſe necat, ſenſim corpore tabeſcente magis vel minùs, ut illius erit natura, qui venenum hauſerit. Oportet autem, aquæ dum eliciuntur, cavere: pernicialem enim & ſtrangulantem halitum eructant, & ſpirando noxius extrahitur aër ille, quibus ſuccurres antidotis, quæ ſuprà diximus. Dolo autem necandi experimenta multa ſunt, unde ignorantes ſæpe necantur homines. Ut autem ab iis præcavere diſcant, apponemus aliqua. Æneo vaſe intus ſtanno, vel plumbo non illito veterem condunt rubetam: execrabilis enim eſt virulentiæ, & cum eo ſimul lineum immittunt pannum per dies aliquot: & ejuſdem ſanie inficitur, quæ ore vomitur, quo ſi naturæ oſtium poſt coitum abſterſeris, brevi interit ictu, tibique caveto ab inimicis luxuriatis mulieribus. Surdi aſpidis ſputum illicò enecat, & marini canis fel. Fit & alia necandi techna: Argenteam pateram accipiunt concavam, quâ rubetam cooperias, inde lentum ſuprà admovent ignem, paulatimque decoquunt: orti autem vapores & virus, quod eructat noxium, per argenti poros combibitur, ſi in ea poculum ſubminiſtrant, lethalia ſumentes pocula necabit. Eſt & apud eos cautior interficiendi modus. Equorum è cauda ſetæ minutiſſimæ inciduntur, rebusque aliis permixtæ, eſui præbentur, quas cùm digerere tentat, ventriculi & inteſtinorum hærent plicaturis, & putreſcunt, & cautè longo occidunt tempore. Sic gallinas, columbas, mulieres, vel animal aliquod cum eo converſari ſolitum veneno alunt aliquo, dum paulatim in alimoniam convertatur: uti de puella dicitur Alexandro miſſa, & de gallinis, hyoſcyamo, & de coturnicibus veratro depaſtis, nec dignoſci poteſt. Hæc narrâſſe ſufficiant. Id tamen mirè occurrit, dum hæc agerem. Rubetæ lapidem arte quâdam electum, ſi quis cum veneno glutierit, innoxium ab eo ſervat: circuit enim cum veneno, ejusque vires hebetat, inefficaces & irritas reddit. In capite ſenis & magni bufonis lapis eſt, cujus gratiâ interficitur. Sed tali elicitur pacto. In cavea reponitur puniceo in panno,

& Soli exponitur ardenti, & aliquando verberibus aëris paulatim excruciatur, dumque ipsi feriando relaxant se, capitis onus ex ore deponunt, hoc è medii foramine in subjectum vas dilabitur, alioquin ea est aliis invidissima natura, ut lapidem, nisi tolleretur, resorbeat, sed os potiùs est, quàm lapis, fuscum, oblongum, & ex parte cavum, & probatur sic: Bufoni admovetur, hic elevatur contra illud, & si potest attingit, & saltu eripere nititur, sic ab eis experitur. *Joan. Baptista Porta.*

Plagam brevi actu inducere.

Rubetam illam accipiunt, quæ in vepribus vivit, ac veluti in tuberculis dorsum exasperat, quam bufonem aliqui vocant: hæc nocentior, tantoque erit magis lethifera, quantò in opacioribus & frigidioribus locis vitam degerit, sylvis & arundinetis: multùm enim venenis iis infamis est: eam oblongum in sacculum immittunt, & salem, qui magnitudinem Indicæ nucis impleat, manibus hinc inde captando validè exagitant multùm, dum emoriatur: inde salem exitiosum retinens bufonis virus servant. Vel Rubetam in sale sepeliunt, ac per mensis dimidium in fimo detinent, salem servatum esculentis eliquant, qui id esitaverit, internas percurrens partes, lædet, & sanguinem inficiet: & is brevi morietur intervallo. Vel humido loco ad dissolvendum tradunt, talique madens linteum aquâ, vel omne nudam carnem contingens, sævissimam inducit plagam. Hæc tamen erit veneni

Antidotus.

Sumito antequam floreſcat, foliorum hyperici florentium, quantum manibus capi possint, ac veteri oleo Soli per hebdomadam apponito, tunc calentis aquæ balneo per diem immorari finito, ac stramine prælo succum exprimito, expressumque eodem servato vase, & jugem operam impendas, & cùm flores depromserit, & semen pepererit, tria hæc misceas: & ubi inferbuerit igni, scorpiones centum projicito, viperam & rubetam, detracto capite & cruribus, id sub æstum Caniculæ igni detrahe, & operculatum vas, & pelliculatum Soli quindecim diebus apponito; cui deinde gentianæ radicis, dictamni albi, utriusque aristolochiæ, tormentillæ, & rhabarbari pares addito portiones: sic boli Armeni præparati,

rati, & ſmaragdi pulverati puſillum, vas tribus menſibus fimo obruito, nec tamen deficiat theriacæ optimæ duplum: inde per colum trajicito, & in vas ſervato ſtanno ſublitum: eo cordis perungatur regio, hypochondria, pulſus omnes & dorſum, & illicò ferarum omnium ictus facit irritos: unde in iis, & inferiùs ſcribendis non aliud præſentius exhiberi poterit remedium. *Jo. Baptiſta Porta.*

DE SANITATE.

CAP. III.

Ad corporis robur augendum.

OMNIA animalia longæva ad vitam conferunt longævam: & quæcunque habent in ſe virtutem renovantia, conferunt ad noſtri corporis renovationem, & juventutis reſtitutionem, quod Medici ſe nôſſe multoties oſtenderunt; ſicut manifeſtum eſt de vipera, & ſerpentibus. Et notum eſt, quòd cervi renovant ſenectutem ſuam comeſtione ſerpentum: eodem modo phœnix renovatur per rogum, quem ſibi conſtruit: & ſimilis virtus eſt in pellicano: cujus dexter pes ſi ſub fimo calido ponatur, poſt tres menſes regeneratur ex eo pellicanus. Idcirco Medici quidam quibuſdam confectionibus ex vipera & elleboro, & ex quorundam ejuſmodi animalium carnibus confectis, promittunt reſtituere juventutem, & reſtituunt quandoque nonnunquam etiam talem, qualem Medea Peliæ ſeni promiſſam reſtituit. Creditum quoque eſt, urſi ſanguinem applicato ore è recenti vulnere hauſtum, hoc potionis genere corporei roboris incrementa præſtari: quia id animal robuſtiſſimum ſit. *Cornel. Agrippa.*

DE

DE MORBIS CAP. IV.



DE MORBIS UNIVERSALIBUS INTERNIS.

Recip. Opij drach. semis.
Sulphuris vivi.
Myrrhæ.
Agarici.
Rutæ.
Cassiæ fistulæ ana drach. j.
Cum succo absinthij fiant pilulæ ad ciceris magnitudinem. Dosis drachm. semis ante paroxysmum. *Roscel.*

Ad quartanam.

Recip. Aquæ theriacalis.
Aquæ gentianæ.
Liquoris tartari ana unc. j.
Olei piperis gutt. iij.
Misce. Exhibeatur tribus horis ante paroxysmum, corpore priùs evacuato. *Innominatus.*

Ad quartanam pilulæ expertæ.

Recip. Rutæ.
Myrrhæ ana drach. vj.

Opij drach. j.
Croci.
Caſſiæ fiſtulæ.
Sulphuris vivi ana drach. ij.
Hyoſcyami drach. j.

Fiant pilul. Doſis earum drach. j. cum aqua Fumar.

Ad quartanam optimum.

Recip. Theriacæ optimæ uncias tres.
Olei juniperini unc. iv.
Olei antiqui unc. ij.
Caryophyllorum unc. j.
Spicæ nardi drach. j.
Vini electi unc. j.

Bulliant ad vini conſumtionem, & adde parum ceræ, ſi vis, & fiat unguentum, quo inungatur ſpina dorſi per horam unam vel duas, ante adventum paroxyſmi. *Ex libro manuſcripto.*

Ad quartanam.

Recipe Piperis nigri gr. iv. cum ſucco gentianæ, fiat pillula una, auro cooperta. Capiat cum vino, vel aqua theriacali tribus horis ante paroxyſmum. *Innominat.*

Ad tertianas & quartanas.

Narrat Plin. quòd ex ægro reſegmina unguium à pedibus manibusque cera permixta, ita ut dicatur quartanæ, tertianæ, vel quotidianæ febri remedium fieri, atque ſi ante ſolis ortum alienæ januæ affigantur, remedium fore his morbis. Simili modo omnia reſegmina unguium, ſi ad cavernas formicarum adjiciantur, nam quæ primò cœperit trahere, correptam collo ſubnecti, atque ita diſcuti morbum: è ligno fulgure icto, rejectis poſt terga manibus, aliquid demorbari ferunt: & in quartanis fragmentum clavi è cruce involutum lanâ, ſubnectunt collo, aut ſpartum è cruce, liberatoque condunt caverna, quam Sol non attingat. *Cornel. Agrip.*

Ad quartanam.

Et in libro Hermetis oculi urſi ambo cùm ligantur in panno lini ſuper adjutorium ſiniſtrum, removet quartanam. *Albertus.*

Ad quartanas.

Quartanas bubulus unus, cum laſerpitii obolo potus fertur excutere. *Mizald.*

Ad

Ad quartanam.

A quartana etiam non paucos liberavi, ſed inter alios filium Bartholomei Creſſi Piſtorienſis civis: cùm autem ſeptem menſibus eâque duplici detineretur, incredibili celeritate: ut & uxorem ejus, matremque quartanâ laborantes, & diarrhœa totidem menſium: ambo enim in lecto jacebant. Cura fuit, vomitibus, abſtinentiâ cibi in diebus acceſſionis, purgatione cum pharmaco Hamech, inunctione dorſi horâ frigoris ex oleo de ſcorpionibus, & pinguedine anſeris, & gentianæ ſucco. Alios verò curavi ſucco radicum verbaſci, in potu dato. *Cardanus.*

Ad quartanam.

Dicunt, quòd os hominis mortui, qui nunquam habuerit febres, ſuſpenſum ſupra patientem, liberat à quartana. *Cornelius Agrip.*

Ad quartanam.

Si accipiatur cor recenter extractum ex animali, & adhuc calens atque vivens, ſuſpendatur ſupra patientem febrem quartanam, tollit eam. *Cornelius Agrip.*

Ad quartanam.

Cantharides telæ aranearum indutæ, & quartanario ſuſpenſæ, eum perfectè liberare traduntur. *Mizald.*

Ad quartanam.

Vermiculi in medio echino plantæ dipſaci reperti, adverſùs quartanas plurimùm pollere traduntur, ſi in aluta clauſi brachio alligentur aut collo appendantur. *Mizald.*

Ad quartanam.

Cimices lectularii ſeptem, folliculo uvæ majoris, aut pruni ſpolio excepti, & ante febris acceſſionem vivi devorati, non ſolùm quartanariis remedio ſunt, ſed etiam percuſſis ab aſpide. *Dioſcor.*

Ad quartanam.

Succus polygoni cum ſeptem granis piperis ante acceſſionem quartanæ hauſtus, eam abolet. Sed ajunt colligendam eſſe plantam & exprimendum ejus ſuccum, die Jovis, Luna decreſcente. *Mizald.*

Ad quartanam.

Sunt medica aliqua Solſequii ſecreta paucis intellecta, quæ cum pleriſque hactenus deſideratis ex tenebris tibi in lucem aliquando proferemus. Hanc ſolſequii narratiunculam claudebam, dum medicinæ candidatus quiſpiam familiaris meus, familiariter, ut ſolet, me inviſit. Qui poſteaquàm legit hanc facultatum ſolſequii hiſtoriam, fidem mihi fecit, ſe cognoviſſe monachum quendam, qui quartanas curabat, propinato ante acceſſionem vino albo, in quo vij. grana ſolſequii detrita fuerant, repetito dies aliquot hauſtu: quod hic te ſcire libenter volui. *Mizaldus.*

Ad quartanam.

Succus plantaginis cum mulſa exhibitus duabus horis ante acceſſionem quartanæ, illam emendat, & repetitione factâ tandem abolet: ſicuti à multis obſervatum intellexi. *Idem.*

Ad quartanam.

Quando os hominis mortui ſuſpenditur in aliquo, juvat à quartana, & ſi ſuſpenditur os hominis mortui ſuper illum, qui conqueritur de ventre ſuo, ſanatur. *Albertus.*

Ad Quartanam & Tertianam Febrim intermittentem.

Primò corpus purga granis duobus Tartari emetici, cum ſcrupulo uno cremoris tartar. & granis quinque ſalis abſynth permiſti. Dein mane ac veſperi extra Paroxyſmum exhibe doſin ſequentis pulveris in juſculo:

Rec. Salis Centaur. min.
Card. bened.
Ocul. Canc. ppt.
Antim. diaph. ana drach. j.
Piper. alb. ſcrup. j.
M. F. pulv. ſubt. in 8. doſ. æqu. ad chart. dividend.

Quòd ſi Febrium Paroxyſmi minuantur & evaneſcere incipiant his remediis exhibitis, tunc repeti ipſa poſſunt. Et ſi neque tum Febris ſolvatur, protinus dabis Infuſum Chinkinæ ſ. Corticis Peruviani, ſequenti modo parandum:

Recip. Cortic. Peruvian. opt. drach. vj.
Cinam. opt. drach. ij.
Salis abſynt. drach. ij. ſem.

M. F.

M. F. pulv. ſubtiliſſ. cui affunde in vitro Vini albi veteris optimæ notæ libr. iv.

Benè muniatur vitrum, ſubinde per diem agitetur, atque hinc mane ac veſperi extra Paroxyſmum propinetur hauſtus unciarum quatuor vel quinque. *Zvinger.*

Ad febres.

Et dicunt, ſi acceperis caninum dentem crocodili ex palato ejus ſuperiore ſiniſtro, & ſuſpendis eum ſupra febricitantem, ſanat, & redibit ad ipſum nunquam. *Albertus.*

Ad tertianas.

Simili modo oculos ranarum ante Solis ortum adalligatos ægro, ita ut cæcas demittant in aquam, tertianas abigi promittunt. *Corn. Agrippa.*

Ad febres.

Cæterùm nunc in natura quantas virtutes poſſideant numeri, patet in herba, quæ pentaphyllon, hoc eſt, quinquefolium dicitur: hæc enim virtute quinarij reſiſtit venenis; pellit Dæmonia; confert expiationi; atque ejus folium bis quotidie unum vino ſumtum, curat ephemeram: tria, tertianam: quatuor, quartanam. Similiter ſeminis heliotropii grana quatuor pota, quartanis; tria verò tertianis prodeſſe dicuntur. Simili modo vebenaca febribus in vino mederi fertur, ſi in tertianis à tertio geniculo, in quartanis, à quarto inciſa fuerit. *Corn. Agrippa.*

Ad febres.

Tradidit etiam Serenus Samonicus inter præcepta Medicinæ, quòd ſi ſcribatur hoc nomen Abracadabra, videlicet diminuendo literam poſt literam, juxta ordinem regreſſionis ab ultima uſque ad primam, ſicut hic oſtenditur, quicunque æger hemitriteo laborans, ſive aliâ febri, hanc ſchedulam alligatam, & à collo ſuſpenſam geſtaverit, valere illi contra adverſam valetudinem, morbumque paulatim declinando tranſire. *Corn. Agrippa.*

Ad puerorum febres.

Si febricitanti infanti, qui adhuc lacte nutritur, paris longitudinis cucumeres dormienti apponantur, & quaſi condormiſcant, ſtatim ſanabitur; nam febrilis calor omnis illos tranſilit. *Mizaldus.*

Ad puerorum febres.

Memorabile ſanè eſt, quod in Græcis quintiliorum Georgicis legi, & à multis non infeliciter expertum audivi. Quid illud, inquies? ſi febricitanti infanti, qui adhuc lacte nutritur, aut paulò grandiori, paris longitudinis cucumeres dormienti apponantur, & quaſi condormiſcant, ſtatim ſanabitur, febrili omni ab illo preſſo, hauſto & extincto calore. *Mizald.*

Ad febrim excitandam.

Febris accenditur, ſi cornuti ſcarabei in oleo decoquantur, atque ex eo pulſus inungantur. Confert enim non parum quandoque febris ſuperveniens, ut in convulſione & arthritide, cùm ex materia frigida fuerint, nonnunquam etiam in reſolutione. *Card. de Variet.*

Ad tertianas febres.

Amat buglosſum illud, quod tres emittit thyrſos, cum ſemine & radice tritum, potumque contra horrores tertianæ valdè prodeſſe: quod verò quatuor, quartanarios juvare in vino coctum & potum. *Autor Dioſcorides.*

Ad febres putridas.

Nolim inſuper omiſſum, quòd qui impleverit fictile floribus perſicis, & obturato ore permiſerit dies aliquot ſub terra macerari, vel in fimo putreſcere, exprimet oleum; quo ſi inungat pulſus, tempora & ſpinam, ante acceſſiones febrium putridarum, certo experimento illas curabit. Quod à Germano Medico ingenuè acceptum fero. *Mizald.*

Ad peſtem.

Addam ex Anton. Ludovico Uliſſiponenſi Medico præſtantiſſimo, quòd Lampetræ, peſtis tempore frequenter comeſtæ, innatâ vi contra tam diram luem ſummè efficaces habentur. *Mizald.*

Placenta contra peſtem.

Recipe Arſenici albi criſtallini partes ſive uncias duas. Rubei partem, ſive unciam unam. Fiat placenta rotunda craſſitudine digiti cum albo ovi, vel mucilagine Tragacanthi. Inſuatur linteolo lineo, ſuperaddito ſerico & admoveatur cordi. Nec opus eſt induſium interjici (nam etſi arſenicum intrò ſumtum ſit lethiferum, nec etiam occultâ vi,

tâ vi, ſed ſolâ roſione, ut proinde venenum non ſit dicendum) tamen admotum extrà, venenis reſiſtit certâ experientiâ. *Jacobus Carpenſis.*

Ad peſtem ſacculus.

Rec. Saphyri, Smaragdi, Hyacinthi, Rubini, Corallorum rubeorum & alborum ſingulorum drachmam. Croci ſcrupulum, Margaritharum drachmam ſemis, Arſenici albi drachmas duas, Ambari grana ſex, Radicis iridis ſiccæ & odoratæ unciam ſemis, Cornu cervini uſti drachmam, Auripigmenti unciam ſemis: terantur omnia, & fiat ſacculus cum ſindone purpurea, cordisque regioni apponatur. Nonnulli ad præſervandum propriâ urinâ utuntur. Alii odore radicis enulæ campanæ, aceto maceratæ, aut angelicæ, aut granis juniperi, vel lauri. Multi non prodeunt in publicum, niſi cibati. Si quis tamen hac lue infectus fuerit, expurgato quàm primùm fieri poſſit, ventriculo, communibusque viis pulvere ſudatorio non priùs tamen, quàm naturæ propenſionem ad ſudorem cognoverit, & clyſtere utatur. Deinde Theriacam, Mithridatium, cæteraque remedia morbis peſtiferis adverſantia adhibeat; ita tamen ne hæc remedia ſemel, ut fit, vel continuè ſumat, ſed ter quatérve eodem die, ſemper intervallo ſex horarum interjecto. Si bubo ſeſe oſtendat, aut carbunculus, ſanguiſugas non procul à loco affecto, ſi ſit in membro ignobili, applicet: præſtabit tamen priùs cucurbitulas amplas, & magnas cum multa flamma, vel gallum, aut catulum, vel pulmones animalium ſubinde admovere. Cæterum inter initia peſtiferi morbi, antequam pharmaca ſumſerit, ſomnum fugiat, eique nullo modo indulgeat, ne veneni vis aut peſtilentiæ virus, unà cum ſanguine membra principalia invadens, protinus interficiat: cor cæteraque membra confortantia adhibeat, quantum fieri poteſt, cibis ventriculo ſuo maximè congruentibus ſe reficiat, Deoque vitam ſuam, & omnia reliqua, ardentibus precibus commendet, nec non Medici periti conſilio, reliqua committat, ut divinâ ſua clementiâ gratiâque ille; hic verò arte ſuâ ipſi ſuccurrere velit. *Rantzovius.*

Electuarium præſervativum contra peſtem, & alios morbos.

Rec. Cinamomi electi drach. dimid. Zedoariæ drach. j.

Boli Armeni. præparat. drach. iij. Camphoræ grana vij. ſeminis citri excoriati, Acetoſæ, Corticis citri ana drach. j. & dimid. Radicis dictamni, Tormentillæ, Pimpinel. aa. drach. dimid. Raſuræ eboris, Oſſis de corde cerv. aa. drachmam j. Auri & argenti præparati ana ſcrup. dimid. Fragmentorum Saphyri, Rubini, Smaragdi, Granatæ ana ſcrup. j. Miſce, fiat pulvis, cui adde Conſervæ roſarum, Acetoſæ, Bugloſſæ an. drach. duas. Sacchari albi lib. unam diſſoluti in aqua Bugloſſæ & Endiviæ, & fiat Electuarium. Modus utendi hoc præſervativo contra peſtem talis eſt. Pars magnitudinis duarum fabarum cultello accepta comedatur: incenſa verò jam peſte ſemiuncia cum vino acetoſæ detur omni die. Contra pleuriſin ſemiuncia cum accommodato juſculo, ſucco vel aqua bene diluta detur laboranti. Ego autem huic electuario nonnunquam addere ſoleo ungulæ Alcinæ, cornu beſtiæ unicornis ſive monocerotis, ſuccini ana drach. j. *Priſcian. de Corduba Medic. Leonis decimi, Pontif.*

Trochiſci præſervativi à Peſte & Febribus malignis.

Rec. Radic. Angelic. drach. j.
Doron.
Cinam. elect.
Semin. Fœnic. ana drach. j.
Antim. diaph. drach. ij.
Myrrh. elect. drach. ſemis
Sacch. aqu. roſ. ſolut. unc. iij.
Mucilag. ſemin. pſyll. Aquâ roſ. fact. q. ſ.

M. F. l. a. Trochiſci d. ad ſcatulam, ſubinde lambantur, & deglutiantur. *Zvinger.*

Aliud remedium contra periculoſos & peſtiferos morbos puerorum.

Noſtræ matronæ pueris, ſi malè ſe habere cœperint, ſolent exhibere paululum oſſis de corde cervi, oſſis beſtiæ unicornis, Corallorum rubeorum, Succini albi, Margaritarum, Ramentorum auri, Ungulæ Alcinæ æquali portione. Hæc omnia in mortario contrita, miſcent ſimul in morbis calidis cum aqua roſacea; in frigidis verò cum aqua Lavendulæ. Exhibetur autem ad menſuram cochlearis. *Rantz.*

Pilæ odoriferæ contra peſtem.

Rec. Roſarum rubearum unc. ij. rad. ireos, radic. cyperi an.

an. unc. ſ. rad. Angel. drach. vj. Foliorum lauri, roriſmar. ana drach. vj. Bacc. Lauri drach. iij. Caryophyll. Lig. aloës Nuc. moſch an. unc. ſem. Union. unc. j. Styr. Calamitæ, Ladani an. unc. j. moſch. in aqua roſar. diſſoluti gr. xij. Ambr. ſcrup. ij. cum gummi tragacanthi in aqua roſ. diſſoluti fiat maſſa. *Ex lib. manuſcript.*

Ad peſtis præcautionem.

Rec. Conſervæ roſar. Conſ. violar. Conſ. bug. Conſ. nenuph. an. unc. ſ. Confect. alcherm. unc. j. rad. angel. drach. ij. zedoar. ſcrup. ij. Elect. de ovo drach. j. Theriacæ Venetæ ſcrup. iv. ſyrupi de limonibus q. ſ. fiat opiata. Utatur quotidie ſemel, vel bis. *Ex lib. manuſcript.*

Ad peſtem remedium.

Rec. Cæpam albam, & magnam, intusque excavatam, quam reple theriacâ optimâ, & aquâ vitæ; cooperiatur benè operculo ſuo, & in cineribus coquatur: deinde expreſſus ſuccus ægroto bibendus detur; quod reliquum eſt, contundatur, & buboni ſuperponatur. *Roſcellius.*

Contra peſtem optimum.

Matutinâ horâ tempore contagioſo, priuſquam à domicilio tuo longiùs recedas, os tuum aquâ & aceto ſimul mixtis collues; deinde prædicti liquoris cochlearis quartam partem hauries, naresque ita reſtringas, quò cerebrum ab omni qualitate aëris externi liberum exiſtens, minori cum difficultate à vapore & halitu in palato detento, irrorari queat: præſidio quoque maximo fuerit, emunctoria viſcerum principalium ſubinde abluere, ut puta tempora, axillas, & inguina, partes raras, & laxas præ reliquis, ut hac de cauſa omnibus injuriis aëris infecti expoſitæ magis eſſe cenſeantur, quæ ut magis adhuc ab omni labe peſtifera præſerventur, familiaris fuerit pilæ argenteæ multis in locis foratæ uſus, in cujus cavitate fruſtum ſpongiæ continuo iſto liquore madentis detineatur. Hac enim ratione ambiente alterato, meipſum multoties à quavis epidemia in hodiernum diem (laus Superis) præſervavi. *Egidius Bruxel. D.*

Ad peſtis præſervationem.

Accipe ſacchari in aqua theriacali, per infuſionem facta, diſſoluti ad perfectionem cocti unc. tres: tincturæ

ſulphuris drachmam unam, fiant tabulæ ſecundùm artem, quarum uſu à peſte, quàm plurimos ſervatos eſſe cognovi.

Ad peſtem probatum.

Recipe Aceti acerrimi } ana drach. ij.
Succi allii }
Theriacæ Alexandrinæ drach. j.

Miſce, & offer patienti illico. Quo ſumto, ut optimè ſudet, cura. *Ex libro manuſcript.*

Ad venena antidotus.

In ſanctuariis, inquit, Mithridatis maximi Regis devicti, Cneus Pompejus invenit peculiari commentario, ipſius manu deſcripto, compoſitionem antidoti è duabus nucibus ficcis, ficis totidem, & rutæ foliis viginti ſimul tritis, addito ſalis grano. Qui hoc jejunus ſumit, nullum venenum illo die timeat. Prodeſt eadem antidotus mirabili ſucceſſu adverſus graſſantis peſtis contagia, jejuno ventriculo devorata. Teſtes ſunt multi cùm noti, tum ignoti, hac antidoto per multas & deploratas peſtilentias me admonente & miniſtrante, ſervati. *Mizaldus.*

Adverſus venena.

Lapidem efficaciſſimum eſſe adverſus venena, teſtes ſunt magnæ autoritatis & antiquitatis Medici quamplurimi: talem gloriantur ſe vidiſſe Jul. Scalig. & Amatus Luſitanus: traduntque peſte correptis efficaciter dari cum vini momento. Nam tantus illius vi & præſidio cietur ſudor, ut penè totum corpus eliquari credas: quo uno peſtilens virus foràs truditur. Lapidem hunc Arabes Medici *Bezoard* vocant, & ab eo Alexipharmaca, remedia adverſus venena, *Bezoardica. Mizald.*

Ne quis veneno afficiatur.

His accedet ex Didymi ſententia, quòd ſi quis miliarem panem præſumſit, nunquam à veneno noxam incurrit. *Mizaldus mem.*

Medicamentum Regis Mithridatis adverſus omne venenum & præcipuè peſtiferum.

Plin. lib. 23. cap. 8. ſcribit, Cn. Pomp. in ſanctuariis Mithrida-

thridatis maximi Regis devicti inveniſſe in peculiari commentario ipſius manu conſcripto, compoſitionem antidoti è duabus nucibus ſiccis, item ficubus totidem, & Rutæ foliis xx. ſimul tritis, addito ſalis grano & ei, qui hoc jejunus ſumat, nullum venenum nociturum illo die. *Rantzo.*

Experimentum Medici antiquioris Regis Angliæ, eſtque pulvis mirabilis contra toxicum, & contra omne venenum.

Recipe Pimpinellæ, Rad. tormentillæ, Cinamomi ana unc. dimid. Lig. aloes. Gran. juniperi, zingiber. an. drach. j. Interdum additur Cardui benedicti, Radicis angelicæ, an. drach. dimid. Fiat ex his omnibus pulvis ſubtilis, & occluſus in pixide, uſui benè ſervatur. *Rantzo.*

Antidotus Nicomedis Regis contra venena.

Recipe Baccar. juniperi drach. ij. terræ Lemniæ drach. duas & obolos totidem. Hæc, ubi in pulverem redegeris, oleo aut melle commiſcebis reponesque, ac ubi opus fuerit, ex aquæ mulſæ cyathis duobus in magnitudinem avellanæ dabis. *Idem.*

Ne hecticâ quis corripiatur.

Aquam ex his præbent: plumbum in tenuem vertunt pulverem, vel in calicem, & cum ſale acetum peracre fundunt, aquam igne ſtillatim capiunt, cujus in menſe cyathum exhibent, idque ſexies innovant, & hectica eum invadet triſtis. Quòd ſi exitialem longo moliuntur tempore morbum, ſic faciunt, ceruſſam, æruginem, lithargyrium & minium, ſingulorum pares portiones capiunt: ſquillæ ſucci, quantum ſatis ſit ad ea cogenda, vitreo in vaſe ponunt, quo ſimo quadraginta immoretur diebus, extrahunt: deinde hominis ſudorem remiſcent, & eſum morituro præbent, ſic diuturno languore, & in longam temporis intercapedinem exitioſam detinent vitam. Tali autem infirmitate liberandi via hæc eſt.

Antidotus.

Sic illicò morbus deprehenditur: ſi in glycyrrhizæ decocto ſcammonii puſillum redactum pulverem hauritur, liberat illicò ægrotum. Si venenum præceſſerit, ſic facito: Aquam vitreis chymiſtarum organis exſugito, è columbaceo

ceo ſtercore, & ex corticibus ovorum, quarta piperis parte, & thuris pauculo lixivii, duplo è ſarmentitio cinere confecto remiſceto, & primo menſe ſeptem diebus cyathus ſumatur, undecim ſecundo, quatuordecim verò tertio, uſque ad ſextum: & veneni extinguit vim. Maciem verò ſic pelles: Aquam haurito ex herba perſonantia cum remixtione nucleorum pinearum diebus ſingulis ante prandium, donec ſanitati fueris reſtitutus. *Joan. Baptiſta Porta.*

Ad tabem.

Ex tabe autem ſimplici innumeros ſanavi: atque inter reliquos, filios duos fabri lignarii, qui apud portam tonſam habitabat. Erat autem præter victûs moderatam rationem, ex pane cocto cum ſeminibus peponum contuſis ac colatis, aut ptiſana, cochleis, cancris, teſtudinibus & potu vini albi unicum hoc præſidium: ſanguinem ſuillum, & cochleas purgatas, & ranas cum germinibus rubi in balneo Mariæ diſtillabam, & aquæ hujus pro ætate quantitatem dabam, donec pingues efficerentur. Sic etiam ſanavi filium Jacobi Mariæ Aſtolphi, tabellionis ſummæ fidei, amiciſque noſtri. *Card. de Curat. admirand.*

An periclitetur æger?

Morbus, qui cœperit, cùm Luna fuerit in eo ſigno, quod maleficia aliqua tenuit genitura, ſive in quadrangulo, aut diametro ejus, graviſſimus futurus eſt: ſi autem maleficia reſpicit, periculoſus. Sin in loco, ubi genituræ tempore benefica fuerit, ſine periculo erit. *Authores Ptolomæus, & Galenus ex doctrina Ægyptiorum, & maximè Mercurii Triſmegiſti.*

Mortis vel ſalutis præſagium.

Tradunt urticam viridem horis viginti quatuor, in lotio decumbentis maceratam, ejus ſalutem præſagire, ſi ibidem viridis perſtat: ſin contrà, mortem, vel ingens periculum. *Mizaldus.*

An victurus ſit æger, necne?

Volentibus experiri victurus ſit æger necne, præcipiunt radicis chamæleontis albi diluto eum triduò perfundi ternas vices: qui pertulerit, moriturum negant. *Theophr.*

Mortis prædictio.

Addo in libris Aruſpicum traditum eſſe Servio authore,

re, abietem è cælo fulmine tactam domini aut dominæ interitum prædicere.

An convaliturus ſit æger ?

Illud planè non abſurdum, ægros, qui imaginem è pupilla reddunt, poſſe ſanari: qui non, non. Eorum tamen, qui ſanari poſſunt, multi moriuntur, quòd nondum vis lethalis eò obreperit: periturorum autem vix unus aut alter ſervatur. Cùm etenim vitalis calor manet, pupilla reddit nitore imaginem. *Cardanus.*

DE MORBIS UNIVERSALIBUS externis.

Lepræ Cura.

Referunt, leproſos balneo ejus aquæ, in qua cadaver ablutum ſit, ſanari. Sed de qua lepra agatur, haud compertum eſt: quædam enim ſcabiei peſſimæ ſpecies eſt, alia ipſa elephantiaſis. Similiter neque obſervatum eſt, an ſemper id contingat, an forſan aliquando fortuitò: ratione tamen res ipſa non caret: nam materia, quæ ad cutim propelli ſolebat, antipathia cadaveris à natura non ampliùs propellitur. Indita enim eſt hæc ratio contrarietatis, etiam in inſectis, & eò magis in perfectioribus animalibus, & maximè equis & canibus, ut odorem mortuorum ſui generis refugiant: quantò magis humana natura, quæ admodum ſenſu prædita eſt, atque eo exquiſitiſſimo. Itaque occulta in natura, non ampliùs audet tranſmittere exteriùs humorem peccantem: atque eò magis ſi hæc patiente, hæc ſciente fient. *Cardanus de varietate.*

Ad elephantiaſin dignoſcendam.

Elephantiaſi correptos deprehendes ex lotio, cui plumbi uſti cineres inſperſi ſint. Nam ſi ſubſidunt, nullum ineſt contagium, ſin fluitant, & in urinæ ſuperficie hærent; certiſſimæ labis ſignum oſtendunt. *Lemnius.*

Ad Elephantiaſin.

Nonnulli elephantiaſi ac leprâ inquinati, morbum vicerunt frequenti ranarum paluſtrium uſu: nimirum mitigato ſanguinis fervore, ac melancholiâ aduſtione emendata. Quod de ranis intellige quæ ſaliunt, & non repunt aut lentè progrediuntur, nam venenatæ ſunt. *Mizald.*

Ele-

Elephantiaſis remedium ſalutare.

Gallinæ viperis ſaginatæ & elixatæ, ſalutares ſunt elephantiaſi labe infectis, ex quorundam experimento. *Mizaldus.*

Ad lepram unguentum.

Rec. Terebinthinæ lotæ } ana unc. iv.
Olei laurini. }
Aceti unc. vij.
Ceruſſæ }
Lithargyrii } ana unc. viij.
Aloës hepaticæ }
Albuminum ovorum N. ij.
Miſce & fiat unguentum. *Roſcellus.*

Lepræ cura.

Sed & balneum primogeniti filii, ubi illius ſanguinis ſunt reliquiæ, ut experimento vidi, leproſos mundat. Cauſa à ſympathia mea ſententia quærenda eſt. Corruptior enim ſanguis per arterias & venas ingreſſus, corruptum attrahit. Eſt autem ſanguis, qui à partu effunditur, & potentia qualis noſter, & corruptior, & viribus adhuc partus ac pueri calidior: quocirca vehementer urget & purgat & extinguit, velut radii Solis ignis flammam obruunt, & evaneſcere cogunt. Sed qualis lepra ſit, & ut ab elephantiaſi ac pſora ſcabieque differat, alias dictum eſt. *Card. de ſubtilitate.*

Leproſum hominem reddere.

Leproſi ſanguis vel capitur, in quibus ſi triticum diu ſteterit, ut affatim ſaturetur, eoque gallinæ vel columbæ obeſæ, cui eſui præbentur, leprâ corripietur, & idem in morbis aliis contagioſis conſiderant. Vel aliter: Cantharides capiunt, amianthum lapidem, & auripigmenti quintuplum: hæc tapſiæ radicis, vel ſcyllæ ſucco conficiunt, ut linimentum imitentur: & caligas vel lineas tunicas perfricant, & inflationem, ulcerationem & lepram inducunt inevitabilem: proinde ab iis maximè caveto, & ſi atrociùs quærunt, ut pertinaciùs operentur, humanum adjungunt ſudorem ex alis rufi viri & cholerici, aconiti ſuccos, bufonum virus, vel conſimili, brevi lethiferam inducunt plagam. Si ferrum horum maduerit ſucco, virulentos & inſanabiles infigit ictus. Sed talis erit optima

Anti-

Antidotus.

Ad elephantiaſin: panis è clibano calidus infundatur endiviæ, lupulorum, & abſinthii ſucco, aceti, & ſulphuris in aceto infuſi & exſiccati tantundem, & in eo ſeſquiſexta ſucci pars eupatorii, galangæ, id eſt, rutæ caprariæ, viperæ carnium pares portiones, ariſtolochiæ rotundæ duodecima pars, citri corticum ſexta, ſeminis ejuſdem dimidium, & theriacæ par pondus conjicito, hellebori, & ſcammonii pauxillum: omnia remiſceto, & igni apponito dum evolet humidum, ad uſum reponitur, tribus ſemper diebus ſumatur. Si quid verò cuti remanſerit, hoc uteris linimento. Viperarum adipem habeto, ſevi hircini dimidium, urſi pinguedinis pars quarta, caparorum olei tantundem, vivi ſulphuris pars ſexta, lichenis quadruplum, acetum infundatur, & decoque dum ſtrigmentoſum fiat, inde cerâ linimentum effingito, & alternis diebus inungatur: dum puſtularum ſquamæ decidant. *Joan Baptiſta Porta.*

Ad ſerpiginem.

Adverſus faciei ſerpiginem & aliarum partium corporis (Galli Dartas vocant) accipito radicem lapathi, ſeu rumicis, eamque particulatim conciſam, diem unum in albo & acri aceto macera; deinde extrahe, & ſerpiginoſum locum ter vel quater omni die ſedulò confrica, & in acetum toties remitte; vel, quod ſatius erit, novas radices ſubſtitue. Experimento frequenti probatum. Sunt qui idem certò promittant ex radicibus borraginis à jejuno laborante præmanſis, & diu identidemque illitis. Facilis erit experientia. *Mizaldus.*

Ad ſcabiem.

Rec. Pomatæ unc. ij.
Styracis liquidæ drach. vj.
Lithargyrii arg. unc. ſem.
Salis communis drach. ij.
Succi limonum, quantum ſufficit.
Fiat unguentum. *Roſcellus.*

Ad omnis generis ſcabies unguentum præſtantiſſimum, quo ipſe ſcabies, lepræ ſimilimas, ſanare vidi.

Majo menſe ſumatur Ocimaſtrum herba cum radice, ſordibus diligenter expurgata, & lota, eaque contundatur,

tur, poſt ſuccum inde expreſſum in anguſto vitro probè obturato per annum conſervetur. Cumque unguentum parare volueris, tum expreſſi ſucci ceræ & olei æquis portionibus tantum accipe, quantum unguenti parandum erit, quod ubi feceris, conjunctim illa ſuper carbones decoquantur, & eò uſque temperentur, donec unguentum fiat. *Hieron. Tragus.*

Ad cancrum.

Rec. Aquæ roſarum unc. viij.
Aluminis
Viridis æris ſingulorum an. q. ſ.
Miſce & lava quotidie ter cum tela filata. *Ex lib. manuſcr.*

Ad morbum Gallicum unguentum.

Rec. Unguenti aragonis
Unguenti Agrippæ
Unguenti marciati
Unguenti dialtheæ ſingul. unc. j.
Olibani
Maſticis ana unc. ij.
Olei laurini.
Olei ſalicis
Olei liliorum ana unc. ij.
Lithargyrii
Argenti vivi ſingul. unc. ſem.
Theriacæ unc. j.
Saxifragiæ drach. ij.
Unguenti Santalini unc. ſem.
Axungiæ porcinæ veteris ſine ſale unc. xiv.
Cineris ſarmentorum unc. j.
Miſce, & fiat unguentum. *Roſcellus.*

Balneum ad conſumtos & reſolutos.

Recipe Capita vitulorum recentia N. vj. unà cum eorum meſenteriis & pedibus.

Capita ovina totidem, omnia benè mundata, acſi pro cibo pararentur. Coquantur in aqua in vaſe magno, vel duobus, & fiat balneum, quo alternis diebus utatur æger, mane per unam vel alteram horam, & totidem veſperi. Hujuſmodi autem balneum novies poſtea iterandum eſt, & ſemper recens parandum. *Ex libro manuſcripto.*

DE

DE MORBIS PARTICULARIBUS.

DE MORBIS CAPITIS.

Doloris capitis præcantatio.

✠ *Miland Val Vitalot*

CAPITIS dolorem levare vidi ſuſpenſum chirographum, ut à latere vides, cùm patiens qui nullum ex medicina præſidium ſentiebat, ter Dominicam, quam vocant orationem, recitaſſet. *Cardanus.*

Ad capitis dolorem.

In olea mirabile eſt, quòd opem quandoque ſenſerunt, & à capitis dolore abſque ullis medicamentis levati ſunt, qui folio ejus hoc nomen (Athena) ſcripſerunt, ipſumque folium capiti circumligârunt: quemadmodum tradit Zoroaſtres in ſuis de Agricultura commentariolis. Quod unum, quia ſuperſtitionem redolet, tibi æſtimandum relinquo. *Mizaldus.*

Ad capitis dolores.

Magnes ipſe capiti admotus dolores, omnesque querelas ejus obliterat. Quod ex veterum commentariis ſe transtuliſſe ſcribit noſter Hollerius.

Ad capitis dolorem.

Rec. Summitatum Salicis, q. ſ.
Roſmarini parum.
Coquantur in aceto, uſque ad tertiæ partis conſumtionem, quo lavetur caput. *Roſcellus.*

Ad oblivionem & cruditates in ſtomacho pro ſenibus.

Rec. Trium piperum, Galangæ, Caſſiæ ligneæ, Calami aromatici, Croci, Spicænardi Indicæ, Cardamomi, Carpobalſ. Aſari, Zing. ſem. Myrti ſicci, an. dr. ij. Maſtic. dr. j. ſ. Trita & cribellata conficiantur cum melle optimo deſpumato, & fiat electuarium Doſis dr. j. tempore ſomni. *Ex lib. manuſcr.*

Pilulæ languenti cerebro convenientes, ſenioribus præſertim ac frigidis.

Rec. Succini odorat. ſeu ambræ delectæ drachm. j. ligni Aloës ſcrup. ſem. Cubebarum ſcrup. ij. cum vino meraciſſ. pilulas confice N. xv. Da binas ante cœnam. *Guil. Gratar.*

Catapotia ad memoriam efficacia.

R. Cubeb. Calam. Nuc. moſch. Caryophyl. ſingul. dr. j. ſ. Thuris opt. Myrrhæ electæ, Ambari orientalis, ſingulorum drach. j. Moſchi gran. quinque. Cum aqua majoranæ pilulas confice, præbe unam horâ decubitûs; duas verò in Solis ortu & horis quinque ante cibum. *Idem.*

Ad memoriam.

Tradit Simeon Sethi, fel perdicis arteriis temporum illitum, ut penetret ſemel in menſe, ad memoriam confirmandam prodeſſe plurimùm.

Gallinæ cerebrum ingenium & memoriam jùvat, adeò ut aliquas, qui delirare cœperant, reſipiſcere fecerit. *Guil. Grat.*

Antidotum mirabiliter conferens memoriæ lethargiæque vel oblivioni: ventriculum confortat, & omnia debilitata membra ex phlegmate & frigore.

R. Zingiberis
Galangæ
Maſtiches
Cumini
Origani } ana drach. vj.

Nucis moſchatæ
Calami aromatici
Aſari
Carpeſiorum, i. e. cubebarum.
Ligni aloës
Maceris
Seminis apii
Ammios } ana drach. ij.

Thuris albi
Caryophyllorum
Cardamomi
Zedoariæ
Pyrethri
Caſtorei
Piperis longi & nigri
Coſti
Cyperi } ana drach. iij.

Menthæ ſiccæ unc. v.

Teran-

Terantur & pulveriſentur omnia, ac cum penidiarum, & mellis deſpumati quantitate ſufficienti fiat Eclegma. *Guliel. Gratarol.*

Ad memoriam.

Si ſuſpenditur cor upupæ aut oculus aut cerebrum ſupra collum, confert oblivioni, & ſubtiliſat intellectum hominis. *Cornelius Agrippa.*

Ad augendam memoriam.

Si quis transglutit cor upupæ, vel hirundinis, vel muſtelæ, vel talpæ, eâ adhuc vivente & palpitante, confert ei ad memoriam, reminiſcentiam, intellectum & divinationem. *Cornelius Agrippa.*

Ad epilepſiam.

Tradunt eum, qui in picato vaſe biberit, comitialem morbum expugnaturum. *Mizald.*

Ad epilepſiam.

Si herba, batrachion dicta, cervici lunatici vel epileptici ex filo rubro deligetur, Lunâ decreſcente, in prima parte tauri, vel ſcorpionis, magnum ac inſperatum levamen hinc ſentiet. Sunt qui ejus radicem in vino maceratam peſte infectis propinent ad ſudorem eliciendum. Quod valdè periculoſum puto, ſi febricitent: ſin contrà, opportunum, modò vires conſtent. *Idem.*

Ad epilepſiam.

Aqua ſtillatitia ex floribus tiliæ, epilepticis pueris mirandum in modum confert, quocunque modo miniſtretur. Sunt qui ei ſocient viſcum quercinum, ſucceſſu admodum felici & optato. *Idem.*

Ad epilepſiam.

Diſſectis ante plenilunium pullis hirundinum ex prima fœtura, duo lapilli reperiuntur in illorum ventriculis, quorum unus concolor, alter verò diſcolor habetur. Hi priuſquam terram attigerint, ſi in buculæ, aut cervi aluta includantur, & brachio, & collo aptentur, comitiales ſanabunt, nedum juvabunt. Ex relatione cujuſdam Itali, qui ſe id expertum fuiſſe, mihi aſſerebat. *Mizald.*

Ad epilepſiam.

Cùm primùm infantes ex utero prodeunt, ſi priuſquam aliquid guſtent, corallii ſcrupulum dimidium diligenter

tritum cum lacte nutrito hauſerint, nunquam Epilepſiam incurrent. *Arnoldus Villanovanus.*

Ad epilepſiam.

Accenſis utrislibet cervorum cornibus, odore illorum fugante ſerpentes, & comitiales deprehenduntur morbi. Idem etiam præſtat lapis gagates incenſus, ſuffitu ſuo: ſed ne odor diſpergatur, ſtragulis circumdari debet quiſquis eſt. Nam tum, ſi epilepſiæ eſt obnoxius, cadet. *Dioſcor. Galen. Plinius. Apulejus.*

Ad epilepſiam.

Orbiculi è viſco querno, vulgari filo transfixi, idem præſtant in amolienda & præcavenda epilepſia, quod pœoniæ maſculæ radix, aut ſmaragdus è collo pendens. *Mizaldus.*

Ad epilepſiam.

Addunt Magiæ naturalis profeſſores, verbenam Sole per Arietem ſpaciante collectam, & granis pœoniæ ſociatam, tritam, & ex vino albo percolato hauſtam, epilepticos miraculo quodam ſanare. Res me dictante, multis experta, quam ex vetuſtiſſimo libro de herbis ſeptem planetarum, Hermeti aſcripto, fideliter decerpſi. *Mizaldus.*

Ad epilepſiam.

Addit Conradus Geſnerus, ſe os illud, quod coronalem ſuturam deſcribit, epilepticis exhibuiſſe, & optime ceſſiſſe. *Mizaldus.*

Ad epilepſiam.

Fel teſtudinis naribus epileptici illitum in morbi paroxyſmo; proſtratos ſtatim erigere facit. Sunt qui ad ferocem hunc morbum expugnandum, tres clavos in vigilia natalis B. Joh. Bapt. fabricatos, defigant in loco, ubi epilepticus ceciderit, idque tam profundè, ut non appareant, nuncupato, dum id fit, patientis nomine. Quod pro certo mihi traditum eſt. *Idem.*

Ad comitialem.

Ungula Alcis magnâ vi pollet adverſùs comitialem morbum. Nam ejus particula annulo incluſa, & digito, qui proximus eſt minimo, ita commiſſa, ut in palmam convertatur, collapſos in ipſo paroxyſmo plurimùm recreat, & confeſtim excitat. Idem efficit portiuncula ejusdem nuda & manui in pugnum complicatæ inſerta: repentè enim

enim morbum expellit, & proſtratos erigit. Quod uno & altero experimento ſe probâſſe tradit Lemnius. Nos portiunculâ ejuſdem in aurem ſiniſtram miſſâ, & aliquandiu veluti ſcalpendo motâ, idipſum feliciter experti ſumus in verè epileptico; idque miraculi loco habitum eſt. Joh. Agric. Ammonius idem effici tradit ſuſpenſâ vel geſtatâ particula ejuſdem ungulæ, modò cutim attingat. Quod etiam amuletum ad præcautionem morbi plurimùm valere certus ſum. Audio etiam ramenta, vel ſcobem adverſùs eandem noxam in Polonia propinari. Cæterùm eligenda eſt ungula dextri pedis poſterioris, cavendumque ab impoſtoribus, qui bubulas pro alcinis vendunt. *Mizaldus.*

Ad epilepſiam pulvis optimus.

Rec. Rad. Gentianæ.
Pœoniæ
Antimonii cum urina præparati ana unc. iij.
Cranii hominis unc. ſ.
Moſchi gran. iij.

Fiat pulvis, cujus detur drach. j. ſingulis diebus. *Roſcel.*

Ad epilepſiam.

Dicitur quoque, quòd ſi radix pœoniæ cum caſtoreo & litura pannorum menſtruoſorum detur patienti, ſanari morbum comitialem. *Cornel. Agrippa.*

Ad epilepſiam.

Sic & è nido hirundinum lapillus collectus recreare confeſtim dicitur comitiales: & alligatus perpetuò tueri, potiſſimùm ſi ſanguini vel cordi hirundinum fuerit involutus. *Idem.*

Ad epilepſiam.

Aqua diſtillationis ceraſorum non multò antè ex arbore decerptorum, vi ignis mediocris excepta, ſi in os epileptici infundatur, quoties eum paroxyſmo laborare contigerit, inhibetur impetus morbi violentiſſimi. Res precioſa, & ſæpenumero probata à Johanne Manardo Ferrarienſi Medico præſtantiſſimo. *Mizald.*

Epilepſiæ remedium.

Hac ratione radicem pœoniæ maris recentem, & anagallidem rubro flore contra epilepſiæ minas ſuſpendimus. *Wierus.*

Medicamentum Regis Daniæ contra morbum caducum.

Rec. Cranium ſive calvariam hominis præſertim furis ſuſpenſi, nulliuſque morbi interventu mortui (nam huic plus efficaciæ, quàm reliquis, tribuunt) hanc calvariam in craticula toſtam ad pulverem redigito. Deinde accipito tria grana Pœoniæ, atque hæc cum una drachma prædicti pulveris & aquæ Lavendulæ ad quantitatem unius cochlearis ægroto, tempore matutino exhibeto. Poſtero & tertio die fac idem. Sumet autem ægrotus hunc pulverem jejuno ſtomacho, ac tres continuos dies domi ſe continebit, pauco potu, & cibis levis ac facilis digeſtionis utetur, ut ſunt ova. Non abs re etiam fuerit, ut ægrotus poſtea ſingulis diebus mane per aliquod tempus cochlear aquæ Lavendulæ exhauriat. Os beſtiæ unicornis etiam contra hoc morbi genus conducit. *Rantzovius.*

Ad paroxyſmum epilepticum.

Orpheus & Archelaus tradunt, Plinio Autore, morbo comitiali lapſos confeſtim liberari à convulſione, ſi in paroxyſmo eorum labra humano ſanguine irrigata fuerint, aut pollices pedum fortiter puncti & vellicati. *Mizald.*

Ad Comitiales.

Comitialibus morbis (nam nulli alii magis debentur auxilia illa, quæ Phyſica vocantur) Alexander ſcripſit, pinguedinem Chamæleontis in oleo decocti, ventreque ac dorſi ſpinâ inunctis adeò prodeſſe, ut à morbo ſtatim ſurgant, & poſt ſeptimam inunctionem liberentur. Nicolaus prodidit inſuſurrando in dextram aurem illud, Oremus præceptis ſalutaribus moniti: adjectâ dominicâ oratione poſt completam ſupplicationem antequam abſolvantur hæc ambo, ægrum à morbo ſurgere: vel forſan quandoque ita contigit, vel ſuſurrus ille in eam aurem prodeſt, vel cùm à flatu fiat, ut multi Medici credunt, interim ille conſumitur. Rinaldus magis ad rem: cùm Luna Jovi juncta eſt, dato patienti tribus diebus Maceris, Pæoniæ ſeminum, & radicis dimidium drachmæ, foliorum Caryophyllatæ, & primulæ veris (quæ eſt bellis) drach. unam, teratur, ac partiatur. *Cardanus de Varietate.*

Contra epilepſiam.

Et dicitur, quòd ſi fiat annulus ax albis ungulis aſini, qui

qui induit ipſum epilepticus, non patitur epilepſiam. *Albertus.*

Comitialis morbi præcantatio.

Annulum dicunt, quem ego vidi, ſi conficias argenteum hoc modo intus ſcriptum † Dabi † Habi † Haber † Hebr † ne comitiali morbo laborantes cadant, prohibebit, in digito poſitus. *Cardanus.*

Convulſionis à flatu remedium.

Nodos ligneos è viſco, qui quercui adnaſcitur, id genus convulſionis ſanare, quod à flatu fit, noſtri Gramphum vocant. Debet ſuperponi loco patienti, ut ſtatim diffugiat: pingui ſucco tenuique præditum eſt id lignum, aut occultâ ratione.

Ad melancholiam.

Melancholiam non parum juvat, corpus urticis perfricare. *Cardanus.*

Ad metum & phantaſmata.

Qui urticam in manu habuerit cum pentaphyllo, ſecurus erit ab omni phantaſmate & metu. *Mizald.*

Ad hydrophobiam.

Hydrophobi, qui ex canis rabidi morſu aquam appetunt, & eandem reformidant, ſi inopinato ſubitoque impulſu aquis mergantur, metus metu diſcutitur, & tali ſymptomate liberantur. *Lemnius.*

Ad hydrophobiam.

Refert *Aëtius*, quòd ſi coagulum catuli ſemel tantùm ex aceto ederint hydrophobici, ſtatim capiet eos cupiditas potûs aquæ, & ob id medicamentum hoc miris laudibus ab eo commendatur. *Mizald.*

Ad ebrietatem.

Ebrietati abſynthium, amygdalæ caules præmanſi conveniunt. *Cardanus.*

Ad ophthalmiam.

Eſt quidam piſcis, ſive ſerpens maximus, nomine myrus, cui ſi eruatur oculus, & alligetur fronti patientis, ophthalmiam ſanare dicitur, piſci verò oculum renaſci: ſed altero illum capi lumine, qui viventem non dimiſerit. *Cornel. Agrippa.*

Unguentum vel Balſamum ophthalmicum Zvingeri.

Rec. Butyri recent. non ſalit. Vino albo aliquoties loti unc. j. ſ.
Tutiæ ppt.
Lapid. Calamin. ppt.
Bezoard. miner. vel Magiſt. Ant. diaph.
Mercur. præcipit. alb. ana drach. unam.
Axung. ſerpent. drach. ij.

M. F. Unguent. d. ad ollam. Mane ac Veſperi, vel ter de die portiuncula ejus canthis oculorum inungatur.

Ad oculorum vitia.

Ad oculorum vitia, unguem, nebulam, albuginem, & alia, ſequens remedium præſtantiſſimum eſſe, mihi narratum eſt. Caput cati omnino nigri in nova olla aduritur, & cineratur, eoque ad levorem & tenuiſſimum pollinem deducto, nonnihil per tubulum pennæ mundæ, in oculum quotidie ter inſufflatur. Si quis verò ardor, noctu maximè, oculum infeſtet, folia quercûs aquâ madentia, bina vel terna ſimul oculo ſuperponuntur, & identidem invertuntur. Dicebat ſecreti hujus autor, viſum poſſe reſtitui hoc remedio poſt cæcitatem unius duntaxat anni; experientiæ proponimus. *Mizald.*

Collyrium præſtantiſſimum contra omnis generis paſſiones oculorum.

Rec. Fœniculi,
Abſynthii,
Apii,
Rutæ,
Steinwurtz, unà cum radicibus,
Euphraſiæ,
Salviæ,
Betonicæ,
Auripigmenti,
Pimpinellæ,
Carduibenedicti ſingulorum partes æquales.

Hæc omnia ſimul in mortario contuſa miſce, ac urinam pueri infunde, deinde

Rec. Granor. Piperis triti num. xiiij.
Mellis cochlearia duo,
Camphoræ drach. j.

Hæc

Hæc omnia ſimul in mortario contuſa per linteum exprime, & colaturam, ſeu ſuccum in vitreo vaſe conſerva, ac inde ſingulis diebus, veſperi & manè guttam unam in oculum patientis inſtilla. Animadvertendum tamen eſt, quòd hæc aqua per ſpacium ix. dierum Soli eſt exponenda, & deſtillanda, antequam in uſum transferatur. *Henr. Rantz.*

Aqua ophthalmica, vel Collyrium Zvingeri.

Rec. Aqu. Flor. Cyan.
Roſ. alb. ana unc. j. ſem.
Succ. Hieracii. recent. unc. ſem.
Oſſis Sepiæ ppt.
Antim. diaphor. ana ſcrup. ij. ſem.
Mercur. præcipit. alb. ſcrup. ij.
Mucilag. ſemin. Cydon. Aqu. roſar. factæ drach. j. ſ. M. d. ad Vitr. ſubinde lintea huic liquori calefacto impreſſa oculis imponuntur.

Ad narium fœtorem.

Rec. Xyloaloës crudi,
Roſarum,
Caryophyllorum, ſingulor. unc. ij.
Spicæ,
Calami aromatici,
Myrrhæ,
Stor. Calamithæ. ana drach. j.

Confice cum bono vino antiquo aromatico, addendo moſchi grana x. fac pilulas quantitate ciceris, & diſſolvatur una pro vice cum oleo nardino, & ſtilletur in nares; aut imponatur cum tenta, factâ priùs collutione cum vino odorifero. *Alex.*

Ad narium obſtructionem.

Rec. Succi betæ,
Succi majoranæ ana unc. j.
Olei amygdalarum amararum drach. j.

Miſce, & per nares attrahantur. *Fioravantus.*

Ad ſanguinem ſiſtendum.

Sanguis ex quacunque parte corporis immodicè fluens, illicò ſiſtitur, ſi ſubtili & raro bombace involutum ſtercus ſuillum adhuc calens, in nares, pudendum muliebre, aut locum alium, ſanguine manantem, intrudatur. Quod ruſticis

ſticis potiùs quàm aulicis ſcriptum erit, ut ſimiles habeant labra lactucas. *Mizaldus.*

Ad ſanguinem ſiſtendum.

Si ſanguis fluat è naribus, conſtricto ejuſdem partis digito perſæpè ſiſtitur. Alii in fronte patientis ex illius ſanguine ſcribunt CONSUMMATUM eſt. *Card.*

Sanguis ut cohibeatur.

Sic mihi contigit, ut aliquando præciſo labio, ſanguis nullâ arte poſſet cohiberi; tum maximè, quia comedebam, ſalem impoſueram, perſtrinxeram, nihil proficiebat, præcantatione uſus ſum illâ, quæ à paſſione Domini ſumta eſt, & illicò, me admirante, ceſſavit, neque loquente, nec comedente apparuit ſanguis, etſi locus egregiè tum doleret, & vulnus appareret. Miraberis, neſcio ego, an fides, an verba profuerint: verba hæc ſunt; SANGUIS MANE IN TE, SICUT FECIT CHRISTUS IN SE. SANGUIS MANE IN TUA VENA, SICUT CHRISTUS IN SUA POENA. SANGUIS MANE FIXUS, SICUT CHRISTUS QUANDO FUIT CRUCIFIXUS, ter repete. *Cardanus.*

Ad ſurditatem.

Rec. Axungiæ canis
Succi abſynthii,
Olei veteris. ana q. ſ.

Miſce & in aures inſtilla. *Sextus Platonicus.*

Ad ſurditatem optimum.

Rec. Salviæ,
Majoranæ,
Flor. roriſmarini,
Hyſſopi,
Arthemiſiæ,
Mentaſtri,
Calamintæ,
Chamomillæ,
Millefolii,
Hypericonis,
Abrotani,
Saturegiæ, ana M. j.

Coquantur in aqua, in olla vitreata, ſupra quam aures collocen-

locentur ita, ut fumus ingredi poſſit, maſticando rem aliquam, ut fabas, continuò, ut pori meliùs aperiantur, & tandiu, donec decoctum frigeſcat. Quo facto, ſumito oleum colocynthidis, & unam vel alteram guttam inſtilla; mox bombace in dicto oleo imbutâ, obſtrue: demum aliquantum ſupradictarum herbarum ſupra ponito, ſomni tempore; iteretur ſingulis diebus, & perfectè ſanabitur. *Roſcel.*

Ad dentium dolorem & ſtuporem.

Dentium ſtuporem, quem Græci ἀιμωδίαν vocant, portulaca manſa diſſolvit, *Aphrodiſæo* teſte. Quod etiam præſtat ſalis defricatio; vel quippiam recentis caſei ovilli dentibus ſtupefactis attritum. Addo, quòd in ὀδονταλγίᾳ ſeu dentium dolore, nullum præſentius invenias remedium emplaſtello, facto ex pice vulgari, aut reſina liquefacta, cum pulvere aluminis, & nucis, quam gallam nuncupant, modò arteriæ temporali paulò ſupra dentem excruciatum calidum apponatur, & ibidem pernoctare ſinatur, vel dies aliquot geſtetur. Sed id maximè locum habet in exſcarificatione dentium maxillarium, & ſuperioris ordinis. *Experto* (ut dicunt,) *crede Roberto. Mizaldus.*

Dentium dolor mirè ſedatus.

Nuper dolor acerrimus duos ultimos maxillæ ſiniſtræ ſuperiores dentes vexabat: unde conſenſu quodam & alios omnes ſuperiores ejus partis dentes affligebat, & maxillam totam adeò, ut os excuti videretur: tum etiam oculum & aurem, & naſi partem eandem vehementer urgebat, nec ullo auxilio abſcedebat, ſed intermittens quandoque revertebatur. Dexterâ manu dentes apprehendebam, diſtrahebam, nihil proficiebam. Tandem caſu aliquo inveni, quòd ubi ſiniſtrâ manu leviter apprehendiſſem dentem, qui magis vexabat, ita ut pollice partem exteriorem, indice interiorem comprehenderem, ſtatim non ſolùm dolor illius dentis, ſed & totius partis ſedabatur. Illud verò mirabilius, quòd quantò leviùs tangebam, tantò celeriùs ac perfectiùs dolor ſedabatur. Fiebat autem ſedatio hæc confeſtim: & hoc cùm rediret dolor, ſæpiùs pluſquam vicies ſum expertus, donec ſic ſpontè abſceſſit, & liberatus ſum. *Cardanus.*

Ad dentium ſtuporem.

Dentibus qui ſtupore obtorpeſcunt ab eſu acidorum, auſtero-

ſterorum, vel frigidorum, portulaca manſa remedio eſſe ſolet, ignibusque ſacris auxiliatur, ac Veneris impetus & ſomnia frangit, &c. *Mizald. in Horto medico.*

Ad dentium dolores.

Dente talpæ vivæ exempto, ea demiſſa, ſanari dentium dolores, inquit *Cornel. Agrip.*

Ad dentium dolorem.

Dentium dolori prodeſt plerunque, ſi dentes coxarum oſſibus bufonis tangantur: antipathia enim eſt. *Cardanus.*

Ad dolorem dentium.

Rec. Ligni guajaci M. j.
Aquæ ardentis q. ſ.
Miſce, & in ore contineatur. *Ex libro manuſcripto.*

Ad dentium dolorem.

Rec. Piperis longi,
Maſticis,
Origani,
Saturegiæ,
Xylobalſami,
Pyrethri, ana unc. ſem.
Trita in unc. j. aquæ vitæ infundantur. De hac aqua parum dentibus inſtilla. *Roſcellus.*

Ad anginam.

Adeò eſt ſalutaris humanus ſanguis, ut elephantiaſi conſpurcati ſolia in balneis ex illo temperaverint, & Orpheus atque Archelaus illitu ejus anginam curari tradiderunt.

Ad anginam.

Cataplaſma ex pulvere combuſtarum hirundinum, & nidi earundem, efficaciter prodeſt diſcutiendis tumoribus gutturis, & curandæ anginæ. *Mizaldus.*

Squinantiæ remedium.

Squinanticis bufo ſeu rubeta cocta, & pro emplaſtro impoſita adeò prodeſt, ut quendam hoc auxilio, cui jam tanquam morienti, de more candelæ accenſæ fuerant, liberaverim. Crediderim & filum, quo ſuſpenſa interierit, poſſe conferre. *Cardanus.*

Pulvis

Pulvis pro Botio vel Strumâ, Zvingeri.

Rec. Spongiar. uſtar.
Lapid. ſpongit. ana unc. j.
Piperis alb.
Macis. ana drach. j.

M. F. pulvis ſubtil. d. ad ſc. ſingulis noctibus horâ ſomni capiatur doſis drachmæ unius in juſculo, aut Aquâ ordinaria, decreſcente Lunâ.

Ad ſtrumas.

Pedes omnes magnæ rubetæ, ab ea vivente abſciſſi, dum Luna vacua ad conjunctionem properat, colloque ſtrumas patientis ſuſpenſi adeò conferunt, ut perſæpè etiam morbo patientem liberent. *Cardanus.*

Ad columellam ſuffocantem.

Si contigerit à deſtillatione columellam in gutture laxari, ſuccus crudæ braſſicæ ſummo capiti admotus, illam in ſublimem oris partem revocabit, ſolitumque locum repetere coget: quod naturæ arcanis & ſecretis abſcribendum eſt. *Mizald. in Horto medico.*

Ad Columellæ inflammationem.

Excrementum pueri aridum cum melle Attico tritum, præſtantiſſimum eſt remedium ad columellæ inflammationes, quæ ſuffocationem minantur. Sed puer ille paſcendus eſt biduo lupinis cum optimo pane, ſatis fermentato & ſalito: eique vinum vetus bibendum mediocriter dandum, ut quàm optimè concoquat. Tertio die ſumtum excrementum deſiccandum eſt, & quo dictum eſt, modo uſurpandum. Gallinarum & perdicum caro in jure elixa poſſet exhiberi, niſi excrementum magis fœtidum redderet. Hoc Galeni ſecretum eſt, à quopiam precibus magnis impetratum, ut ipſe ſcribit.

Ad infantulorum ſiriaſin.

Urticæ in mortario contuſæ, addito momento unguenti populeonis, arteriis temporum, ac metacarpii applicantur: remedio præſtantiſſimo ad extinguendum ardorem ſiriaſis infantulorum, plus minus biduo, modò ſingulis quaternis horis innoventur. *Langius.*

Infans ut non ſternutet.

In domo, in qua ciconiæ pennæ fuerint, infantem non ſternutaturum, inquit Aetius.

Ad

Ad animi defectum.

Animi defectu collapsi eriguntur vellicato articulo digiti annularis, seu medii: nec non attritu auris ad eundem cum croci momento: per hunc enim vis quædam refocillatrix, ad cor vitæ fontem dimanat. *Lemnius.*

DE MORBIS PECTORIS.

Ad tussim puerorum.

Dicit Tabariensis, quòd si suspenditur lapis spongiæ in collo pueri, qui tussit tussi vehementi, sedatur tussis ejus: & quando intromittitur in caput asini, aut anum scarabeus, sincopizat, & vertitur, donec extrahatur ab eo. *Albertus.*

Ad difficultatem spirandi.

Clavenzanus adolescens, nomine Jacobus, qui jam per septem annos spirandi difficultate laborabat, frequentibus & longis sævisque accessionibus, desperatus ab aliis Medicis à me in duobus mensibus planè sanatus est, factusque pinguis: sed aliâ ratione. Dropace enim Pauli ad coxendicum dolores, addito melle anacardi, superimposito suturæ coronali, unâ die fermè libras duas aquæ detraxi, inde sequentibus diebus idem actum est: sed non tanta defluxit aqua: sicque liberatus est. Existimo cantharides idem posse, quod anacardi mel, & euphorbium etiam. Miscebam etiam elateri granum unum unciis tribus lactis, jubebamque eo tanquam errhino uti: & conduxit multum. Atque hæc omnia priùs præpurgato corpore cum catapotiis; siccatoque victu tenui, sed humido tamen, parumque alente, tum decocto Indici ligni pro potu exhibito. *Cardanus de Curationibus admirandis.*

Ad pleuritidem.

Scobis, vel rasuræ dentis apri uncia semis in pollinem redacta, & cum aqua hordei, vel cicerum rubrorum, aut decocto pectorali à pleuritico hausta, vero & comperto remedio illum ab imminente periculo liberat. *Mizaldus.*

Optimum facillimumq; remedium ad pleuritidem, quo, ut alios taceam, fabrum quendam semimortuum, duobus diebus mirabiliter præsanavimus.

Accipe pomum odoratum & flavum, ab interioribus nem-

nempe ſeminibus mundatum, atque olibano eum impleto: deinde operculo ejus ſuperaddito, ſub cineribus calidis coquito, donec perfectè, & abſque uſtione coquatur. Hoc pomum in quatuor partes ſecato, ægroque ad comedendum præbeto. Quod cùm ritè factum fuerit, ſtatim aperietur apoſtema, tum apoſtematis pus expuetur, & ſic æger liberabitur. Quoniam faber quidam, cujus dentes jam erant clauſi, ut inſtrumento aliquo pro injiciendo pomo aperire conaremur: qui cùm injecto pomo per ſemihoram quieviſſet, ſtatim magnam puris copiam expuit, deinde dormivit, cibum petiit, ſanusque Dei auxilio, evaſit. *Alex. Pedemont.*

Ad pleuritidem.

Limatura ſeu pulvis dentium majorum apri, detur in cochleari cum oleo lini. *Octavius Landus.*

Ad pleuritidem unguentum.

Rec. Olei roſati unc. vj.
Terebinthinæ unc. j.
Sulphuris tenuiſſ. triti
Millepedum contuſ. ana unc. j.
Coquantur omnia ſimul per horam unam, deinde coletur oleum, quo affecta pars inungatur. *Roſcellus.*

Ad empyicos.

Si quis pleuriticus, empyicus, vel ſuppuratus, ſcrupulum pulveris ſeminum urticæ cum ſyrupo violaceo, aut alio quopiam ex iis, quos pectorales vocant, paulatim, & veluti lambendo deglutiverit, viſcoſum humorem ac tenacem nullo negotio expectorabit. Secretum cujusdam non vulgaris Medici Pariſienſis.

Ad phthiſim aqua optima.

R. Tuſſilaginis
Limaciarum purgatarum
Hyſſopi
Capillor. Veneris
Conſolidæ majoris ana q. ſ.
Ponantur in cucurbitam plumbeam, & in balneo Mariæ de-

deſtillentur, de qua ſumat patiens ſingulis diebus in aurora poculum unum, ſtomacho jejuno. *Roſcellus.*

Aliud ad idem.

Rec. ſulphuris ſublimati, & ſuper lapide porphyrio cum aqua roſarum in tenuiſſimum pollinem triti quantum ſufficit. Conſervæ roſarum quantum ſatis eſt ad conficiendum electuarium. Doſis unc. ſem. jejuno ſtomacho. *Innominatus.*

Ad phthiſin electuarium optimum.

Rec. Herb. Pulmonariæ.
Roſmarini
Betonicæ
Capill. Veneris ana drach. ij.
Mellis deſpumati lib. j.
Conſolidæ minoris unc. viij.
Tuſſilaginis unc. j.
Violarum drach. j. Miſceantur, & fiat electuarium ſecundùm artem. *Roſcellus.*

Ad phthiſim remedium probatum & facile.

Accipe Tuſſilaginis
Lardi porcini benè contuſi ana quantum ſatis eſt,
Ovorum recentium num. j.
Miſce & coque pro placenta, quâ cùm per novem dies manè uſus fuerit æger, effectum admiratione dignum videre licebit. Valet etiam ad impinguanda corpora macilenta. *Alexius.*

Ad phthoen.

Sanavi neptem adoleſcentulam à Pontificis libellis (Datarium vocant) Franciſci Alciati, poſtquam velut phthoe peſſimâ laborantem, ipſe ego pro deplorata reliqueram; aderat febris vehemens, ſpirandi difficultas, maxima tuſſis, puris ſputum copioſum: itaque cùm cætera præſidia non valerent, juſſi ut ſolâ ptiſanâ pro cibo uteretur aquâque cum ſaccharo confectâ, acciperet autem ſingulo mane unc. iiij. decocti caudarum & chelarum cancrorum in aqua hordei cum drach. ij. ſacchari. convaluitque perfectè, & ſanata eſt: hoc eodem auxilio multos admodum curavi,

qui

qui integræ ſanitati reſtituti ſunt: erat autem illa, filia unius, qui ex phthoe vera obierat. *Cardanus.*

Pulvis Antiphthiſicus Zvingeri.

Rec. Pulver. Fol. Lichen. petræi. unc. ſ.
Pulmon. Vulp. ppt.
Bol. armenat. ana drach. ij.
Specif. Antihect. Poter. drach. ij. ſem.
Sacch. cand. alb. unc. j.

Miſce F. Pulvis ſubtil. d. ad chart. de quo mane ac veſperi drachma dimidia vel ſcrupuli duo ſumantur.

Ad empyema & phthiſim.

Ex peſſimo Empyemate, à Medicis egregiis derelictum juvenem, Adrianum Belgam, optimorum morum: nam neminem illo gratiorem expertus ſum. Erat autem à libellis Don Alfonſi Pezoni, regii quæſtoris. Hunc itaque febre, tuſſi aſſiduâ, ſputo ſaniei, difficultate ſpirandi laborantem, miris modis curare aggreſſus ſum, anno abhinc 4. coactusque ſum ſanguinem mittere, quod magis periculum, etiam morbum vereret, inde teſtudinum uſu, & ſyrupo etiam ex illis confecto, exquiſitâque victûs ratione: in qua alii Medici non obſervanda peccaverant, carnes & ova concedentes, tandem eum liberavi ſic, ut uxorem duxerit: & nunc etiam ſanus, mei memor vivat. Uſus autem ſum in eo diſtillatis aquis, cujuſmodi ſuprà docui: tum decocto ligni Indici, cum humectantibus & expectorantibus, melle ſiquidem, altheæ, & ſymphyti radice, ſcabioſâ, glycyrrhizâ, foliisque longæ ariſtolochiæ. *Card.*

Anheloſis bonum remedium.

Ozymi ſuccus ex ſemiuncia epotus cum dimidio croci ſcrupulo, mirum in modum confert anheloſis, ac ſpirioſis. *Idem.*

Ad interna vulnera.

Si quis internè vulneratus decoctum radicis caryophyllatæ biberit, ſanabitur. Et ſi externa vulnera eodem colluuntur decocto, ſummoperè juvabuntur. Valet præterea ad lateris & pectoris dolores, nec non ad internas cruditates diſcutiendas. *Mizald.*

DE MORBIS VENTRIS.

Ad dolores ſtomachi, & appetitum conciliandum.

Cochlear pulveris electri, ſeu ambari albi ex vino, vel brodio ſumatur. *Ex Reverendiſſ. Nuncio protonotario Biglia Mediolanenſi.*

Ad dolorem colicum, & apoſtemata interna.

Os calvariæ hominis radatur, vel limetur in ea parte, in qua commiſſura in ſincipite eſt, in ſuperiore velut crux: ex eo pulvere cum brodio, vel aqua aut vino, ſi deſit febris, detur ægroto drach. j. vel ſemidrach. in hauſtu, movet vomitus vehementes, & ſedes: propterea dandus eſt, antequam vires ægrotantis omninò labefactentur. *Idem.*

Ad os ventriculi corroborandum, & conſtringendum.

Rec. Pul. Coriandri præparati unc. j.
Aniſi unc. ſem.
Coralliorum rubrorum.
Cinnamomi ana drach. ſem.
Conſervæ roſaceæ exiccatæ unc. v.
Fiat pulvis, quo utatur à cibo cochlearis menſura. *Ex lib. manuſcripto.*

Ad ventriculum corroborandum.

Rec. Spec. diarrhod. abbatis drach. iij.
Pul. trium ſantalorum drach. ij.
Pul. corticis citri ſicci ſcrup. v.
Aromat. roſ. drach. j. ſem.
Sem. iv. frig. major. ana unc. ſem.
Syrupi de pomis unc. j.
Sacchari albiſſ. q. ſ.
Fiant tabulæ, ſingulæ duarum drach. pondere, ex quibus unam quotidie ſumito, duabus ante prandium horis, adjectis adianthi conſervæ, aut roriſmarini unc. ſem. myrobal. chebul. unc. ij. *Vincent. Laureus.*

Medicamentum contra ardorem ſtomachi, quem Germani den Sod *vocant.*

Rec. Vetus ſaccharum roſar. & lapides Cancrorum quos con-

contuſos & in pulverem redactos ſaccharo roſar. inſperge, adde paululum de bolo armenat. Miſce hæc omnia ſimul. Obſervetur tamen ut lapides Cancrorum dimidiam ſaccharı partem quantitate ſuâ adæquent. *Rantzovius.*

Aliud.

Rec. Seſquiunc. cretæ.

Tres nuces muſcatas, ſive myriſticas.

Seſquiunc. ſacchari electiſſ. quod ex Inſulis Canariæ advehitur. Fiat pulvis, doſ. drach. ſ. *Rantzovius.*

Ad pituitam è ventriculo diſcutiendam.

Recipe Caricarum pinguium per ſetaceum expreſſarum unc. vj.

Medullæ Carthami unc. j. ſem.

Rhabarbari electi drach. iij. ſem.

Caryophyllor.

Cinnamomi

Nucis moſchati ſing. drach. j.

Miſce omnia ſimul, & cum ſyrupo de corticibus citri fiat ſolidioris formæ electuarium: utatur unc. ſem. bis in ſeptimana, horis tribus ante prandium. *D. Lepor. Dal.*

Ad nauſeam à mari.

Abſynthium & pulegium tere cum oleo & aceto, & nares interiùs frequenter frica. Idem facit ſemen apii cùm bibitum fuerit: prohibet enim nauſeam, ne commoveatur, & ſedabit eam cùm commovebitur, & abſynthium ſimiliter faciet. *Alex. Pedemont.*

Ad colicam.

Radix hyoſcyami albi, quando ſuſpenditur ſuper patientem colicam, confert ei. *Ariſtot.*

Ad colicam.

Dixit Alexander, quando accipitur aliquid de umbilico infantis, qui egreditur, ſi inciditur, & ponitur ſub lapide annuli de argento, vel auro, tunc ei, qui neſcit eum, non advenit colica paſſio penitus. *Albertus.*

Colico cruciatui remedium.

Animalium calcanei combuſti ſummè pollent adverſus colicos cruciatus, ut ſcribit *Rhaſis.*

Ad idem.

Sperma ceti humidum & recens confert ad colicos cruciatus; & omnes interaneos dolores, cum aliis, quæ flatus diſſipent, exhibitum. Sed cavendum, ne quis eo vetere utatur, aut nimio uſu ei aſſueſcat: nam alioquin periculoſum eſt. *Ex quodam Medico Germano.*

Ad idem.

Novi, qui bubulum ſtercus aridum in juſculo ignarus bibit, & à colico dolore ſtatim evaſit. Audivi etiam à viris fide dignis, non paucos ruſticos ejuſdem potu liberatos. Quidam non ipſum excrementum, ſed expreſſum inde ſuccum bibunt, & meliùs habent. *Geſner.*

Ad idem.

Corculum galeritæ femori adalligatum, ſummè prodeſt adverſùs colicum cruciatum. Nec defuerunt, qui illud recens eam in rem etiam devorârunt optato ſucceſſu. *Ex quodam Hiſpano.*

Colicis doloribus experimentum optimum.

Si juvenum cervorum tenerrima cornua, dum adhuc lanuginoſâ cuticulâ operiuntur, in taleolas ſcindantur, & in fictili novo diligenter operculato, torrefacienda clibano committantur, factus ex iis pulvis, addito pipere & myrrhâ, coli cruciatibus cum vino generoſo mirificè confert. *Scribon. Largus.*

Ad colicam.

Officulum hominis quodcunque appenſum, ut carnem attingat, doloribus ventris, qui certâ periodo repetunt, prodeſſe exiſtimatur. *Mizaldus.*

Ad eandem.

Illud certum eſt, lupi ſtercus, inteſtina, corium comeſta, vel etiam ſolùm geſtata, colicam tollere: confirmant enim hæc inteſtinum illud. *Cardanus.*

Ad colicam.

Umbilicus infantis, qui præciſus eſt, dum naſcitur, in argenteo annulo geſtatus, ut carnem tangeret, multis, me vidente, profuit coli doloribus afflictis, ut hoc præſidio integrâ valetudine per multos annos fruerentur: forſan illis

illis profuit fides: nam omnibus contingere hoc minimè credendum eſt. *Idem.*

Ad ventris tormenta.

Tradunt, in torminib. anate vivâ appoſitâ ventri transire morbum, anatemque emori. *Corn. Agrippa.*

Ad colicos & nephriticos cruciatus.

Recipe Acerrimi raphani unc. j.
Oſſium meſpilor. drach. ij.
Blandè conquaſſata macerentur horis octo in vini albi generoſi unciis quatuor, deinde percolata, & modicè calentia propinentur in egreſſu lecti, & ejuſdem ingreſſu: itereturque potio, ſi opus fuerit doſim ejus augendo, vel minuendo, pro corporum & ætatum modulo. Non deerunt, qui pro tam ſalutari munere, mihi ſummam ſint habituri gratiam. *Mizaldus.*

Rec. Amygdalarum amararum
Sem. Perſicorum
Allii
Lumbricorum terreſtrium ſing. lib. j.
Gentianæ M. j.
Dictamni albi
Radic. Fraxini
Rad. graminis
Rad. imperatoriæ
Rad. Pœoniæ, Croci,
Calami aromatici
Caryophyllorum
Aloës hepaticæ
Galbani, Colocynthidis
Zingiberis
Nucis moſchatæ
Cinnamomi
Piperis nigri
Piperis longi
Carpobalſami
Olibani ſing. unc. iv.
Corall. rubrorum unc. iij. ſ.
Theriacæ lib. j.

Menthæ Abſynthii
Abrotani, Centaurii minoris
Fol. perſici
Herbarum porri
Pulegii, Plantaginis
Rutæ, Marrubii
Apii, Salviæ
Anethi, Camædryos } ana M. j.
Majoranæ
Roriſmarini
Betonicæ
Foliorum lauri
Corticum mal. aurantiorum
Cort. mali granati ſing.

Sem. apii.
Sem. portulacæ
Sem. raphani
Sem. caulium
Sem. plantaginis } ana lib. ſem.
Sem. porri
Sem. centaurii minoris
Sem. mal. cotoneorum
Sem. Fœniculi
Sem. petroſelini ſingul.

Lupinorum
Baccarum lauri
Phaſeol. rubr. ſingul. ana lib. j.
Cornu cervi unc. vj.
Fellis taurini lib. j.
Aceti albi lib. j.
Olei maſtichini
Laurini
Nardini ſingul. ana lib. j.
Olei communis veteris lib. xiv.

Trituranda triturentur: contundenda contundantur, miſceantur, & ponantur in loco calido per dies quindecim: deinde coquantur uſque ad tertiæ partis conſumtionem: demum coletur, & ſervetur oleum ad uſum. Quo ſi uti voles, tempora, nares, pulſus manuum, orificium ventriculi, umbilicum inungito, iterando inunctiones aliquoties, videlicet ſingulis duabus horis. *Roſcellus.*

Ad

Ad vermes electuarium.

Rec. Seminis cinæ unc. j.
Dictamni albi unc. j. ſem.
Croci drach. ſem.
Mellis colati lib. ij. vel, q. ſ.
Fiat electuarium. Doſis unc. ſem. *Roſcellus.*

Ad vermes.

Nihil efficacius ad exigenda ventris interanea, & lumbricos ejiciendos, exiccatis in tegula ignita vermibus, exhibitoque illorum pulviſculo, verminantibus pueris. Nam confeſtim reliquos corpori inhærentes excludit. *Lemnius.*

Aliud.

Experimento probatum habeo, puerorum lumbricos, uvarum paſſarum eſu expurgari, ſi jejunis abſque ullo alio edulio, illas exhibeas. Nam ut amarulenta, ita dulcia affluenter hauſta, vermibus ſunt inimica: diſtendi enim, ac rumpi illos contingit, ſuavioris edulii copiâ. *Lemnius.*

Ad dyſenteriam.

Rec. Coaguli leporis
Sanguinis leporini ſingul. qu. ſatis eſt.
Miſce & da patienti. Omnia enim alvi profluvia compeſcit. *Alexius & Mizaldus.*

Aliud.

Multi dyſenterias exitialiter graſſantes curaverunt hauſto decocto Indicæ alceæ ex vino, ſi quidem febris aberat: vel plantaginis, hordeive, ſi præſens erat. Id fuiſſe inter arcana doctiſſimi cujuſdam Hiſpani Medici, pro certo accepi.

Ad dyſenteriam.

Dyſenterias, & alias ventris profluvies, quantumvis effrenes, compeſcunt Oſſa humana, ad lævorem pulverata, & ex vino rubro ſubauſtero ſumta. *Mizaldus.*

Ad fluxum hepaticum.

Docet *Rhaſis*, hepata anatum proprietatem habere ſiſtendi fluxum, qui ex debilitate hepatis naſcitur.

Ad icteritiam.

Juſculum ex decoctione fragariæ herbæ cum ſua radi-

ce, ab icterico jejuno dies aliquot hauſtum, illum perfectè ſanat. Secretum hoc cujuſdam eſt monachi, ex quo ingentes pecunias corradebat.

Ad aquas hydropicorum.

Pulvis Magnetis triobolari pondere epotus ex ſucco fœniculi, hydropicis aquas detrahit. *Mizald.*

Ad hydropicorum aquas.

Mirum eſt, quod affirmant: coluber fluviatilis funiculo à cauda præligatus ſuſpenditur, ſubjecto vaſe, aquâ pleno, in quod dehiſcat ore, aliquot pòſt horis vel diebus lapidem eructat, qui exceptus vaſe, quod ſubjacet, totam aquam ebibat. Alligatur lapis hydropicorum ventri, atque in totum exhauſta aqua liberat. *Hollerius.*

Ad hydropem.

Clyſteria ex decoctione Cardui benedicti in urina, omne genus hydropis curant ſæpiùs infuſa. *Ex lib. manuſcripto.*

Rec. Spicæ nardi Indicæ.
Hepatis lupini ſingul. drach. ſem.

Trita miſceantur cum ſyrupo de abſynthio, fiant pilulæ N. 18. auro coopertæ. Capiat pilulas iij. ſingulis diebus ſtomacho jejuno. *Innominatus.*

Ad hydropem.

Rec. Liquoris tartari
Aquæ gentianæ ſing. unc. j.
Spiritus vitrioli gutt. iij.
Olei ſulphuris gutt. iv.
Aquæ theriacalis unc. ſ.

Miſce. Capiat ante ingreſſum laconici, & ſudet. *Innominatus.*

Ad calculum, Imp. Max. II.

Rec. Rhabarbari electi drach. ij.
Galangæ
Granorum paradiſi
Aniſi
Fœniculi
Agarici
Maſticis
Cinnamomi ana drach. j.

Gly-

Glycyrrhizæ unc. ſem.
Lapidis Judaici drach. iij.
Mithridatii drach. v.
Macis drach. iv.
Caryophyllorum drach. ſem.
Vini ardentis part. j.
Vini malvatici part. ij.

Ponantur omnia in vitro optimè obturato per dies 14. poſtea deſtillentur. Utatur bis in hebdomade ad quantitatem cochlearis, ſtomacho jejuno. *Ex libro manuſcripto.*

Ad calculum pulvis.

Rec. Gummi ceraſorum
Milii Solis ſing. drach. ij.
Sem. Petroſelini
Sem. Melonum
Sem. Malvæ
Glycyrrhizæ raſæ ſing. drach. iij.
Sacchari candidi drach. x.

Fiat pulvis ſubtiliſſimus. *Ex libro manuſcripto.*

Ad lapidem, & phlegma veſicæ.

Rec. Rad. Fœniculi
Reſtæ bovis
Chamædryos
Betonicæ
Parietariæ
Florum Cheyri
Roriſmarini
Salviæ
Baccarum lauri
Juniperi ſing. drach. ſem.
Sem. geniſtæ ſcrup. j.
Violariæ
Altheæ
Aniſi ſing. ſcrup. j.
Sem. frig. majorum
Cinnamomi
Nucis moſchatæ ſing. drach. j.
Glycyrrhizæ raſæ drach. ij.

Fiat pulvis ſubtiliſſimus. Doſis ſcrup. j. cum decocto cicerum rub. *D. Bleſius.*

Ad calculum pulvis.

Rec. Sem. melonum drach. j. ſ.
Gummi ceraſorum unc. ſem.
Sem. Milii Solis drach. ij.
Liquiritiæ raſæ drach. j. ſem.
Sacchari candi unc. ij. ſem.

Miſce, & fiat pulvis. Doſis unc. ſem. cum brodio cicerum rub. *Iſabella Corteſa.*

Ad calculum ſyrupus.

Rec. Saxifragiæ
Milii Solis
Sem. ceraſorum
Gran. alchekengi
Gentianæ
Cicerum rub.
} ana q. ſufficit.

Coquantur in aqua cotoneorum uſque ad tertiæ partis conſumtionem, deinde coletur, & de colatura accipe lib. j. Mellis optimi lib. j. Aceti unc. j. coquantur, deſpumentur, fiatque ſyrupus; de quo patiens quotidie in aurorâ capiat cochleare unum, ſtomacho jejuno. *Ex lib. manuſcripto.*

Ad calculum balneum optimum.

Recipe Hyſſopi, malvæ, petroſelini, parietariæ ana M. j. Seminis lini unc. ſem. ſaxifragiæ M. j. Ponantur in ſaculo omnia, & in aqua ſufficienti coquantur, & fiat balneum. *Ex lib. manuſcripto.*

Ad calculum pulvis.

Rec. Sanguinis hircini præparati unc. ſem.
Lapidis Judaici
Lapidum cancrorum
Sem. perſicorum ſingul. drach. j.
Sem. petroſelini drach. ij.

Fiat pulvis ſubtiliſſimus. *Ex lib. manuſcripto.*

Ad calculum.

Granorum juniperi drach. v.
Corticum caſſiæ unc. ſem.
Aniſi drach. j.

Fœni-

Fœniculi drach. j.
Lapidis Judaici unc. ſem.
Agarici
Zingiberis
Cinnamomi
Galangæ ſingul. drach. j.
Macis ſcrup. ij.
Mithridatii drach. ij.
Liquiritiæ raſæ drach. vj.
Vini optimi part. ij.
Vini ardentis part. j.

In vaſe vit. Utatur bis in menſe cum cochl. *Ex lib. manuſcr.*

Ad calculum probatum.

Rec. Aniſi unc. iv.

Cumini Romani, in aceto per diem integrum ad Solem infuſi, & reſiccati unc. iv.

Sem. apii
Petroſelini
Sacchari albiſſimi ſingul. unc. iv.

Fiat pulvis ſubtiliſſimus, quo utatur æger ſtomacho jejuno, ſingulis diebus cochlearii dimidii doſi cum pane toſto, vel brodio ciceris per menſem integrum, curabitur perfectè. *Ex lib. manuſcripto.*

Ad calculum pulvis.

Rec. Rad. enulæ, rad. pimpinellæ, ſem. aniſi, ſem. petroſelini, ſem. fœniculi, granorum juniperi, ſem. ſaxifragiæ albæ an. unc. ſem. Fiat pulvis ſubtiliſſimus, quo utatur cum vino calido manè ſtomacho jejuno, ſingulo die ultimo plenilunii, hoc eſt, uno die ante novilunium. *Ex libro manuſcripto.*

Ad calculos.

Braſavolus vim incredibilem tribuit pulveri meſpiloum ad deturbandos è renibus calculos, & ciendas urinas.

Ad calculum probatum.

Raphani in ſalis cumulos & ſalinas projecti, vel conſepulti, in aqueam ſalſuginem maſſam totam deliqueſcere ac reſolvi cogunt. Ex quo multi adverſùs calculum & tophos arenaceos in corpore concretos, aquam ex corticibus, vel toto corpore raphanorum expreſſam, cum vino al-

albo, & pulvere terebinthinæ ex aduſtione, vel reſiccatione ad Solem ſalubriter & ſucceſſu admodum felici, exhibent. Res probata, & nullo auro æquiparanda. *Mizaldus.*

Aliud ad idem.

Ajunt nonnulli, baccas leucacanthi, ſeu albæ ſpinæ ex vino albo ſumtas, deturbandis calculis admodum efficaces eſſe. *Idem.*

Ad calculos.

Si in lamina auri puriſſimi figura leonis ſculpatur, Sole verſante in Leone: & Lunâ non aſpiciente ſextam domum, nec domino aſcendentis Saturnum, vel Martem, Lunâque ab illis recedente, valebit ſigillum hujuſmodi circa renes geſtatum, ad ſæviſſimos illorum dolores, & cruciatus. Et ſi componantur trochiſci ex pulvere ſelecti olibani cum hircino ſanguine, imprimanturque in dicta Lamina, & ſiccati ſolvantur in vino albo, quod à jejuno bibatur, mirabilem effectum habebunt adverſùs calculos renum, & veſicæ lapidem. *Andreas Cordubenſis, ad ſummum Pontif. Gregorium, & Albertus Magnus.*

Aliud ad idem.

Omnia genera lapidum, qui in capitibus piſcium reperiuntur, trita, & cum vino exhibita, colicum dolorem compeſcunt; & calculum, qui in renibus defixus jacet, atterunt, & comminuunt. *Galenus & Avicenna.*

Aliud ad idem.

Adverſùs calculum multi de experientia magnificant pulverem pellis lucii piſcis cum aqua parietariæ ex vino albo hauſtum. Alii idem pollicentur de pelle piſcis barbatuli, & ſtillatitia aqua herbæ, quam argentariam vocant. *Mizald.*

Aliud adversùs calculum.

Pulvis vitri ab Abenzoare in hunc fit modum. Fruſtum vitri cryſtallini denſum & perſpicuum terebinthinâ reſinâ illinitur, & prunis imponitur, donec candeſcat. Aquâ extinctum, iterum illinitur, excoquitur & reſtinguitur. Ubi id ſepties iteratum erit, in ſubtiliſſimum pulverem atteritur. Ex eo pondus aurei, vel drachmæ unius ex vino albo, calculos efficaciter comminuit. *Galenus & Avicenna.*

Aliud

Aliud optimum.

Paſſerculus troglodytes vocatus, qui omnium aviculaarum, excepto regulo, minimus ſpectatur, & juxta ſæpes ac muros victum quæritat, volatumque perbrevem facit, naturalem vim, admiratione dignam habet. Sale enim conditus, & crudus in cibo acceptus, concretos calculos lotio expellit, & ne renaſcantur prohibet, ac morbum perfectè ſanat. Conditur optimè pennis evulſis, atque inde largo ſale adobrutus, arefactus comeditur. Si plures adfuerint, coqui poſſunt more aliarum avicularum. Poſſunt etiam non deplumes uri in olla operta, & cinis unius uſti, cum pauco pipere & cinnamomo exhiberi. Sunt qui vivum pennis prævulſis ſale condiant, quod melius eſt. Alii aſſatos edunt integros, ita ut nihil ex eis præter pennas abjiciant. *Aëtius & P. Ægineta.*

Ad calculos.

Gummi ceraſorum in vino albo ſolutum, contra calculum profuiſſe, certo experimento compertum eſt. *Mizaldus.*

Aliud optimum.

Accipe aquæ vitæ optimæ, olei amygdalarum dulcium, ſingulorum unc. ij. miſce, & bibe ſtomacho jejuno. *Ab amico experto.*

Ad calculum remedium bonum.

Ononis ſeu Anonis (quæ & acutella & reſta bovis vulgò dicitur) contra calculos plurimùm laudatur. Nam ab illorum cruciatu celerrimè liberat, ac eos expeditè educit, pulvere ex cortice radicum ejus hauſto cum vino albo. *Mizaldus.*

Aliud ad idem.

Hoc loco mihi ſanè quàm oportunè in mentem venit ſecretum cujuſdam doctiſſimi Medici, facilè admodum & familiare, ad deturbandos è renibus calculos. Id ſolùm conſtat ſyrupo de Hyſſopo cum duplo vel triplo aquæ parietariæ. Quo remedio per dies decem, aut duodecim hyeme propinato adoleſcenti cuipiam, & aliis, jejuno ventriculo, ille mihi fidem fecit, ſe multos calculos è corporibus eorum excluſiſſe. *Mizaldus.*

Calculoſis & podagroſis amuletum.

Illud abſque ſuperſtitione: radix pœoniæ maſculæ Majo colle-

collecta, & creſcente Lunâ, pro amuleto ſuſpenſa, podagricos, & calculoſos juvat. *Cardanus.*

Ad renum dolorem, & teneſmum.

Pulli columborum occultâ proprietate renum dolori conferunt, & corruptum ſanguinem emendant: ſed dum interficiuntur, capite truncari debent. Eorundem carnes facultatem habent ſanandi teneſmum, quem cucurbita, frequenter comeſa, generare ſolet. *Rhaſis.*

Ad veſicæ lapidem.

Conſtat hac ratione aquam fieri poſſe, quæ lapidem veſicæ per catheterem immiſſa, ilicò confringet. Nam cum duo ſint neceſſaria, & quòd lapidem atterat, & quòd veſicæ ſit innoxia, primum præſtabit modus ac materia: nam extremos vapores è ſcorpionum cinere, vel macedonici petroſelini, vel tecolitho, aut lapidibus cancrorum excipiemus: ſic enim aqua fiet, quæ etiam porphyritem comminuat. *Cardanus.*

Ad renes expurgandos.

Si ſemen inventum in pilulis & globulis Lappæ minoris, in leviſſimum pulverem redigatur, & cum pauco vino albo generoſe exhibeatur, renes ab arenulis efficaciſſimè repurgabit, ſed aliquanto celeriùs, ſi cum aqua vitæ hauriatur. *Mizaldus ab experto.*

Ad urinam ciendam.

Rubeta diſciſſa & renibus ſuperpoſita, urinam ciet vehementer, atque adeò, ut nonnunquam aſcitici hoc medicamento liberentur. *Cardanus.*

Ad urinam movendam.

Scolimi, ſeu cinaræ radix decocta in vino, & pota, copioſam & graveolentem urinam prolicit: eodemque modo virulentæ & venereæ gonorrhœæ auxiliatur. *Dioſcorides, Oribaſius, Paulus & Langius.*

Ad lotii difficultatem.

Centipedæ in cellis vinariis repertæ, lotii difficultates egregiè ſolvunt, ſi vino albo intritæ hauriantur: vel ſiccatarum pulvis ex eodem vino exhibeatur. Conſtat experimento cujuſdam, qui ſicuti id ſecreti liberè mihi impertivit; ita ego aliud ei candidè commune feci. *Mizald.*

Ad

Ad ſtranguriam.

Lapilli ex capite limacum & grandiorum cochlearum eruti, ſtranguriosis urinam moliuntur, illius meatus lubricando, ſi comminuti ex vino exhibeantur. Auxiliantur etiam parturientibus, laxando & dilatando probè muliebres locos. *Mizaldus.*

Stranguriæ remedium.

Ad ſtranguriam lingua anſeris ebibita mirabilis eſt, inquit *Cardanus.*

Ad veſicæ morbos.

Quædam à ſimilitudine miro modo liberant: à ſimilitudine, velut veſicæ bovis tres coctæ in aqua, ebibita aqua, ſiccatisque veſicis, ac cum aqua ebibitis, dicunt omnes morbos veſicæ ſanari, præcipuè verò urinæ incontinentiam. *Cardanus.*

Ad veſicæ ſcabiem.

Decoctum herbæ, quam Hippurim vocant, ſcabiei veſicæ, malo intolerabili medetur, facta in multis experientia. *Mizaldus.*

Ad gonorrhœam.

Cinaræ radicem in vino coctam, & potam, venereæ gonorrhœæ præſens eſſe remedium felici ſucceſſu ſe probâſſe ſcribit. *Joan. Langius.*

Ardoris urinæ medela.

Rec. Radicis malvæ,
Altheæ,
Petroſelini, ana M. j.

Coquantur in aqua fluviali uſque ad conſumtionem tertiæ partis, deinde coletur: cui adde butyri recentis ad quantitatem nucis, & bibendum præbe duabus horis ante prandium, ſtomacho jejuno. *A quodam Equite Ferra.*

Ad mingentes in lecto.

Accipe Succi foliorum cupreſſi,
Olei ſeſamini, ſing. unc. ij. Miſce & da in potu manè, & eundo dormitum tribus diebus, & non comedat acetoſitatem, neque olera, & valet propriè in mulieribus. *Bayrus, ſi recte memini.*

Ad effluvium urinæ.

Veſica ovilla, aut caprina cremata, & ex poſca bibita, vel

vel leporis teſticulus ex vino odorato coctus, & potus, iis qui urinam inviti reddunt, benefacit. *Mizaldus.*

Ad dolorem hæmorrhoidum.

Rec. Folior. Malvæ, Violariæ, Altheæ an. M. j. ſ. Meliloti, Fœnigræci, florum Chamomillæ, ſeminis Lini ana M. j. Tapſi barbati M. ij. Paretur decoctum in aqua & vino rubro, pari portione. *Ex lib. manuſcript.*

Ad hæmorrhoidum dolorem.

Rec. Micæ panis, ſi fieri poteſt, hordeacei & in lacte muliebri, vel caprino madeat, addito vitello ovorum, & croco. *Ex lib. manuſcr.*

Ad menſtrua alba unguentum.

Rec. Corall. rubrorum,
Myrrhæ,
Corticum thuris,
Succi roſarum,
Nucum cupreſſi,
Balauſtiorum,
Maſticis,
Olibani,
Carabæ,
Spicæ nardi,
Galliæ moſchatæ,
Coriandri præparati, ſingul. ſcrup. j.
Olei roſarum,
Olei maſtichini,
Olei nardini,
Olei rutæ, ſingul. unc. ſem. cum pauca cera, fiat unguentum. *Roſcellus.*

Ad uterum loco movendum.

Bardanæ majoris folium (quæ & Arction, & Perſonata dicitur) ſummo capite geſtatum, matricem ſurſum tollit, ſub planta pedis, deorſum. Quod remedium præſtantiſſimum habetur adverſus ſuffocationes, præcipitationes, ac dislocationes matricis. De folio braſſicæ ſcribit *Cato*, quod vertici capitis impoſitum, vulvam ex defluxu pendulam, vel aliter affectam, ſurſum rapit. *Mizaldus.*

Ad

Ad mulieres utero ſtrangulatas.

Experimento certiſſimo compertum eſt, bituminis ſuffitu, ſive crudum ſit, ſive uratur, mulieres utero ſtrangulatas extemplò revocari. Quamobrem nonnullæ hoc morbo obnoxiæ, lanâ exceptum illud, collo appendunt: ut crebro olfactu ſuffocationis paroxyſmum arceant. *Langius.*

Ut mulieres fiant ſteriles.

Si dentes pueri inprimis cùm cadunt, ſuſpendantur antequam veniant ad terram, & ponantur in lamina argenti, & ſuſpendantur ſuper mulieres, eas prohibent imprægnari & parere. *Albertus.*

Ad idem.

Si mulier accipit ſingulis menſibus de urina mulæ pondera duo, & biberit, ipſa non concipiet. *Cleopatra.*

Aliud ad idem.

Si ſemen acetoſæ ligetur in panno, & ſuſpendatur ſuper tympanum ſiniſtrum, non concipiet, donec permanet ſuper ipſum. *Albertus.*

Aliud ad idem.

Quando bibit mulier urinam arietum, vel ſanguinem leporis: vel, ſi ſtercus leporis ſuſpendatur ſuper mulierem, nunquam concipiet. *Albertus.*

Aliter ut ſteriles fiant mulieres.

Quòd ſi quis extraxerit calcaneum mulieris muſtelæ, ipſâ exiſtente vivâ, & ſuſpendatur ſuper mulierem, non concipiet, donec maneat ſuper eam: & quando removetur, imprægnatur. Vel, ſi accipiantur duo teſticuli muſtelæ & ſtringantur, & ligentur in crucem mulieris, & habeat eos ſecum, mulier non concipiet. *Albertus.*

Ut homo ſemper eunuchus ſit.

Ut homo ſemper eunuchus ſit, accipe ex vermiculo, qui in æſtate lucet, & da ei bibere. *Albertus.*

Adverſùs ſterilitatem mulierum.

Semen rumicis, ſeu ſylveſtris lapathi, ſiniſtro brachio alligatum, ſterilitatem in mulieribus emendat. *Africanus.*

Mulier ut concipiat.

Si mulier non poteſt concipere, accipe cornu cervinum pulverizatum, & miſceatur cum felle vaccino, teneat mulier ſuper ſe, coëat, & ſtatim concipiet. Vel detur mulieri neſcienti lac jumenti, eâ horâ coëat, & ſtatim concipiet. *Albertus.*

Conceptum juvantia.

Juvatur natura ſimilibus, lac equæ bibitum à menſibus, uterus leporis, hirci teſticuli adjuvant ad conceptum: Quædam certa ratione, phu, ſcobs ligni cupreſſi, cortex mori, & artemiſia. *Cardanus.*

Abortum prohibentia.

Exiſtimant fœtus contineri, ſi vermis qui in gramine invenitur vivus, & antequam terram tangat, collo ſuſpendatur: diximus aliàs de ætite lapide. *Cardanus.*

An mulier gravida ſit?

Si experiri voles an mulier ſit gravida, fac ut lotium reddat in vaſe æneo: & per noctem unam acum ferream, & perpolitam in illud demerge. Si prægnans erit, maculis rubris diſtinguetur: ſin minùs, nigreſcet, vel ferruginea, aut æruginoſa evadet. *Expertum fuiſſe intellexit Mizaldus.*

Filiorum, quos habitura eſt mulier, numerus ut cognoſcatur.

Caret autem ratione quod dicunt, nodos in umbilico oſtendere filios ex eadem matre naſcituros: aut enim ſimpliciter: atque hoc ſuperſtitioſius Aſtrologorum prædictionibus. Fieri enim poteſt, ut moriatur, aut caſta vivat, quæ plures ſit habitura filios: aut non ſimpliciter, ſed quia poteſt, hoc autem modo plures nodos habebunt, atque uni conjuncta viro plures alteri cautiores: quod eſſe non poteſt, ut ſimul diverſo numero comprehendatur, aut maximum numerum continebit, quomodocunque conjungatur. Cùm ergo rariſſimè contingat, hanc poteſtatem non fru-

fruſtrari: aut enim non commodè juncta erit, vel etiamſi commodiſſimè morbis aliisque occaſionibus impedietur: quomodo igitur ſciri hoc potuit, quod nunquam fermè accidit? Dicendum igitur erit, fœcundos uteros plerunque plures nodos parere in umbilico, ſteriles autem paucos, nec ad unguem diſtinctos, ut eventui perſæpè concordare videatur: atque hoc modo problematum veritas exquiritur. *Cardanus.*

Ad fœtus retentionem optimum.

Rec. Olei myrtini,
Maſtichini,
Terebinthinæ ſingul. drach. j.
Sandali rubri & citrini,
Hypocyſtidis,
Aciæ ſingul. drach. v.
Spodii,
Roſarum rubr. ana drach. iv.
Boli Armeni,
Terræ ſigillatæ,
Raſuræ eboris, ſingul. ſcrup. ij.
Maſticis,
Myrrhæ,
Vernicis,
Sanguinis draconis,
Styracis liquidæ,
Picis Græcæ,
Mumiæ, ſing. drach. j.
Picis navalis,
Picis Græcæ, ana quantum ſufficit.

Fiat ceratum, quod partim ſupra renes, partim ſupra matricem, vel ſupra regionem veſicæ ponatur. *Roſcellus.*

Ut mulier citò pariat, & ſine dolore, expertum.

Rec. Gallithrici quantum ſatis eſt, contundatur benè, & exprimatur ſuccus: de quo accipito poculum dimidium, & cum vino mulieri parturienti ad bibendum dato. Mox herbam expreſſam calidam ſupra umbilicum ligato. *Alexius.*

Ad partum accelerandum.

Spolium ſerpentis quando ſtringitur ſuper ancham mulieris, accelerat partum; ſed cùm parit, illicò removeatur. *Albertus.*

Ad partum.

Filia quæque ſeptima nata miro modo partum adjuvare traditur. *Corn. Agrippa.*

Ad partus facilitandos.

Si ex partu laborans mulier, ocimi radiculam cum penna hirundinis tenuerit, abſque dolore illicò pariet, quod ab amico probatum intellexit *Mizaldus.*

Aliud ad idem.

Paſtinacæ piſcis radius adalligatus umbilico, fertur faciles partus facere, ſi vivente ablatus ſit, ipsâque denuò in mare demiſſâ. *Corn. Agrippa.*

Et narrat *Democritus*, linguam chamæleontis, ſi viventi erepta ſit, ad judiciorum eventum pollere, eandemque ſalutarem eſſe parturientibus circa domum: cavendum autem, ne domo inferatur, quia eſſet pernicioſiſſimum.

Ad ſecundas movendas.

Calendulæ aquam omnibus oculorum morbis conducere tradunt: adhæc capitis dolores tollere, ſuffitumque ex ejus floribus pudendo muliebri per infundibulum, vel aliter exceptum, ſecundas morantes facilè evocare, & profugas reducere. Hoc ſecreto vetulam quandam obſtetricem mirâ arte emunxi, dum meâ egeret operâ, in enixu puerperii cujuſdam locupletis matronæ. *Mizaldus.*

Unguentum purgans.

Rec. Olei roſati,
Olei violacei,
Olei amygdalarum amararum,
Olei rutæ,
Olei ſambuci,
Olei cataputiæ, ſingul. unc. j.
Fellis vervecis,
Fellis taurini, ana unc. ſ.
Fellis porcini, unc. j.
Ceræ, quantum ſatis eſt.

Miſce,

Miſce, & fiat unguentum, quo inungatur ventriculus, & umbilicus, &c. *Roſcellus.*

DE MORBIS MANUUM.

Ad manuum tremorem.

Artemiſia in aqua roſarum macerata, tremulas manus emendat, ſi inde laventur. *Mizald.*

Ad extrahendas ſpinas è digitis.

Rec. Abrotanum quantum ſatis eſt, tere, & cum aceto miſce, & ſuperponito. *Ex lib. manuſcripto.*

DE MORBIS PEDUM.

Podagræ remedium, quo Rex Daciæ utebatur.

Rec. Turpeti,
Hermodactylorum, ana drach. ij.
Zingiberis,
Salis gemmæ,
Cinnamomi, ana drach. iis.
Diagrydii,
Aniſi,
Fœniculi, ana drach. j.
Sacchari candidi unc. ij.

Fiat pulvis, de quo ſumatur ad quantitatem drachmæ unius, & dimidiæ, uſque ad duas, ſi non ſufficeret prima quantitas, & in æſtate ſumitur cum aqua endiviæ: in hyeme verò cum brodio pulli, per horas quinque, vel ſex ante prandium dormiendo per unam horam pòſt, vel quieſcendo, & poteſt ſumi bis in menſe, vel ſaltem ſemel, & hoc penultimâ die Lunæ; præmittantur autem per tres dies omni mane unciæ ſex aquæ mellis ad modum ſyrupi; hoc enim diſponit vias pulveri: tempore verò intermedio, omni ſero cùm itur dormitum, ſumantur pilulæ duæ, vel tres de lua, quæ conficiuntur ex pulvere ipſius luæ, & terebinthina quantum ſatis eſt. Patiens verò pro poſſe ſobriè vivat, ut tanto remedio gaudere poſſit. *Ex lib. manuſcripto.*

Ad podagram.

Rec. Picis navalis lib. ij.
Colophoniæ,

Ceræ, ana lib. v.
Semin. Naſturtii,
Baccarum Lauri,
Sulphuris vivi,
Cimimi,
Croci,
Abſynthii,
Aniſi,
Pulegii,
Maſticis ſingul. unc. ij.
Cinnamomi drach. j.
Zingiberis drach. ij.
Caryophyllorum drach. v.

Fiat emplaſtrum ſecundùm artem. *Ex lib. manuſcr.*

Pilulæ ad podagram.

Rec. Aloës,
Myrrhæ electæ, ana drach. j.
Rhabarbari electi,
Agarici trochiſcati, ana drach. v.

Cum ſyrupo roſato laxativo fiat maſſa. Ex drach. j. fingantur pilulæ v. Capiat per duas horas ante cibum, ſingulis quindecim diebus. *Ex lib. manuſcripto.*

Ad dolores podagricos in principio.

Rec. Olei papaveris lib. ij.
Spicæ nardi unc. ij.

Miſce & macera per octo dies ad Solem, deinde exprime & ſerva. Tempore uſûs adde aliquantulum aquæ ex opio deſtillatæ. Idem facit oleum Hyoſcyami. *Henr. Wolffius.*

Pilulæ ad Podagram.

Rec. Succi Hellebori nigri,
Succi fumi terræ,
Succi Colocynthidis,
Succi Gentianæ,
Succi Petaſites,
Succi Rhabarbari,
Agarici,
Rhabarbari pulverizati,
Maſticis, ſingul. drach. j.

Miſce

Miſce omnia bene, & fiat maſſa, ex qua formentur pilulæ. Doſis drach. j. ex qua tres pilulæ parentur. *Henricus Wolffius.*

Podagræ remedium.

Rec. Olei cinnamomi,
Olei ceræ,
Olei ſalis, ſing. part. j. Miſce. *Andernacus.*

Ad podagram in principio fluxionis.

Rec. Farinæ hordei unc. iij.
Farinæ lentium unc. ij.
Terræ ſigillatæ,
Sanguinis draconis ana drach. ij.

Coquantur farinæ lento igne cum poſca, deinde miſceantur pulveres, cui adde olei roſati unc. ij. Ceræ novæ unc. j. fiat in modum cerati. Et ubi fluxio ſedata fuerit, adde pulveris florum Chamomillæ unc. ſem. Croci drach. j. Vitelli ovorum num. ij. *Ex lib. manuſcr.*

Ad podagram.

Experimentum Regii cujuſdam Chirurgi adverſus podagras & chiragras: Habe manipulum Artemiſiæ, defervefacito in oleo dulci olivarum, donec decreſcat ad tertias: eo dolentem locum inunge, ſenties brevi tempore dolorem ſedari. *Mizaldus.*

Aliud ad idem.

Milvi caput deplume uſtum, & quantum capi poteſt tribus digitis cum aqua ſumtum, podagricis auxiliatur. *Mizaldus.*

Ad podagram.

Si acceperis dextrum pedem teſtudinis, & ſuſpenderis eum ſuper dextrum pedem podagrici, confert ei. Similiter ſi ſiniſtrum ſiniſtro, & ſic manus ejus confert manui, & digitus digito. *Albertus.*

Ad dolores podagricos.

Nec mirum videri debet, quòd corium calcanei dextri

vulturis ſuper pedem dextrum, & ſiniſtri ſuper ſiniſtrum podagrici levare poſſit dolores. *Cardan.*

Ad Iſchiadis dolores.

Decoctum corticis populi albæ Iſchiadicos ſummè recreat. Quod etiam præſtat ſuccus frondium geniſtæ in aceto maceratarum. *Mizald.*

Ad articulorum affectus.

Oleum, in quo decoctæ fuerint ranæ uſque ad ſeparationem carnis ab oſſibus, plurimum valet ad omnes nervorum & articulorum affectus, perfrigeratque membra, ſi eo calente ungantur. *Mizaldus.*

Ad arthritidem.

Ex arthritide autem & articulorum morbis primum Joan. Antonium Scazoſum, Joan. Baptiſtam Mareſchalcum è Senatus libellis, & filiam Joan. Angeli Linati, tum alios innumeros liberavi. Sed juvat horum trium inſigniorum curam narrare. Laborabat ergo Jo. Antonius Scazoſus biennio arthritide, nil proficientibus Medicis, quem ego exhibitione decocti ex ligno Guajaco cum betonica, & catapotiis ex hermodactylis, curavi. At Joan. Bapt. Mareſchalcus iiij. jam menſibus (eratque menſis ille, quo curare aggreſſus ſum illum, Decembris) conflictabatur: præterea duabus febribus: unâ intermittente, alterâ continuâ; & quod omnium deterrimum fuit, cibum omnem averſabatur, & fermè immobilis cùm eſſet, meritò à Medico ſuo vel pro inſanabili habebatur: vel expectandum ver ad curam contendebat, ob idque diffidebamus. Ego enim non exiſtimavi hoc faciendum, quandoquidem affectæ particulæ indies fiebant imbecilliores, neque enim in humano corpore quicquam quieſcit: ſed ſi non in melius proficiant, neceſſe eſt, ut in deterius prolabantur. Itaque colocynthidem in melle coxi puro; mel autem odoratis miſtum, velut offam devorandum dedi: decoctumque interim ligni ex aqua propinans, ante finem hyemis perfectè ſanavi, ut nunquam poſtea in eum morbum reciderit, & adhuc vivit. Filia autem Angeli Linati jam biennio experta non ſolùm omnes Medicos, ſed etiam circulatores, ſumſerat vinum, aquam, unctiones, & ſuffumigia ex cinnabari factitiâ, nec ſanari poterat. Dolebant ei crura, ac tremore vexabatur ita, ut totas

noctes

noctes vigil perſæpe duceret, abſque ſpe, ut par erat tot fruſtra tentatis potentiſſimis auxiliis. Itaque exhibito vino cum optimo cortice, curandam interim particulam ipſam ſuſcepi, excogitatoque præſidio, quod & cauſæ morbi, & morbo adverſaretur, ipſum confirmaret membrum, lachrymæ ligni magnam quantitatem excipi juſſi: quâ cum thure, ligno aloës, ſemine balſaminæ, ſtyrace odorata, cortice citri miſtis, & ſæpe cruribus eo ſuffumigio calefactis (aderat & lapis gagates copioſus) ſanata eſt perfectè, convaluitque: liberavi etiam Pet. Ant. Beſutium, juxta ædem ſacram Breram, non procul à Porta Beatrice laborantem arthritide, eiſdem penè auxiliis, quibus etiam Scazoſum, cùm hic à Medico ſuo, omnibus in deterius labentibus, deſtitutus eſſet.

Ne pedes aut manus à frigore lædantur.

Si quis nolit pedes, vel manus à frigore offendi, pinguedine vulpis inungat. *Mizaldus.*

Torpori ſanando.

Cùm membra compreſſa detinentur, ſpirituum tranſitus prohibetur, unde torpent adeò, ut non tutò homo illis ſe committat, ſentiturque ſtupor: at verò præter id vellicationem quandam, velut formicarum: ea fit, quoniam partes inæqualiter afficiuntur; ſtupidæ enim ſanis cohærent: quamobrem hic affectus & ob impotentiam, & ob doloris ſpeciem quandam, gravis perſæpè homini eſt. Nihil autem præſentius, quàm membrum totum vehementer extendere, ac fricare, vel alterius lateris manu, pollice apprehenſo, pedem patientis cruris elevare. *Cardanus.*

DE MORBIS PARTICULARIBUS externis.

Ad capitis vulnera.

Rec. Aquæ vitæ lib. ij. ſem.
Maſticis triti,
Myrrhæ pulverizatæ,
Aloës tritæ, ſing. unc. j.

Bulliant bullitione unâ ad ignem, deinde coletur aqua, cùm vulnera fuerint lota, ſequens pulvis inſpergatur. Accipe Olibani, Myrrhæ, Aloës ana unc. j. Miſce & fiat pulvis ſubtiliſſimus. *Roſcellus.*

Aliud ad idem.

Rec. Olibani,
Myrrhæ,
Aloës,
Reſinæ ſingul. unc. j.
Fiat pulvis, quo vulnera priùs aquâ vitæ lota, aſpergantur.

Ad vulnera, ſpaſmum, & dolores, oleum.

Rec. Terebinthinæ claræ lib. j.
Olei communis unc. j.
Olibani,
Myrrhæ,
Sarcocollæ,
Maſticis,
Croci ſingulorum unc. j.
Panis porcini,
Caudæ equinæ,
Rubiæ tinctorum ſingulorum unc. j.
Vermium terreſtrium unc. iij.
Ponantur omnia in retorta, & deſtillentur ſecundùm artem. *Fallopius.*

Ad omnis generis vulnera, oleum mirabile.

Rec. Terebinthinæ lib. j.
Olibani
Maſticis
Myrrhæ
Sarcocollæ ſingulorum unc. j.
Aquæ vitæ unc. viij.
Miſce, & deſtilla in retorta, poſtea oleum ab aqua ſepara, & ſerva. *Fallopius.*

Aliud, præſertim ad nervorum vulnera.

Rec. Terebinthinæ claræ lib. j. ſem.
Ceræ flavæ lib. j.
Nucis moſchatæ
Caryophyllorum ſingulorum unc. j.
Cineris lignorum combuſtorum unc. vj.
Laterum tritorum q. ſ.
Miſce, & in retorta deſtillentur. *Fallopius.*

Aliud

Aliud ejuſdem, ad idem.

Rec. Olei abietini lib. j.
Albuminum ovorum coctorum lib. j.
Reſinæ unc. vj.
Gummi hederæ unc. ij.
Miſce, & deſtilla in retorta ſecundùm artem.

Balſamum ad vulnera, Ejuſdem.

Rec. Terebinthinæ claræ lib. j. ſem.
Olei laurini
Galbani
Gummi Arabici
Gummi hederæ, ſingulorum unc. j.
Olibani
Ligni aloës
Galangæ
Caryophyllorum
Nucis moſchatæ
Conſolidæ minoris
Cinnamomi
Zedoariæ
Zingiberis
Dictamni albi ſing. drach. vj.
Styracis liquidæ ſingul. unc. ij.
Moſchi
Ambræ ſingul. drach. j.
Pulverizanda pulverizentur, miſceantur: quibus adde aquæ vitæ lib. viij. pone in vaſe vitreo optimè obturato per dies octo; deinde deſtillentur primò igne lento, quouſque oleum manare incipiat, tum augeatur, donec totum deſtillaverit; deinde oleum ab aqua ſepara, & ſerva.

Oleum ad vulnera.

Rec. Terebinthinæ lib. ij.
Olei lini lib. j.
Reſinæ pini unc. vj.
Olibani
Maſticis
Myrrhæ
Sarcocollæ

Macis,

Macis, Croci
Ligni aloës ſing. unc. ij.

Ponantur in retorta, & deſtillentur primò igne lento, poſtea fortiori. *Fallopius.*

Oleum ad vulnera 24. horis curanda: & ad rupturam, &c.

Rec. Olei communis lib. vj.
Olei abietini lib. j.
Myrrhæ electæ unc. vj.
Aloës lotæ
Olibani ſingulorum unc. vj.
Mumiæ unc. ij.
Glutinis communis unc. vj.
Granorum tinctorum unc. iiij.
Picis navalis unc. vj.
Gummi arboris ſycomori unc. ij.
Amurcæ olei lib. ij.
Rad. Altheæ unc. vij.

Omnia in cucurbitam vitream robuſtam ponantur, & per horas xij. in balneo Mariæ coquantur: poſtea coletur, colaturæ addatur

Serpentariæ
Balauſtiorum
Conſolidæ majoris cum floribus, herba & radicibus,
Betonicæ,
Nicotianæ ſing. M. iiij.
Balſaminæ, cum herba & fruct.
Foliorum Cypreſſi ana M. iij.
Veſicarum ulmi n. xl.
Millefolii,
Braſſicæ marinæ ſingul. M. iiij.
Dactylorum maturorum n. xxv.
Hypericonis,
Perforatæ,
Centaurii minoris,
Burſæ paſtoris ſing. M. iij.

Coquantur iterum in balneo Mariæ per horas 18. deinde ponantur ad Solem per æſtatem integram, in vaſe optimè obturato. Quo facto, omnia eximantur, colentur, exprimendo fortiter, oleo denique addantur croci triti unc. iij. coquanturque ſimul per horas tres, & oleum ſervetur

tur ad uſum. Hoc oleo ad rupturam ſi uti voles, priùs pili abradendi, deinde per 15. dies ruptura bis quotidie inungenda: mox veſicâ porcinâ, & faſciis firmiter & ritè liganda. Curandum verò, ut in lecto æger per dies xv. quieſcat. *Roſcellus.*

Ad vulnera.

Ad vulnera quævis præſtantiſſimum eſt, ac paratu facile, ſequens remedium. Sumuntur picis Græcæ, ſulphuris & olibani albi ſingulorum partes æquales, teruntur, ovorum albuminibus excipiuntur & vulnerum labris ritè obductis, abſterſoque ſanguine, ſuper linteolo impoſita eidem vulneri applicantur, faſciâ deligantur, & dies aliquot ibidem manere permittuntur. Res mira & probata. *Mizald.*

Ad ulcera maligna.

Mirabilis & citò probabilis aqua, nullo auro comparanda, ad hunc fit modum. Aqua pura & limpida in vas, nullo anteà liquore imbutum, mittitur. Ubi efferveſcit ilicò in vivam & recentem calcem, alteri vaſi novo impoſitam effunditur: ac ibi tamdiu quieſcere permittitur, donec detracta ſpuma, clara & pellucida appareat ſubſidente ad imum vaſis calce, pultis modo diluta. Tum demum aqua ſupernatans excipitur per vaſis inclinationem, ſed calce immotâ, & phialâ mundâ, aut alio vaſculo diligenter obturato, ad uſum ſervatur. Vix credi poſſit, quantum habeat energiæ & miraculi in ulceribus quibuſvis, & maximè à lue Venerea obortis. Nam fotu ex linteolo in ea tepente madefacto, & vice emplaſtri poſt hæc ulceri impoſito, ac ſubinde renovato, ſaniem deterget, dolores ſedat, ulcus carne replet, ac inflammationes pauco tempore extinguit: non abſque ingenti miraculo, cùm ſui caloris vehementiâ alioquin incendat calx viva. Fruere hoc excellentiſſimo ſecreto, quod multâ prece, precioque multo, multis recuſavi. *Mizaldus.*

Precioſum oleum Balſaminum, quod inſtillari poteſt vulneribus, quæ non capiti, ſed alioqui corporis partibus ſunt inflicta.

Accipe Olei roſati uncias novem.
Rhabarbari minutim contuſi uncias ſex.

Hæc

Hæc firmiter contecta in ampulla ſive lágena ſtannea per tres dies ſtare facito. Deinde lagenam unà cum prædictis in balneum Mariæ immittito, & ad horæ medietatem probè bullire ſinito. Poſtea in lagenam injice Maſticis ſubtiliter contuſi drachmas ſex. Item thuris, bdellii, opopanacis, camphoræ, ana ſive partes æquales, verb. gr. unc. dimid. poſtea illud oleum per mundum panniculum laneum excolato, ita ut omnis virtus prædictarum ſpecierum inde exprimatur, habebisque in uſum paratum oleum præſtantiſſimum. *Rantzovius.*

Inſigne cataplaſma vulnerarium, contra quemvis ictum, quo uſus eſt Chriſtianus II. Rex Daniæ.

Rec. Ceræ uncias tres cum ſemiſſe.
Colophoniæ ſeu picis Græcæ
Aſchenſchmaltz
Mumiæ, ana ſeſquiunciam.
Myrrhæ unciam unam.
Minii unciam dimidiam.
Corallorum alborum drachmas tres.
Magnetis unciam unam.

Ceram unà cum colophonia primùm diſſolvi facito, deinde mumiam adjice, poſtea das Aſchenſchmaltz. Hæc ad lentum ignem collocato, & probè verſato. Deinde reliquis quoque prædictis ſpeciebus immiſſis, ad lentum ignem pauliſper ſtare ſinito, probè frequenterque moveto, ſæpè etiam periculum facito, num ſatis ſit decoctum, & in fundo ſubſidere incipiat. Stilla ex alto guttulas aliquas ex calida ſpatula in frigidam. Quòd ſi illud infrigidari, & ſpatulæ adhæreſcere ſenſeris, ab igne removeto, tamdiuque verſato, donec ſuâ ſponte ſit frigefactum, & in ſolidam coëat maſſam, ne ſequentia tria gummi in eo adurantur. Adde inſuper Thuris & Maſticis ana unc. unam, Camphoræ ſeſquiunciam, & in olla tamdiu moveto, ut infrigidatum duritiem contrahat, & manibus tractari, prædictoque adipe ſubigi poſſit. Et hoc modo cataplaſma ritè paratum habes. Quòd ſi igitur vulnus inflictum eſt recens, panno lineo craſſiori illito, & parti affectæ applicato. Quibuslibet etiam vulneribus, ſive cæſim gladio ſecante, ſive punctim

mucro-

mucrone ſint inflicta, hoc cataplaſma rectè adhiberi poteſt. *Idem.*

Potio vulneraria ejuſdem.

Rec. Limonii ſylveſtris, id eſt, Wintergrün, & Betonicæ ana drachmam unam, ſaniculæ & pedis leonis, id eſt, Sinnaw ana drachmam dimidiam, cum duabus menſuris vini in nova olla vitreata firmiter occluſa, quæ farina ſubacta probè obturetur. In medio autem operculi foramen relinquatur, per quod vapor egrediatur. Coctura hujus potionis ad ſpacium duarum horarum continuetur. Ex hac potione homini ſauciato ſingulis diebus manè & veſperi ad quantitatem unius cochlearis exhibe bibendum, & loco affecto braſſicæ folia, vel præcedens cataplaſma impone.

Alia vulneraria potio, quâ vulnera mirum in modum curantur.

Accipe duas menſuras cereviſiæ vetuſtiſſimæ, injice manipulum clematis ſive pervincæ, cauliculum artemiſiæ rubeæ, paulum herbæ, quæ dicitur Rodicheil, vel in defectum hujus ſume meram pervincam, decoque ad medietatem in vaſe fictili, operculo probè tecto. Deinde excola in ollam lapideam ſive lagenam, ſic ut orificium ejus probè obſtrui poſſit, ne aër ingrediatur, poſtea uſui ſerva. Ex hac potione dabis homini vulnerato ſive læſo mane jejuno ventriculo, in meridie poſt ſumtum cibum, veſperi cùm diſceſſurus eſt cubitum, ſingulis vicibus ad quantitatem trium cochlearium, jubebisque ut læſus poſtea duabus aut tribus horis abſtineat à cibis, & quoties inde biberit, paululum inſtillet in vaſculum, & hoc vulnus abluat. Folium etiam braſſicæ rubrum, aut maximè fuſcum liquore hujus potionis imbutum, vulneri imponat, ita tamen ut aſperius folii latus, verſùs vulnus ſit coaptatum, quod linteo firmiter involvatur. Quòd ſi vulnus poterit conſtringi acu, fiat id quoque, ne magna cicatrix inde remaneat, alioqui nihilominus tamen vulnera conſolidat hæc potio. *Idem.*

Vulnus ut ſine dolore infligatur.

Magneti non abſimilis videtur alius magnes candidus, cujus ego experimentum tale vidi. Attulerat *Laurentius Guaſcus*

Guaſcus Cheraſcius, provinciæ Taurinenſis Medicus empiricus, his diebus hunc lapidem, pollicebaturque poſſe, ſi vel ſtylum aut acum tangeret, carnem totam abſque ullo dolore penetrare: quod cùm nobis, ut par eſt, ridiculum videretur, rem experimento in meis contubernalibus confirmavit. Ego tandem, ut tam incredibilis rei periculum facerem, acum ipſam priùs lapidi affricatam, cuti adjutorii brachii intuli, ſenſique primò leviſſimam punctionis imaginem: pòſt, cùm totum muſculum quaſi directa penetraret, acum quidem in profundum, quâ penetrabat, penetrare ſentiebam, dolorem nullum penitus ſenſi: tumque familiaribus, quod in me fueram expertus, credidi. *Cardanus.*

Cataplaſma præſtantiſſimum, quod cùm in Comitatu Tyrolenſi apud Carolum V. Oenoponti commoraretur, Joannis Friderici quondam Saxoniæ Electoris Chirurgus, Illuſtriſſimum Holſatiæ Ducem Adolphum docuit, & contra quemvis ictum, & ad vulnera à tormentorum globulis illata, mirabilem curandi vim habet.

Recipe Galbanum,
Ammoniacum,
Opopanacum,
Bdellium,
Ceram,
Olei communis ſing. lib. ij.
Argyritis ſeu argenti ſpumæ præparatæ,
Silberglett lib. unam.
Olei laurini unciam dimidiam.
Myrrhæ,
Thuris,
Maſtichis,
Ariſtolochiæ,
Terræ cadmiæ, ſive lapidis calaminaris præparati,
Tutiæ ana unciam unam.
Camphoræ unciam dimid.
Terebinthinæ drach. unam.

Redige ad pulverem, quem fac igne excandeſcere, & quicquid diſſolvendum eſt, diſſolve, & in morem cataplaſmatis forma, modo ſequenti. Quatuor gummi macera nocturno

cturno tempore in aceto acerrimo ex vino confecto, in vaſe ex orichalco fabrefacto, aut olla incruſtata, ita ut acetum gummi quantitatem excedat, poſtea decoque gummi tantiſper, donec ſordes, excrementa aut ligna iis ſeparentur. Deinde exprime ſive excola per linteum in cacabum aut lebetem, & gummi iterum coque uſque ad conſumtionem aceti, & donec gummi à lebete ſegregentur.

Fac colliqueſcere oleum & ceram in pelvi ex orichalco, immitte argyritim ſive ſpumam argenti, & verſa rudiculâ, ut argyritis in fundum ſubſidat, & cùm colorem fuſcum induere cœperit, fac periculum lato cultro aut ſpatulâ. Quòd ſi non adhæſerit cultro tenaciter, ſed inde reſolvitur, perfectæ decoctionis eſt ſignum. Ab igne igitur remove ſtatim & paululum infrigidari ſinito, non tamen nimis citò. Poſtea de quatuor gummi maceratis in aceto ſingulis vicibus ad quantitatem fabæ, vel nucis avellanæ, immitte in decoctum cataplaſma pedetentim, donec gummi propius ingreſſa fuerint. Nam ſi ſimul injicerentur, cataplaſma nimis ebulliendo aſcenderet: fortaſſis etiam omnino effunderetur. Verùm ad majorem cautelam pelvim cum aqua in promtu habeto, ut ſi nimis forſitan bulliat, ſupra aquam teneri, & infrigidari poſſit: illudque rurſum emplaſtro adjice, quod in aquam effuſum eſt. Et poſtquam gummi planè in emplaſtrum ingreſſa fuerunt, coctúram ejus de integro repete, parumperque decoque. Deinde adjice Myrrham, Maſticem, Thus, Terram cadmiam, Ariſtolochiam. Redige iterum in pulverem tenuiſſimum paulatim ſupra ignem, non nimis calidè tamen, ne pulveres ardore conflagrent vel conſumantur. Extremò injice Terebinthinam & oleum laurinum, & cùm planè ab igne remotum, & infrigidatum fuerit, adjice camphoram. Deinde effunde in aquam calidam, donec aptum efficiatur, ut manibus tractari, & ſubigi poſſit. Poſtea macera oleo artemiſiæ, ut nitidum & purum reddatur. Immitte in pellem hinnuli benè præparatam. Tunc ad 40. aut 50. annos uſui conſervari poteſt. Conducit hoc cataplaſma adverſùs omnia vulnera ſclopetaria, contra ictus, & vulnerum inflammationem. *Henricus Rantzovius.*

Ratio conficiendi pulveris utilis contra diſſectionem nervi alcujus, qui à Chirurgo eſt conglutinandus.

Rec. Oculos cancri, ſubtiliſſimum pulverem comminutos in parvo linteolo. Hunc pulverem nervis inſperge, & ſiccis faſciis ex linteolo confectis, locum obliga, ne humiditas aliqua ad nervos penetrare poſſit. Hanc ligaturam per ſpatium 24. horarum intactam relinquito. Elapſo prædicto temporis ſpatio Chirurgus nervum inſpiciat, ipſiusque conglutinationem exploret, & deinceps vulnus illud calidis vinculis deliget, inſtar alterius vulneris recentis, & poſt diem unum aut alterum ligaturam diſſolvat. *Idem.*

Ratio certa, quâ fluxus ſanguinis ex quovis vulnere erumpentis, cohiberi poteſt.

Ineunte Vere, cùm ranæ ſemina prima ſive ova projiciunt, tunc accipe craſſioris linei panni ulnas tres, vel quatuor, plus minúsve, quantum ſatis eſt. Hunc pannum cum hujuſmodi ovis ranarum probè abluito, Solique ſiccandum exponito. Deinde ſecundò tertioque lotum, ſimilique modo in Sole ſiccatum, uſui diligenter ſervato. Cùm autem hoc uti volueris, partem vulnere duplo majorem, inde præciſam inſtar cataplaſmatis vulneri imponito, ſanguinis effuſio ſtatim ſupprimetur, quod certo experimento in plurimis eſt comprobatum. *Idem.*

Eſcharoticum ſine dolore.

Fit eſcharoticum abſque dolore facilè, quod cutem pertundit in horis 24. Si ſana eſt cutis ipſum ſolo corio circumdatum imponitur: ſin autem ſanies, ut in ſuppurationibus ſubeſt, locus aceto acerrimo lavatur. Conſtat medicamentum è tenero ſapone & calce viva tenuiſſimè mixtis, adeò ut in unguenti formam tranſeat. *Cardanus.*

Ulceris maligni prodigioſa curatio.

Gallorum Regis frater, natu minor, laborabat ulcere peſſimo, prodigioſæque turpitudinis: curatus eſt afflatu perpetuo pueri annum agentis duodecimum. Nec abſque ratione: ſpiritus enim à corde impubis, ætate firmâ tamen, ſincerus eſt, ac corruptos humores emendare poteſt. *Cardanus.*

Ad

Ad ulcera.

Novi, qui antelucano medii Veris tempore, menſe nimirum Majo, ſtratis ſuper gramina linteaminibus, rorem exciperent, expreſſum decoquerent, deſpumarent, & tum demum panniculos in ejus decocto madefactos, ſucceſſu admodum felici, ulceribus phagædenicis applicarent: & ſic aſperſa, ſiccataque roris acrimonia ad unguem conſolidarent, una incocto aluminis, & olibani momento. *Mizaldus.*

Eſcharoticum cutim celerrimè perforans.

Sæpe nobis contingit, ut cutim ſeu carnem erodere ac perforare celerrimè velimus, non ſatis fidentes ſectioni: alias molliſſimum medicamentum deſcripſimus, nunc efficaciſſimum: ex aqua enim ſaponis, aut lixivio tinctorum, quod ex cineribus fit, conficitur hoc modo, lib. xij. lixivii acerrimi ſuper calcem vivam & roboris cinerem ſuperfunduntur, permittunturque deſtillare, inde ſuper aliam calcem, & cinerem, denuò infunditur, repetiturque donec ovum ſuſtineat aqua. Inde adduntur chalcanti unc. ſingulæ in ſing. libras, aut dimidium, & in æneo lebete ſenſim ſpiſſatur, donec extractum cogatur in paſtillos: cochleari enim ſenſim extrahitur, hoc in octava parte horæ, ſi rectè præparatum fuerit, perforat. *Cardanus.*

Ut ſcias an membrum aliquod ſit ſideratum.

Si quis experiri volet, num membrum aliquod amputandum, verè ſideratum fuerit, & ſphaceliſmo tactum, partem eam porrorum, quæ vireſcit, contundat, & unâ nocte membro ſuperponat. Id ſi poſtridie livorem aut nigrorem nonnihil exuerit, ſignificabit vitale adhuc eſſe, ſin minus mortuum & juſtè amputandum, ne pars ſincera trahatur. Experimentis multis confirmatum fuiſſe mihi fidem fecit Hiſpanus quidam, arcanorum naturæ explorator indefeſſus, quod poſteris impertitum volui. *Mizaldus.*

Ad extrahenda è vulneribus ſpicula.

Sagittæ ſpiculum, vel ferrum quodvis ex vulnere detrahes, ſi ſpecillum vulnerarium ſucco valerianæ imbutum, ipſi vulneri indideris, & contuſam herbam ſuperligaveris. Sic enim non ſolùm revelletur ferrum, ſed etiam unà vulnus ſanabitur: niſi inſigniter mentiatur Italus, qui hujuſce rei periculum ſe feciſſe, mihi affirmavit. Idem præſtant folia

hormini ſativi, quæ noſtra eſt orvalla, trita, aculeos ac ſpinas corporibus detrahunt. *Mizald.*

Ad membra reſoluta.

Recipe Pinguedinis vervecis optimæ pocula duo, coquantur ad medietatis conſumtionem; deinde addatur olei roſacei poculum unum, & iterum ad conſumtionem medietatis coquantur, quo partes reſolutæ inungantur. *Roſcellus.*

Aliud ad idem.

Rec. Roſmarini
Majoranæ
Menthæ
Sabinæ
Menthaſtri
Salviæ ſing. quantum ſufficit.

Contundantur optimè, & cum medulla pedum bovis fiat unguentum. *Roſcellus.*

Ad Reſolutionem nervorum.

Rec. Sanguinis humani qu. ſ. deſtilletur ſepties ſecundùm artem, quouſque aqua omnis exierit, quâ nervi reſoluti inungantur. *Fallop.*

Ad Rupturam.

Rec. Foliorum & florum anthos.
Foliorum myrtillorum ſing. unc. ſem.
Reſinæ
Emplaſtri de betonica ſing. unc. ij.
Terebinthinæ claræ q. ſ.

Fiat emplaſtrum. *Ex lib. manuſcr.*

Ad Pediculos pudendorum.

Rec. Axungiæ porcinæ
Argenti vivi
Salviæ
} ana quantum ſufficit.

Miſce omnia ſimul benè, fiatque unguentum, quo partes pediculis obſeſſæ inungantur. *Fallopius.*

Ad pediculos pudendorum.

Accipe ſaponis veneti qu. ſ. cui adde argentum vivum mortificatum. Miſce & agita probè, ut ad unguenti formam

mam uniantur, quo inunge poſtea partes pediculoſas, & quamprimum morientur. *Caſparus Schuencfeldius.*

Aliud ad Pediculos capitis.

Amaranthi flores in lixivio decocti, ſi cum illo caput abluatur, pediculos enecat, nec non furfures capitis & porriginem expellit. *Hieron. Tragus.*

Ut pars aliqua ſine dolore plurimum intumeſcat.

Si quis aquâ deſtillationis, vel decoctionis crabronum, aut veſparum cutem alicujus attigerit, ſic intumeſcet locus, ut hydropis, aut veneni, magnæve alicujus ægritudinis, ſuſpicionem ingerat, ſed abſque dolore. Remedio eſt Theriaca pota, vel loco illita. Hac fraude meretriculæ quædam geſtationem uteri, etiam apud circumſpectos, & cautos artificiosè mentiri ſolent: & ſuam miſeriam credulæ plebi falsò atteſtari, qui ſtipem vicatim emendicant. Eſt id togati Pariſienſis Archimedici, & blitteorum, canariorum, oſtiariorum, templariorumque ludimagiſtri incomparabilis & locupletiſſimi artificium, è multis unum, à quodam ejus contemporaneo, & familiari mihi indicatum. *Mizaldus.*

Ad Morſum canis rabidi.

Folia Braſſicæ, uti etiam ſemen, cum Sylphio & aceto trita, ac impoſita, morſum canis tum rabidi, tum non rabientis perfectè ſanant. His addere abſurdum non erit, quod oraculo quodam oſtenſum eſt, radicem cynorrhodi, vulgus aſglænterium odoratum nuncupat, unicum & ſingulare eſſe remedium adverſùs morſum canis rabidi, niſi Plin. & Galenum abjurare velis. *Idem.*

Ad Morſum canis rabidi, ſcorpionumq; ictus.

Homini à ſcorpionibus icto remedium eſt cinis eorundem ex vino potus. Et rabidi canis morſum curari teſtantur multis pilis ejuſdem animantis exuſtis, & ex vino propinatis. *Plin. & Lemnius.*

Ad Morſum canis rabidi aliud.

Ad canis rabidi morſum, cancri in patella deuruntur, ut pulverari poſſint. Exhibeatur cochlearis menſura cum pulvere radicis gentianæ ac thuris momento. Debet autem antidotus iſta frequenter iterari, & per ſeſquimenſem

continuum aſſumi, quo rabies & aquæ pavor propulſetur. Probatum audivi. *Mizaldus.*

Aliud ad canum rabiem.

Herba, quæ Alyſſum vocatur, valet certo experimento adversùs canum rabiem, & ob id (Galeno & Aëtio teſte) à λυσση, id eſt, rabie, alyſſum nominatur. *Mizaldus.*

Ad morſum canis rabidi.

Cancri fluviatiles morſis à rabido cane mirificè proſunt. Sed ii poſt canis ſideris exortum, Luna xiv. cùm Sol Leonem eſt ingreſſus, vivi in patella ſunt adurendi, & in pulverem tenuiſſimum atterendi. Cujus cochleare unum ex aquæ cyatho propinatur, dum adhuc recens eſt morſus, augendaque quantitas, ſi inveteraverit. Eo remedio vim adeò efficacem ineſſe ſcribit *Galenus*, ut nullos periiſſe dicat, quibus in tempore exhibitum fuit.

Ad viperæ morſum.

Miraculo eſt trifolium, herba hyacyntho ſimilis, quando flores vere emittit, & ſemen habet κνίῳ ἀεγίᾳ ſimile. Hæc enim decocta multùm, & morſibus phalangis, aut viperæ ex aquæ fotu admota, benè medetur, & dolores ſtatim ſedat. Eodem verò fotu in alio non morſo, parti ſanæ ſenſum ſimilem, & dolores ſimiles his, quos morſus invehit, omnes excitat: morſus itaque ſanat, & ferarum more partem affligit. *Jacobus Sylvius Medic.*

Ad ſcorpionum ictus.

Semen agreſtis croci manu tritum, vel collo ſuſpenſum, plurimùm pollet adverſùs ictum ſcorpionum. In quam rem etiam prodeſſe ajunt radicem lauri & ireos. *Mizaldus.*

Ad ſcorpionum ictus, aliud.

Adeò venena plerunque venenatis ſunt venena, ut aconitum ex vino tepidum datum, percuſſis à vipera, aut ſcorpione, ſalutiferum eſſe expertum ſit à nonnullis Medicis præſtantiſſimis. *Idem.*

Aliud ad eundem.

Illud de multis videtur memorabile, quòd qui raphanum præguſtaverit, ſi à ſcorpione feriatur, citra vitæ aleam evadit, & ſi ſcorpionibus inſpergitur raphanus, illos ad mortem adigit. *Idem.*

Ad

Ad bubones.

Sunt qui affirmant, aquam ex humano ſtercore deſtillatam ardere: pinguior enim eſt, & ſatis tenuis, minus tamen quàm ex vino: conſtat ſanè adverſari eam bubonibus, maximè gulæ. *Cardanus.*

Ad transferendos bubones peſtiferos.

Oſtrea viva peſtiferos bubones loco transferunt, & virus omne ad ſe trahunt: ſunt autem adglutinanda brachio, quà axillaris decurrit, ſiquidem bubo in alis eſt; ſi verò inguen obſidetur, lineamentis femoris, quæ vena cruris deſcribit. *Hollerius.*

Ad bubones peſtiferos.

Hyoſcyamus peſtiferis bubonibus admotus, illos fertur diſperdere, vel, ut quibuſdam placet, diſpergere. Et ſi quis ante illorum emerſum plantam eam ſecum habuerit, nuſquam à bubonibus corripietur. *Mizaldus.*

Ad carbunculos.

Pulvis coriandri cum melle mixtus, & ſuper carbunculum poſitus, illum deſtruit. *Arnoldus Villanovan.*

Ad anthraces peſtiferos.

Galbanum emollitum, & ex lineo panno anthraci peſtifero coextenſum, & appoſitum, ſi curabilis eſt, adeò illi adhærebit, ut revelli non poſſit, niſi radicitùs eum extirpet: ſi verò incurabilis erit, ne tantillum quidem adhæreſcet. *Idem.*

Ad ictus venenatos.

Si quis ictus, vel demorſus ab animali jobolo & venenoſo, inſtillet ilicò tres vel quatuor guttas lactis ficulnei ſupra vulnus, mirum inveniet præſidium. Poterit etiam imponere grana ſinapi, cum aceto detrita. *Mizald.*

Ad ſtrumas.

Si pedes magnæ rubetæ, ſeu bufonis viventis abſcindentur, quando Luna vacua ad Solis conjunctionem properat, & collo patientis ſtrumoſo circumdentur, adeò proſunt, ut ſæpè à morbo liberent. *Cardanus.*

Ad Scrophulas.

Mirum de ſeptenario experimentum, quòd maſculus omnis ſeptimus abſque fœmella intermedia natus, vim habet curandi ſcrophulas, ſolo tactu, vel verbo. *Cornel. Agrip.*

Ad Arthriticorum tophos extirpandos.

Si caſeus putris & vermiculoſus ſubigatur ex jure, in quo ſuilla perna diutiùs coxerit, detrahet arthriticis abſque ferro tophorum particulas, emplaſtri modo illi appoſitus, ut tradit *Galenus.* Quod etiam præſtat, (quaſi miraculo,) coccus gnidius, cum myrrha & aceto tritus.

Ad quævis Apoſtemata.

Veterem anſerem maſculum triduanâ inediâ macera: deinde illi objice fruſta anguillæ, recenter occiſæ, & excrementum ejus collige: habebis præſens remedium ad quævis apoſtemata. *Ex quodam peritiſſimo Chirurgo.*

Ad Verrucas.

Verrucæ foliis ficulneis contactæ aboleri, ac evaneſcere traduntur, ſi folia ipſa poſtea ſepeliantur. Sunt qui cordi columbi idem tribuunt. *Mizaldus.*

Ad Verrucas.

Si porros aut verrucas abolere volueris, abſcinde caput anguillæ viventis, & eas, manante illinc cruore, defrica, & inunge: deinde caput ipſius anguillæ profundè ſepeli. Ubi marcidum erit, omnes protinus decident. *Joan. Bapt. Porta.*

Contra Verrucas experimentum bonum.

Pone pedes gallinæ ſub prunis calidis, donec excorientur, & cum corio ſeparato ab oſſibus, frica verrucas ter aut quater calidè, & delebuntur. *Alexius.*

Contra Clavos.

Hermodactylus ac ſemina in pulverem redacta, atque oxymeliti ſcyllitico, vel ſucco calendulæ commixta, clavos callosque abolent etiam in partibus pudendis, quum à fœdo concubitu contracti ſunt. *Idem.*

Ad

Ad Verrucas.

Nulla in parte Medicina ſuperſtitioſior, quàm in abolendis verrucis. *Serapio* refert, contactas ſingulas ſingulis ciceribus in menſium Calendis, ciceribusque poſt terga rejectis, deleri.

Ad Verrucas.

Rec. Cepam rubram, contunde optimè, & miſceatur cum ſale: quo verrucæ inungantur. *Roſcellus.*

Aqua ad Callos & Verrucas.

Rec. Salnitri,
Vitrioli,
Viridis æris, ana unc. ij.
Aluminis Zuccharini unc. j.
Calcis vivæ unc. ſem.

Deſtilla in retorta. Prima aqua inutilis, ſecunda verò efficax ad clavos & verrucas. *Fallopius.*

Ad Clavos in pedibus, probatum.

Allium contuſum ſuperligetur, quotidie renovando. Pedes autem clavoſos alternis diebus lixivio lavare oportet, quibus ſiccatis allium ſuperligandum, donec cadant. Foramen denique unguento aliquo abſtergente & conſolidante curandum.

Adverſùs Cicatrices.

Cicatrices conſtat proprio ſemine abſcondi, & quaſi deliteſcere. *Cardanus.*

DE FORMA CORPORIS.

CAP. V.



DE FORMA, SEU PULCHRITUDINE TOTIUS CORPORIS.

CAP. VI.

Homines ut pinguescant.

SI cum lacertæ sepo, halinitro, cyminoque farinam tritici miscueris, gallinæ hoc cibo saginatæ, adeò pinguefaciunt homines, qui eas ederint, ut disrumpantur. *Cardanus.*

DE

DE FORMA SEU PULCHRITUDINE partium corporis, & primò de Capillis tingendis.

Ad capillos deaurandos.

Capillos aurei coloris æmulos, unà cum barba, ad hunc facies modum. Accipe fruſtula Rhabarbari, quæ à pharmacopæis deraduntur, & tanquam inutilia abjiciuntur. Ea in lixivium decoctionis foliorum & ramorum viſci ex quavis arbore detracti, tamdiu infunde & macera, donec emolleſcant. Factâ expreſſione poſt levem ebullitionem, ſpongiam ex lixivio imbue, & capillitium identidem intinge, aut barbam, ſi viſum erit. Tum demum utrinque calidis linteis ſicca, quod tutius eſt, quàm igni, vel Soli exponere. Id ubi ſæpius egeris, abſque ulla offenſa optatum aſſequeris. *Ex quodam Italo.*

Ad colorem argenteum capillis conciliandum.

Rec. Aquæ fluvialis lib. xxv.
Radicis & foliorum Centaurii unc. iij.
Coquantur ſimul uſque ad conſummationem tertiæ partis, deinde cùm ad Solem per dies quindecim fuerint, addantur
Gummi Arabici,
Tragacanthi,
Aluminis ſing. unc. ij.
Smegmatis, ſive Saponis Veneti,
Aluminis ex vini fecibus albi ſing. lib. j.
Miſceantur, & coquantur aliquandiu, fiatque aqua, quæ Italorum vulgò, *Bionda*, hoc eſt, flava Veneta appellatur. Quando autem uti voles, manè capillos tinge benè, eosque in panno linteo involvito: deinde veſperi caput lixivio, in quo herba, Vitriola appellata, cocta fuerit, lavato atque ad Solem, vel ignem ſiccato. Quod cùm bis térve in hebdomade factum fuerit, capilli albi, ſplendidi, & argento ſimiles reddentur. *Alexius.*

Capilli ut flaveſcant.

Capilli ut aurum flaveſcent, ſi acceperis aluminis rupei unc. vj. vitrioli unc. iv. ſalis nitri unc. ij. & ex iis ſtillatitiam aquam

aquam extraxeris, capillitiumque, vel cæſariem ſpongiâ in ea madefactâ, & tantillum expreſſâ, tinxeris, ac identidem repetiveris. *Mizaldus.*

Ad Capillos rubro colore tingendos.

Rec. Foliorum nucis M. j. deſtillentur in cucurbita vitrea, quâ ſolùm capilli caneſcentes laventur diebus quindecim, & rubri fient: durabitque tinctura menſem unum. Faciem autem eâ aquâ ne tingito: nam nigra fieret. *Alexius.*

Capillos flavos tingere.

Flavos reddes multum mellis oleo, & vitellorum ovorum. Nec minus lixivio è ſarmentitio cinere, hordei palea, liquiritiæ corticibus, raſura, & frondibus buxi, croco & cumino, ſi ſæpius capillos laveris, maximè flaveſcent, aurique colorem imitabuntur. *Porta.*

Pili & capilli, ut virides videantur.

Capparorum aqua deſtillata virides verè pilos & capillos efficit. *Cardanus.*

Ad Capillos denigrandos.

Capillos aut barbam ſic denigrabis: Accipe lixivii communis quantum voles, cui infunde folia betæ, ſalviæ, & lauri, cum myrrha & corticibus juglandium viridium. Tum demum coque omnia, & ex eorum lixivio barbam, vel capillitium lava: aut madefactâ ibidem ſpongiâ, & nonnihil expreſſâ, identidem tinge: miraberis effectum. *Mizaldus.*

Ad Capillos nigro colore tingendos.

Nigricabunt valdè capilli, corticum ficus, gallæ, elatines, rubi, cupreſſi, & ſimilium lixivio. Hoc tamen commodè tinges modo barbam & capillos, ſi cui caneſcunt, argentea ſpuma, combuſtum æs fortis lixivii quadruplo permiſcetur, dumque levibus prunis in bullas erumpit, lavabis, & reſiccatos calidâ perlues aquâ. *Joan. Bapt. Porta.*

Supercilia nigra tingere.

Sic nigreſcunt ſupercilia: Fricantur oleo gallæ, eas ſale ammoniaci puſillo tritabis: deinde aceto immiſcebis, quo rubi, & mori cortices ebullierint, illinantur ſupercilia, & per noctem immoraberis, inde ex aqua lavabis. *Idem.*

Ad Pi-

Ad Pilos denigrandos.

Rec. Lixivii menſuras v.
Lithargyrii unc. vj.
Salviæ,
Foliorum fici nigræ, ſing. M. j.

Miſceantur, & coquantur uſque ad conſumtionem quartæ partis, & fiat lixivium, quo cùm caput bis in hebdomade lotum, deinde ſiccatum fuerit, ſequenti unguento utitor:

Rec. Succi ſalviæ quantum ſatis eſt,
Tartari nigri unc. j.
Lithargyrii unc. ſem.

Miſceantur, & fiat unguentum, quo plumbeo pectine ſæpiùs inuncto, capilli pectantur, & ſtatim nigri reddentur. *Alexius.*

Capilli ut nigri fiant.

Rec. Succi corticum nucum viridium unc. iij.
Vini rubri menſuram dimidiam.

Coquantur ſimul uſque ad tertiæ partis conſumtionem; deinde addantur olei communis lib. v. Miſce bene, & unge capillos. *Marinellus.*

Aliud ad idem, Ejuſdem.

Rec. Myrobalanorum Indorum,
Gallarum ana unc. j.
Lithargyrii drach. j.
Salis petræ,
Aluminis rochæ,
Æris uſti, ana unc. viij.
Salis gemmæ,
Tragacanthi ana unc. j.

Omnia in pulverem redacta cum aqua, in qua nuclei dactylorum fuerint cocti, miſceantur, quâ capilli inunguntur.

Aliud Ejuſdem.

Rec. Succi papaveris rubri,
Succi corticum nucum viridium,
Olei myrthini,
Olei de coſto, ſing. q. ſ. eſt.

Coquantur aliquandiu ſimul, & ſervetur in vaſe aliquo ad uſum.

Lixivium capillos nigros tingens.

Accipe nuces cupreſſi, & coque in vino & aceto vini rubri, fiatque lixivium, quo caput lavetur. *Marinellus.*

Unguentum capillos nigros tingens.

Rec. Gallarum in oleo communi frixarum unc. ij.
Aluminis rochæ drach. ij.
Salis gemmæ drach. j.
Olei de coſto q. ſ. eſt.
Miſce, & fiat unguentum, quo capilli inungantur. *Idem.*

Lixivium ad capillos nigros tingendos.

Rec. Spumæ argenti,
Aceti, vel ſucci citri, ana q. ſ. eſt.
Coquantur per ſemihoram, fiatque lixivium, quo caput lavetur. *Idem.*

Remedium capillos nigros tingens.

Rec. Foliorum capparorum q. ſ. eſt, coquantur in lacte uſque ad conſumtionem tertiæ partis, & capilli inungantur. *Idem.*

Unguentum ad capillos nigros tingendos, Ejuſdem.

Accipe flores nucum, contunde optimè, & cum oleo communi miſceantur, fiatque unguentum, quo inungantur capilli.

Lixivium optimum ad tingendos nigros capillos.

Rec. Baccarum myrthi,
Sumach,
Salviæ,
Nucum Cupreſſi,
Myrobalanorum citrin.
Myrobal. chebulorum, ſing. q. ſ.
Coquantur omnia in lixivio, uſque ad tertiæ partis conſumtionem, fiatque lixivium, quo caput lavetur. *Idem.*

Aliud capillos nigros efficiens.

Rec. Lumbricorum terreſtrium, uſtorum vel foliorum ficus nigræ, in pulverem redactorum. Olei amygdalarum dulcium, ſingulorum quantum ſatis eſt. Miſceantur, fiatque unguentum ad capillos. *Alexius.*

Aliud,

Aliud, quo matrona quædam Veneta eſt uſa.

Rec. Olei tartari calidi quantum ſatis eſt, inungatur ſpongia vel pecten, quo capilli pectentur ad Solem, capite priùs loto. Quod cùm ter quotidie factum fuerit, fieri nequit, quin ſeptem diebus capilli nigri reddantur. Cæterùm ſi odoratos eos facere voles, poſtremò capillos, oleo beniovino inungito: quoniam capillos non ſolùm odoratos, ſed etiam nigros reddit, & eſt rarum. *Alexius.*

Ad præcavendam canitiem.

Lacte canino caput & capillos inungito. Res experta eſt. *Noſtradamus.*

DE CAPILLIS AUGENDIS.

Ut pili renaſcantur citò.

Combuſtarum apium cinis, cum ſoricis ſtercore, ſi roſaceo illeveris oleo, naſcentur, & in manûs palmâ: quibus & addere ritè poteris avellanæ, caſtaneæ, dactylorum, & reliquorum fabalium cinerem: ex omnibus enim renaſcendi vis deſtruitur, vel prodeunt meliores. *Joan. Bapt. Porta.*

Ad barbam & capillos gignendos, qui poſtea non defluant.

Rec. Apes in cinerem combuſtas, quot volueris,
Semin. lini uſti & triti tantundem,
Olei lacertarum viridium (fit autem hoc, ſi lacertæ virides vivæ in phialam aliquam vitream, olei communis plenam, ad ignem, uſque ad reſolutionem ponantur: deinde ad Solem per quindecim, vel viginti dies ſinantur) quantum ſatis eſt: miſceantur, & fiat unguentum, quo partes pilis nudæ, mane & veſperi inungantur, & ſic brevi renaſcentur capilli, & non decident. Verùm caput ſequenti lixivio priùs lavandum erit.

Rec. Lixivii ex cineribus quantum ſatis eſt,
Capillorum Veneris,
Agrimoniæ,
Hederæ arboreæ, ſing. M. V.

Miſceantur, & coquantur: deinde coletur & ſervetur ad uſum coopertum, quo cùm caput bis vel ter in ſeptimana lotum, deinde ſiccatum, mox leviter prædicto unguento illitum

illitum fuerit, fieri nequit, quin plurimi longiſſimiſque capilli generentur, firmiterque hæreant. *Alex.*

Ut Barba, vel Pili naſcantur.

Apes in caniſtro ad ignem exiccentur, dum in pulveres redigi poſſint: hos pulveres oleo contempera, & locum, ubi producere pilos volueris, illinito: mira experieris. *Noſtradamus.*

DE CAPILLIS MINUENDIS.

Ad partem aliquam depilandam.

Ut pili cadant ex quocunque loco, nec ampliùs renaſcantur, efficiet ſtercus felis ſiccum, tritum, & forti aceto ita mixtum, ut fiat veluti ſpiſſamentum. Quo locus piloſus multoties in die defricabitur ac inungetur, & in pauco tempore glaber, depiliſque evadet. *Experimentum à ruſtico.*

Aliud ad idem.

Urina murium, ſoricumve, piloſum locum depilem reddit. Reſtituitur verò, ac emendatur talparum ſanguine, aut earundem pelle, ſi ei affricetur. *Mizaldus.*

Ad partem depilandam aliud.

Si ita glabram & depilem velis habere partem aliquam corporis, ut nunquam pilos redivivos emittat, tere formicarum ova cum hyoſcyami & cicutæ ſucco, aut veſpertilionis, & teſtudinis ſanguine, & eo linimento locum inunge. Sunt qui aureâ laminâ candente, pubeſcentem ſylvulam abſque ulla noxa ita perurant, ut pilorum, ne unum quidem, veſtigium ſuperſit. *Alexius.*

Pſilothrum, quo perlitus locus glabreſcit illicò.

Si vulgari decocto perunxeris, vivæ calcis auripigmenti tertio, fortique lixivio, & dum coquitur, plumâ experimentum capias. *Columella* verò jubet ranam luridam in aqua coquere, uſque dum ad tertiam partem decoxeris, eaque corpus ungere, ſi quod glabrum facere voles. Sunt & infinita, uti hederæ, & vitium lachryma, quæ veluti gummi eſt & pſilothri effectum habent. Sed illud ut commodum ſatisfaciet. Et ſi nunquam redivivos quæris, glabras ritè partes tali radicitùs erues illitu: uti formicarum ovorum, hyoſcyami ſucci, cicutæ, & pſyllii ſeminis, veſpertilionis, & teſtudinis ſanguinis. *Port.*

Pueri

Pueri ne pubeſcant.

Ut pueri puellæque non pubeſcant, ſanguine tynni illine pudenda: frigidus enim eſt, ac craſſus: & ſi alibi illinatur, idem præſtabit. Facit & ad hoc lomentum fabarum, ſi aſſiduè eo in loco laventur: detergit enim, atque ita prohibet, donec cutis ſolidetur humore glutinoſo: talia autem, ut omnia fermè alia, minimè ſunt perpetua.

Ad pilos expellendos.

Rec. Calcis vivæ recentis unc. iv.
Auripigmenti contriti unc. j.
Lixivii fortiſſimi, menſuras ij.

Miſceantur, & in olla coquantur, donec inſpiſſentur, vel anatis penna immiſſa ardeat, miſcendo continuè: deinde in vaſe aliquo vitreo, vitreatóve ſervetur. Quando autem uti voles, primò partes, oleo amygdalarum dulcium (quò minùs calor ſentiatur) deinde unguento leviter inungantur. Verùm ſi quis cutem ſubtiliorem habeat, ita ut ardorem aliquandiu ferre non poſſit, aquâ ſequenti partem illiniat, & ſtatim ardor ceſſabit:

Rec. Aquæ roſarum unc. ij.
Aquæ plantaginis unc. j.
Sacchari albiſſimi unc. ſem.

Miſceantur, & fiat aqua. Poteris autem hac uti alternis tantùm diebus, prout videbitur, quòd ſi à tali unguento abhorrueris, ſequenti utitor:

Rec. Salis ammoniaci,
Fellis hircini, quantum ſatis eſt.

Miſceantur benè, & fiat unguentum, quo partes hirſutæ inungantur. *Alexius Pedemont.*

Aliud ejuſdem.

Rec. Succi radicis Chelidoniæ,
Auripigmenti,
Hederæ, ſingulorum quantum ſatis eſt.
Ovorum formicarum,
Aceti ſingulorum part. j.

Miſceantur optimè, fiatque unguentum, quo ſi partes piloſæ ſæpiùs inunctæ fuerint, abſque dubio, capilli decident. Quòd ſi dolor poſtea ſucceſſerit, ſupradictâ aquâ loca affecta illini debent.

Ut Pili cadant & non renaſcantur.

Rec. Stercoris cati q. ſ. pulverizetur ſubtiliſſimè, cribretur, & cum aceto diſtemperetur ad formam unguenti, quo pili inungantur. *Ex lib. manuſcript.*

DE FACIE COLORANDA.

Roſeum faciei colorem conciliare.

Ex granis Paradiſi, Cubebis, Caryophyllis, Braſilii raſura, & Ardenti aqua ſæpiùs exſtillata (ubi aliquantulum fuerint immorata, vel igni lento, vel putri fimo) aquam elicies, quâ ſæpe facies madeat, dum operari incipit. *Joan. Baptiſta Porta.*

Ad conciliandum faciei ruborem.

Radix Polygonati, ſeu Sigilli Salomonis, pallentes virginum genas, ſolo affrictu rubicundas ac floridas efficit. *Mizaldus.*

Ad diluendum faciei nimium ruborem.

Accipe uncias quatuor nucleorum Perſicorum & ſem. Cucurbitæ excorticatorum unc. ij. tere ac fortiter exprime, ut oleaginoſum liquorem elicias, quo mane & veſperi, faciei carbunculos ac rubores tange, & paulatim diſparebunt, vel utplurimum emendabuntur. *Idem.*

Aliud Ejusdem.

Cepacei Liliorum bulbi in aqua decocti faciei ruborem tollunt, ſi matutinis & veſpertinis horis illinantur. Acceptum à quadam matrona mangoniorum artifice ad unguem facta.

Aquæ ad faciem mangonizandam, ut lævore ſplendeat.

Ovi albumina coquantur, & dureſcant, inde aquam exſtillabis, eritque uſui apta: ſic Roriſmarini, fabæque florum & limonum ſucco. Hac autem aqua omnium præſtantiſſima, ſolertique curâ excogitata: Talcum in minutiſſimum redigatur pulviſculum, & ollæ indatur, & item cochlearum multam immittes copiam, & operculato, ne fugiant, nam alimento fraudatæ, immiſſum vorant talcum, concoquunt, ubi omne voraſſe noveris, cum teſtis tuſas vitreo accommodabis organo, aquam exſtillabis, & ſervabis ad faciem. *Joan. Bapt. Porta.*

Aqua

Aqua cutem ſplendidam reddens.

Accipe Aquæ fontanæ deſtillatæ quantum voles, Myrrhæ, in ſing. hujus aquæ phialas, unc. j. Cort. ovorum non coctorum n. iv. Gummi juniperi cochleare dimidium, Medullæ panis, in lacte caprino molliti M. j. Miſceantur, & deſtillentur, quouſque omnis aqua exierit: quo facto ſumito Sevum, quod Pomatam vocant, ſi haberi poteſt: ſin minus, Adipem caprinum, vel gallinaceum, vel agninum, vel vitulinum, quæ tamen ſemel bíſve in pura aqua ſunt percolanda: mox in ollam ad lentum ignem ponenda, ut liquefiant, addendo ſenſim ſupradictæ aquæ deſtillatæ tantum ut frigefactum olei unguentíve ſpeciem referat: verùm cùm aqua adipe permiſceri non poſſit, ſed potiùs olei modo ſupernatet adeps, aliquantulum tartari uſti, ſed non multum, vel ſalis alcali, vel Boracis in aqua diſſolvi oportet, quò exactè permiſceri queat. Quod cùm factum fuerit, unguentum in vaſis vitreis ſervetur. Quum verò odoratum efficere voles, addito Caphuræ, Benjovini albi, Moſchi, vel Ambræ, quæ in Aqua roſarum diſſoluta & percolata ſint, ſive oleum Jaſmini, quod idem erit. *Alexius.*

Oleum cutem pulchram, ſplendidamq; reddens.

Rec. Tartari albi, lib. j.
Talci,
Salis ſing. lib. ſem.

Miſceantur, & in fornace laterario, vel calcario ponantur, donec comburantur. Quo facto ſuper marmore terantur materies, deinde in ſacculo aliquo, in conum, ſive acumen deſinente, in loco humido, ab aëreque remoto, per quindecim vel viginti dies ponantur, ſupponendo vas aliquod, ut oleum diſtillans recipiat, & ſervetur tanquam res pretioſa. Quum autem uti voles, cutis priùs lixivio lavanda, atque ſiccanda: deinde oleo prædicto, cum panno aliquo linteo inungenda & fricanda leviter erit: quoniam omnis generis maculas delet, cutem mollem nitidamque efficit. *Idem.*

Ad faciem purpurandam.

Ad purpurandam faciem pallidulam, & decolorem venuſtandam, ſume Santali rubri, & aceti acerrimi bis diſtillati, utriuſque quantum voles, miſce & igni lento coque, addito Aluminis momento, habebis rubricam tingendæ

faciei perfectiſſimam. Quam ſi odoratam voles reddere, injice moſchi tantillum, vel odoris alterius, qui tibi arridebit. *Mizaldus ex artificiis cujuſdam Itali.*

Ad faciem decorandam.

Alumen tritum, & cum albumine recentis ovi agitatum, fervefactum, & continuò motum, in unguenti ſpiſſamentum tranſit. Quo, ſi biduo, vel triduo facies mane & veſperi inungatur, non ſolùm emaculabitur, & erugabitur, ſed ſummè & pulchra, & grata reddetur. *Idem.*

Faciei decoratio.

Rec. Succi limoniorum unc. is.
Aquæ roſaceæ unc. ij.
Argenti ſublimati drach. ij.
Ceruſſæ drach. is.

In modum unguenti miſce, & line locum veſperi, mane butyro inunge. *Cardanus.*

Smegmata mulierum.

Smegmata mulierum, quæ nitorem, & lævorem faciebus inducunt: uti mica panis in caprinum lac aut ſerum injecta, exſtillata inde aqua faciem peniciſſabis, mirum admodum ad eam dealbandam, & nitorem cuti conciliandum valet. Nec minus aſininum candori confert; nam cutem erugat, polit & molliculam facit. Ideò non temerè Pompeja Sabina, Neronis uxor, quingentas habuit ſecum aſinas, ac balnearum ſolio lacte illo corpus totum macerabat. *Joan. Baptiſta Porta.*

Aqua reddens faciem juvenilem.

Accipe ſulphuris vivi unc. j. Olibani albi unc. ij. Myrrhæ unc. is. Ambræ drach. vj. Redigantur ſingula in pulverem, deinde commiſceantur, & additâ librâ unâ aquæ roſaceæ, deſtillentur in diplomate, ſeu balneo (ut vocant) Mariæ. Excepta aqua ſervetur in vaſe, ad unguem obturato. Cùm uti voles, tinge in ea linteolum album, quo faciem ablue ante ſomnum, & mane hordeaceâ aquâ, aut fontanâ deterge: adeò venuſta & limpida erit facies, ut omnes mirentur & exoſculari eam deſiderent. *Ex quodam lib. decoris muliebris.*

Ut cutis candore præſtet.

Recipe Aceti deſtillati lib. j.
Spumæ argenti unc. j.

Miſce,

Miſce, & in phialam aliquam vitream, ſuper laterem ad ignem per horam unam, deinde ad Solem per dies octo ponantur, & ſervetur, deinde ſumito

Aquæ cucurbitæ lib. j.
Salis gemmæ unc. j.

Miſceantur, & in phialam aliam ſimiliter ad ignem per horam unam ponantur, ut ſuprà, & ſervetur. Quando autem uti voles, ſumito hujus aquæ cum ſale ſupradicti aceti cum argenti ſpuma, ſing. part. j. Commiſceantur, & fiat aqua lacti ſimilis, quâ cùm cutis, vel facies ſpongiâ fuerit ſubtiliter lota, alba, mollis, & lævis reddetur. *Alexius.*

Ut facies fucata palleſcat.

Crocum dentibus commanducabis, & ore propius mulieri inter alloquendum appoſito flatus deturbat faciem, & ſubcroceam reddit: ſi autem nullo fuerit circumlita fuco, innoxia remanet. *Joan. Baptiſta Porta.*

Aqua faciem denigrans.

Juglandis calloſo, herbidoque putamine illo, quod guliocam dicunt, & gallis, chymiſtarum organis clariſſima eliciatur aqua, quâ ſi facies, vel manus maduerint, nigreſcunt paulatim, ut Æthiopes videantur. Quod ſi abjicere, & priſtinæ albedini reſtituere velis: Acetum, limonis ſuccum, & colophoniam exſtillabis, taliſque lotura nigrum illud abjicit, & propulſat. *Idem.*

Ad mulierum fucos deprehendendos.

Purpureus mulierum color ſi fucatus eſt, deprehenditur commanſis granis cymini, vel nucleolo allii demorſo ab ipſis. Nam ſi nativus eſt, durabit: ſi verò ceruſſatus, hydrargyratus, aut citrini unguenti illitu conquiſitus, ſtatim obſoleſcet. *Langius.*

DE FACIE DETERGENDA & emaculanda.

Ad faciei maculas, & omnes lentigines.

Rec. Myrrhæ contritæ q. ſ. eſt.
Ovorum alb. n. j.
Aquæ vitæ parum.

Miſceantur & contundantur optimè, deinde deſtillentur,

donec aqua omnis emanârit; cui deinde tantum lactis virginei addatur, quantum dicta aqua appenderit, & ſervetur in vaſe vitreo. Lac autem virgineum fit, quando Lithargyrium in aceto coquitur & colatur; deinde aliquid olei tartari additur, & erit aqua lacti ſimilis. Quando autem uti voles, faciem priùs aquâ, in qua furfur aliquandiu fuerit, abluito cum linteo, vel panno rubro, quod melius eſt, fricando benè, deinde cùm linteo albo mundo facies exſiccata fuerit, ſupradicto unguento faciem ungito, manè & veſperi, & per ſe ſiccari permittito, atque hinc rem, admiratione dignam, videre licebit. *Alexius.*

Aliud ad idem.

Si aurum candens, & ignitum in vino generoſo ſæpiùs extinguatur, & ſic cum tantillo tartari miſceatur, omnes maculas, quamlibet fœdas, ex quavis parte corporis abſtergit, & cohoneſtat: imò verò faciem leproſam ac rubicundum naſum & verrucoſum emendat. *Lemnius.*

Aqua ad faciei Serpigines, nævos aliasq; hujuſmodi maculas.

Rec. Salnitri,
Tartari albi, ſing. lib. j.
Terantur per ſe ſingula, deinde permiſceantur, cribrentur, & fiat pulvis ſubtiliſſimus. Quo facto in catinum aliquem collocetur pulvis, ex quo maſſa formetur, ſacchari modo alta: deinde carbo accenſus ſuper acumen ejus ponatur, & ſic per ſe comburetur. Quoniam cùm ſal nitrum tenuium humidarumque ſit partium, tartarum verò craſſarum, per ſe comburi, atque in maſſam quandam mutari neceſſe eſt. His ſic ſe habentibus, in ſcutellam aliquam maſſa vel placenta illa immittatur, ſuperinfundendo aquam calidam, digitisque frangatur, quouſque optimè diſſolvatur: deinde cùm per philtrum colatum, & in ollam novam ad ignem, ut vix ferveat, poſita fuerit, donec ſiccetur, pulvis(in quo vis omnis continetur) in fundo relictus ſervetur. Quo facto ſumito ampullam, cui indantur Aceti deſtillati unc. iiij. Aquæ vitæ ter deſtillatæ unc. j. mox pulvis ſupradictus infundatur, permiſceatur; atque ad Solem per dies tres collocetur, vaſe optimè cooperto & ſervetur. Quum verò uti voles, mane & veſperi ſerpigines, aliasque hujuſcemodi maculas lavato, & paucis

paucis admodum diebus integrè ſanabuntur, cutisque candida venuſtaque reddetur. *Alexius.*

Aliud ad eaſdem maculas.

Rec. Feces vini albi, easque ſiccabis, & ſiccas in vaſe ferreo in cinerem rediges. Quo facto in ſacculo, in loco humido, per dies viginti vel triginta maneant, ſuppoſito vaſe aliquo vitreo, donec in oleum omnis commutetur, & ſervetur in vitreo vaſe. Quo cùm maculæ, vel ſerpigines inunctæ fuerint, citò evaneſcent, cutisque mollicula evadet. Quod ſi odoratum cupias, addito Caryophyllos n. xx. *Idem.*

Ad Maculas, Pannos, Lentigines, Vitiligines, & incipientes Impetigines.

Rec. Chalcanthi unc. iv.
Halinitri unc. iij.
Scobis chalybis unc. j.
Camphoræ unc. ſem.
Diſtilla. *Cardanus.*

Ad Maculas & Lentigines.

Maculas peculiari medicamento faciei ſic delebis: Ova recentia quindecim, aceto acerrimo cum cortice integra infunde, inde fracta excipe eodem aceto, & ſinapis unciâ additâ, vitreo vaſe deſtilla: aquam ſuperpone cotto dum dormitum vadis. Tolluntur maculæ, quas Lentigines vocant. *Idem.*

Ad Faciem lentiginoſam.

Albæ gallinæ ſanguis in faciem lentiginoſam effuſus, ibique reſiccatus, & deterſus, omnes ejus maculas obliterat. *Ex quodam Italo.*

Furfures à facie abſtergere.

Vaccinum, hircinum, & caprinum lac vel cum nitri pulvere immiſceantur, & mollis facies illinatur, & eam maximè purgat, & faciem venuſtat: Draconteæ autem ſuccus maculas omnes emendat, præcipuè ſi eis os dehoneſtetur. *Joan. Baptiſta Porta.*

Ad faciei Tubercula.

Meminit *Conr. Geſnerus* ſe vidiſſe mulierem, quæ à tuberculis faciei liberata eſt, ſolâ lotione aquæ deſtillatio-

nis fragorum: cùm tamen illa, priuſquam deſtillarentur, ſub fimo in vitreo vaſe eſſent putrefacta.

Ad faciem detergendam, maculasq; omnis generis delendas.

Rec. Terebinthinæ venetæ lib. ij.
Ovorum recentium alb. n. xij.

Miſceantur, & in cucurbita vitrea bis deſtillentur, & fiat aqua, cui addantur caphuræ contritæ ſcrup. x. & diſſolvatur bene, ſerveturque. Quum autem uti voles, ſumito hujus aquæ unc. ij. aquæ teſtudinum unc. j. miſce, ſæpiusque faciem lava. *Alex. Pedemont.*

Genarum livorem abſtergere.

Genarum livorem abſtergere ſic poteris, præcipuè mulieribus, tempore quo menſtrua patiuntur: Locus illinatur ceruſſâ, fabarum pulvere, aceto immixto, vel ovorum boletis melle mixtis. *Porta.*

Ad faciem elephanticam.

A tuberculis elephantiæ, & faciei leproſæ multi liberati ſunt ſolâ lotione aquæ deſtillationis fragorum, illis prius in vaſe vitreo ſub fimo putrefactis. *Geſnerus.*

Ad faciei puſtulas, ex hepatis calore venientes.

Rec. Axungiæ porcinæ mundatæ,
Sulphuris vivi ſing. part. j.
Aquæ perſici, & filicis deſtillatæ, ſing. q. ſ. eſt.

Miſceantur ad ignem lentum, & fiat unguentum, quo puſtulæ inunctæ ſanabuntur. Verùm à vino cæterisque rebus calidis abſtinendum. *Alexius.*

Mixtura odorata.

Rec. Moſch. drach. iij.
Ambræ drach. ij.
Zibeti drach. j.

Triturentur ſuper lapide porphyrio cum oleo amygdalarum dulcium, & fiat unguentum odoratum, & pretioſum. *Iſabella Corteſa.*

DE OCULIS COLORANDIS.

Oculorum colorem permutare.

Si oculorum colorem pueris permutare velis, ſic aſſequeris:

queris: Putaminum coryli nucis cinere, ex oleo ſinciput illinatur. Puerorum albos oculos denigrari contigit, operationem iterato. Pleraque extant experimenta, albos & glaucos oculos nigrefaciendi, & varios inducendi colores: ſed hæc miſſa faciant, cum non tam leviter egentes oculis periculum capiant, nec experientiæ, uti quæritur, reſpondeant. *Joan. Bapt. Porta.*

DE DENTIBUS ABSTERGENDIS ſive dealbandis.

Ad dentes dealbandos pulvis.

Rec. Coralliorum rubrorum,
Balauſtiorum,
Pumicis,
Aluminis uſti,
Gallarum,
Acaciæ,
Galliæ moſchatæ, ſing. drach. iij.
Cyperi,
Spumæ maris,
Cardamomi,
Salis Ammoniaci,
Salis mineralis,
Salis gemmæ, ſing. drach. ij.
Spicæ nardi,
Ligni aloës
Nucum cupreſſi,
Coſti,
Spodii, vel ſeminis myrtillorum,
Maſticis, ſing. drach. j.
Caryophyllorum, unc. ſem.
Fiat pulvis. *Ex lib. manuſcripto.*

Pulvis ad conſervandam albedinem dentium.

Rec. Putamina trium ovorum,
Corallorum rubrorum drach. iij.
Fili ſerici albi, in olla nova in cinerem exuſti drach. ij.
Cinamomi drach. is.
Caryophyllorum
Pirethri, ana drach. ij.

His ad ſubtiliſſimum pulverem contuſis, dentes ſingulis diebus veſperi & manè fricato. *Rantz.*

Aliud Ejuſdem.

Rec. Cornuum cervi uſtorum in ollam novam ad cinerem redactorum unc. j. ſem.
Maſticis chiæ unc. ſem.
Salis ammoniaci drach. vj. Miſce.

Alius pulvis dentifricius.

Rec. Corallorum alborum, & rubrorum an. unc. j.
Pyrethri,
Maceris,
Maſticis, ſing. unc. j.
Pumicis,
Boli armen. ſing. unc. j.
Fiat pulvis ſubtiliſſimus. *Henr. Rantzovius.*

Aliud.

Dentifricia optima parabantur antiquitùs, ex purpurarum, & buccinarum teſtis crematis, nunc autem citò poteris uti combuſtis Panis micis, Pumicis polline, Corallis rubeis, Sepiarum teſtis, Cervino cornu, & iis ſimilibus, quorum unumquodque ritè expolit, & abſtergit. Sic Cocci granulis ſeu purpura perfricabis. Omnium tamen optimè Sulphuris oleo, nam expolit, lævigat, & maculas propulſat omnes. Fit quoque aluminis & ſalis aqua exſtillata. *Porta.*

DE DENTIBUS EXTRAhendis.

Ut abſque dolore dentes eradicentur.

Tradunt nonnulli, radices Aſparagi ſiccatas, & dentibus infixas, illos abſque dolore eradicare. *Mizaldus.*

Ad dentes ſine dolore extrahendos.

Colocynthidem ſylveſtrem coque, priùs tamen tritam, & in aceto infuſam, donec mellis acquirat craſſitudinem, & ſcarifica gingivas circa dentem, & intinge hoc pharmaco circa dentem, & jube claudere os per modicum temporis: poſtea accipe dentem cum digitis, & ſequetur ſine dolore. *Alexius.*

Aqua

Aqua dentes extrahens ſine dolore.

Accipe ſal Ammoniacum, & deſtilla per alembicum, tange cum ea aquâ dentem, & cadet ſine dolore. *Idem.*

Pulvis ad idem.

Pulvis coralli rubri concavitati dentis immerſus, dentem eradicat. Diſſolve ammoniacum cum ſucco Hyoſcyami, tange dentem, & cadet. *Idem.*

Dentes ut audire videantur.

Illud ſanè mirum, quod quiſque tamen poteſt experiri, lanceam ad lyram appoſitam, ut tangat vel ad hominis os, ſi quis caput lanceæ reliquum dentibus teneat, tanquam in dentibus ſit auditus, ſonum, voces, ac verba procul exaudiet, quorum nec ſonum ſecus audire poſſet. *Cardanus.*

DE MAMMILLIS MINUENDIS.

Mammillæ ne creſcant.

Meliſſa contuſa in emplaſtri formam, & mammis mulierum ſuperpoſita, earum incrementum prohibet. *Fallopius.*

Mammillarum incrementum.

Condurantur Cicutâ, ejuſque magmata cum aceto virginum uberibus imponatur, & ſic coërcet, ut creſcere non patiatur, præcipuè hoc in virginitate, quanquam ſolito lac deneget tempore. Molles autem & relaxatas ſic coërces. Alba argilla, ovi albumen, omphaticis galla, maſtix, thus, tuſa omnia calido aceto immiſceantur, & illinantur mammæ, & integrâ nocte commorari oportet, & finito illic eſſe: ſi parum fuerit efficax, opus innovato. Juvant & ad hoc Meſpili oſſa, immatura Sorba, ſylveſtria Pruna, Acacia, & Malicorium, Balauſtium, immaturæ nuces pineæ, ſylveſtria Pyra, & Plantago, ſi aceto ebulliantur omnia, & mammis apponantur, aut alia. *Porta.*

Ut mammæ mulierum mammis virginum ſimiles fiant.

Tradit *Rondeletius poſt Plin.* experimento compertum eſſe Squatinam piſcem mammis mulierum ſuperpoſitum, illas adeò conſtringere, ut Virginum mammis aſſimilentur. Poterit & genitalibus partibus earundem ſimiliter facere. Arrigant aures cultui & voluptati ſtudentes.

Ventris

Ventris rugas à partu abſtergere.

Diu aquâ immatura coquantur ſorba, oviq́ue immiſcens alborem, nec deſit aqua, cui arabum gummi ſit ſolutum, tali linteum pannum madeat aqua, & ventri accommodetur: vel combuſtum cervinum cornu, amiantus lapis, ammoniacus ſal, myrrha, olibanum, maſtix, in pulverem redacta omnia, cum melle permiſceantur, & erugat omne. Sed quærens Naturæ oſtium reſtringere: ex partu enim relaxari ſolitum eſt, quod & ſi viro diſplicuerit, ſic reſarcies: Omphacites gallas tritato tenuiſſimè, quibus caryophyllorum pulveris parum admiſceatur, vino ebulliant, quo pannum madeat, & loco applicetur. Vel ſic meretricum & popularium reſtringes & coarctabis. Gallis, gummi, alumine, bolo draconis ſang. acacia, plantagine, hypociſtide, balauſtiis, lentiſco, ſymphyto majori minoriq́ue, cupreſſi nucibus, uvarum acinis, glandium coſtis, vel cavo illo, quo glans prorumpit, & dehiſcens nucleum oſtendit, maſtiche, & lemnia terra. Si hæc omnia rubro vino, vel aceto decocta ſint, & ſæpè madeat vulva, coarctatur & ſupprimitur valde. Vel hæc in pulverem redacta, intrò per arundinem trajiciatur, vel iis ſuffimenta ſubſtituantur. At ſi defloratam mulierem integræ virginitati reſtituere vis, tali pillulas conſtitues pacto: Alumen combuſtum, maſtix, adjecto chalcanthi & auripigmenti momento in tenuiſſimum redigantur pulviſculum, ut ferè tactum effugiat: pluviali aquâ pillulas ubi coëgeris, digitis comprimito, & tenuem reſiccari curato, ac naturalium oſtio hymenæi loco accommodetur, ubi priùs fuerit rupta, ſenis quibúſve horis immutando, pluviali, vel ciſterninâ ſemper aquâ fovendo, per naturalem id diem, & hinc inde veſiculas inferunt, quæ contactæ ſanguinis inducunt profluvium, ut ferè dignoſci nequeat. Hirundine aliqui locum mordicus capi curant, ſic cruſtulas inducunt, & fricatæ ſanguinem movent, ubi prius prælatis arctaverint. *Porta.*

DE MANIBUS DEALBANDIS.

Manus dealbandæ.

Rec. Succi limoniorum q. ſ. Salis communis aliquantum. Miſce, quo manus inungantur: deinde per ſe ſiccari ſinantur: poſtea aquâ communi laventur. *Ex lib. manuſc.*

Ad ma-

Ad manus denigrandas.

Pulvis ejus nucis, quam gallam vocant, projectus in aquam, manibus lavandis prolatam, illas ſummè denigrat, tantum abeſt, ut dealbare queat. Remedio erit cortex, aut ſuccus mali aurantii. *Mizaldus.*

Ad graveolentes alarum hircos.

Scolimi, ſeu cinaræ radix graveolentes alarum hircos, & reliqui corporis viroſum odorem cocta & emplaſtrata emendat. Idem etiam poteſt decocta in vino, & epota. Nam ita copioſam & graveolentem urinam prolicit: eoque modo virulentæ & venereæ gonorrhœæ auxiliatur. *Dioſcorides, Oribaſius, Paulus, & Langius.*

DE CIBO. CAP. VI.

Farina ut perennet.

FARINA, quæ Auguſto menſe molita eſt, perennare in Italia ſolet. *Cardanus.*

Cocta uva, ut ſervetur.

Quum vinum coctum erit, & quum legetur, facito uti ſervetur familiæ primum ſuisque, facitoque ſtudeas benè percoctum ſiccumque legere, ne vinum nomen perdat. Vinaceos quotidie recentes ſuccernito, lecto retibus ſubſternito, cribrum illius rei parato, eos conculcato in dolia picata, vel in lacum vinarium picatum; id bene operito, jubeto oblini, quod des bubus hyeme. Indidem, ſi voles, lavito, paulatim erit lorea familiæ, quod bibat. *Cato.*

Caro ut vermicularis videatur.

Liræ chordæ minutatim conciſæ, nuper excoctæ carni rejectæ, vermiculari videbuntur. *Porta.*

Caro ut ſanguinoſa videatur.

Leporis excoctum, & congelatum ſanguinem in pulverem verſum, ſuper carnem inſpergendo, ſanguinoſa videbitur caro, ut nauſeabundus ejicias, & multa, quæ guloſis relinquimus. *Idem.*

Ad facilè perferendam inediam.

Avicenna refert, quendam peregrè profecturum, libram unam olei violacei cum adipe mixti bibiſſe, & inediam abſque

absque ulla fame decem dierum ſuſtinuiſſe. Quod & oleum amygdalarum, ac adipem vaccinum, ex viſcedine præſtare idem tradit. *Avicenna.*

Contra Famem.

Peregrinationes & bella ſæpe hominem in inopiam rerum omnium conjiciunt, ita ut ingenti vehementique fame laborandum ſit. Quare non abs re fuerit, pauca contra hanc ſubjungere. Fame igitur dominante, omnium animalium jecur aſſatum, in penuria panis ſatiat magis. Item panis coctus ex amygdalis dulcibus & ſaccharo plurimum nutrit. Panis quoque nauticus, ſive biscoctus, eò quòd propter ſiccitatem ſitum minimè contrahat, & diutius reliquo incorruptus ſervetur, in hunc uſum circumferendus eſt. Legimus quoque quendam ruinis ædificiorum obrutum, cùm nullam vitæ ſpem reliquam haberet, ſeptem dies noctesque, ſolâ urinâ epotâ, famem ac ſitim tolerâſſe. *Rantzovius.*

Globuli contra famem.

Avicenna globulos contra famem compoſuit, qui ſunt conſervandi, ne Solis calore colliqueſcant,

Rec. Amygdalarum dulcium excorticatarum lib. j.
Adipis vaccini liquefacti lib. j.
Olei violarum unc. ij.
Mucilaginis, Radicis altheæ unc. j.

Terantur omnia ſimul in mortario, & fiant pilulæ, ſicut globuli nucis inſtar Italicæ.

DE POTU. CAP. VII.

Vinum corruptum ut emendetur.

SOlent corruptum vinum in vas mundum transferre, lactisque partem decimam ſenſim adjicere; inde poſt octo dies, reſerato vaſe, minutim vendere, cùmque clarum & bonum videatur, ſi tamen diutiùs moretur in calice, vel vaſe, denuò corrumpitur. Relinquit etiam, quod effuſum eſt, in calicis margine butyroſam pinguedinem, ob quam fraus detegitur. Eſt autem lucroſa fraus. Si tamen prohibere potiùs conſilium eſt, antequam conturbetur, ne putreſcat, decima pars Ardentis aquæ immixta efficit: melius longè ſulphur, ſed odore prodit dolum. *Cardanus.*

Vinum

Vinum corruptum ut emendetur.

Sed hoc loco in mentem mihi venit ſecretum multo argento œnopolis comparandum, quod gratis libenter illis impertiam. Si diſſectum in particulas Raphanum dolio vini immergas, fœtorem omnem, ac graveolentiam (ſi quæ inſit) ad hæc acorem in ſe recipiet, ac contrahet. Qui ne ibi tabeſcat, & vitium trahat, confeſtim eximendus eſt: & ſi opus fuerit, recens injiciendus. *Mizald. de Secret. hort.*

Vinum ne corrumpatur.

Ne vina corrumpantur, cutis vitis ſympathiâ, & quia exiccat, nec non alumen, dum novum eſt, & antequam ferveat, immixta, efficiunt. *Cardanus.*

Vinum corruptum ut reparetur.

Tacendum non eſt, quòd ſicuti è Braſſica vini ſapor in dolio facilè corrumpitur; ita odore Betæ, foliis ejus demerſis, facilè reparatur. *Mizaldus in Horto medico.*

Vinum pendulum quomodo corrigatur.

Vinum pendulum ſic corrigitur. Sumito ceræ virgineæ lib. j. vel quantum ſufficit, incidatur minutim, & in vino ponatur, & brevi tempore priſtinam ſuam naturam acquiret. *Ex lib. manuſcript.*

Ad vinum reparandum.

Vinum vitiatum reparabis, ſi in aliud dolium illud transfundis, quod priùs deraſum, & à fecibus deterſum fuerit, nec non decocto calido foliorum Lauri, Myrti, Hormini hortenſis, quæ noſtra eſt Orvalla, Juglandis, aut radicis Ireos, vel baccarum Juniperi, probè ac diligenter elotum. Ubi in uſum voles depromere, colorem ac ſaporem ſanè quàm gratum exhibebit. *Mizaldus.*

Aliud.

Vinum fœtidum & corruptum emendatur, ſi pro vaſis magnitudine, juſta portio mundi Tritici ex ſacculo in eo ſuſpendatur, & exinde retrahatur. Nam quidquid erit fœtoris, ad ſe alliciet, ac ita vinum ſincerum & clarum reddet. *Pictorius.*

Aliud.

Vinum perverſum ac turbidum ſic emendabis. Accipe aliquot ovorum albumina, quæ ubi diu ac multum agitaveris,

veris, & deſpumaveris, in dolium projice, & move. Idem aſſequeris, ſi per vetuſtos juglandium nucleos duodecim filo transfixeris, ſub cineribus coxeris, & dum adhuc calent, pendulos in vino demerſeris, tamdiuque demiſeris, donec ſolito colore accepto, vinum tibi arriſerit. Nam tum demum excludendi erunt. *Secretum hoc cujuſdam eſt œnopolæ.*

Ad tollendum vini acorem & corruptelam.

Acorem & corruptelam omnem ſic depones à vino. Accipe juſtam quantitatem cicerum, & ea oleo munge, coque, tere, ut fiat craſſamentum, velut maza & paſta. Ex ea projice libram mediam in vinum, quod tendit ad acedinem, & ſapor ille intra diem naturalem emendabitur. *Mizaldus.*

Ad vini acorem.

Vino, quod acorem conceperit, medetur ollula aquæ bonæ plena, (ut tradit *Tarentinus*) modò operta ſit diligenter, & in dolium vini demergatur. Poſt triduum enim ſi priſtinum robur reſumſerit, aqua olebit, & vinum perplacebit.

Vinum acidum ut emendetur.

Si vinum vehementer aceſcat, triticum tamdiu in aqua coquatur, donec criſpetur, inde poſtquam frigefactum fuerit, immittatur in vinum, concludaturque vas, modus eſt ex centeſima parte. *Card.*

Vinum ne pervertatur, præcantatio.

Si in vaſe hæc verba ſcribantur: GUSTATE, ET VIDETE, QUOD BONUS EST DOMINUS, vinum impoſitum, nunquam eo anno pervertetur. *Aphricanus.*

Vinum ne aceſcat.

Semen porri in vinum projectum efficit ne aceſcat: imò verò, ut acetum in vinum redeat, hoc eſt, acorem omnem exuat. *Petrus Creſcentius.*

Vinum aſperum lene fieri.

Vinum aſperum quod erit, lene & ſuave ſi voles facere, ſic facito. De ervo farinam facito lib. iv. & vini cyathos iv. conſpergito ſapa: poſtea facito laterculos. Sinito combibant noctem & diem, poſtea commiſceto cum eo vino in dolio, & oblinito dies 40. Id vinum erit lene, & ſuave, & bono colore, & bene odoratum. *Cato.*

Ad

Ad gravem Vini odorem.

Coci acetum ſuis obſoniis apio, & cellarii gravem odorem vino, in ſaccis eximere ſolent. *Plin.*

Vini pravus odor ut emendetur.

Tegulæ craſſæ & puræ partem calefacito igne, ſiccatoque inde reſti alligatam in vas immittito, concluſoque vaſe, poſt biduum experieris an ſit emendatum: aliter repetes: donec oportuerit. Et odore enim & duplici calore nil mirum eſt, præſertim repetendo ſæpiùs emendari. *Cato.*

Vinum ſi voles experiri, an duraturum ſit.

Vinum, ſi voles experiri an duraturum ſit necne, polentam grandem dimidiam acetabuli in caliculum novum indito & vini ſextarium de eo vino quod voles experiri, eodem infundito, impone in carbones, facito bis, aut ter, inferveat, tum percolato, polentam adjicito. Vinum ponito ſub dio. Poſtridie manè guſtato, ſi id ſapiet, quod in dolio eſt, ſcito duraturum. Si ſubacidum erit, non durabit. *Cato.*

Vinum ne aceſcat.

Lardum è vaſis operculo ſuſpende, pinguedine & ſalſedine prohibebit ſeparationem, & attenuationem, à quibus cauſis acetum generatur.

Ad Vinum corruptum.

Vinum corruptum ac glutinoſum lacte bubulo modicè ſalito reſtauratur. Sunt qui Calce, Sulphure, & Alumine id moliuntur, quo ne homini infeſta ſint, ac noxam inferant, Iridis radicem, & grana Juniperi commiſcenda ſuadeo. *Lemnius.*

Vinum per totum annum ut duret.

Muſtum ſi voles totum annum habere, in amphoram muſtum indito, & corticem oppicato, demittito in piſcinam, poſt xxx. diem eximito, totum annum muſtum erit. *Cato.*

Vinum album ut rubrum evadat.

Alba vina in rubra abſque ullo detrimento ſtatim convertes, ſi pulverem mellis ad lapideam conſiſtentiam decocti & ſiccati, in vinum album projeceris, & tranſvaſando miſcueris. Idem minore negotio præſtabit radix omnium Lapathorum, ſi recens vel ſicca in vinum mittatur. *Mizaldus.*

Vino ſapores, & odores diverſos quomodo concilies.

Herbæ, ſemina, aut aromata quævis infunduntur in aquam ardentem per horas viginti quatuor, ſic vis illorum extrahetur. Tum aquæ ſic imbutæ modicum vino bibendo miſcebitur. *Euonymus.*

Ut Vinum palato arrideat, atque odore & colore gratum ſit.

Malum Medicum, ſeu Malum Citrium Caryophyllis undique ſtipatum cado inſeras ita, ne vinum attingat: nullum nec vapidum nec mucidum ſaporem contrahet. *Alexius.*

Vinum novum turbidum, ut citò fiat clarum.

Raſuræ latæ ſubtiles, levis nemoris Fagi, quæ fiunt cum aſcia, ſeu cum inſtrumento applanante lignorum inæqualitatem, ponantur in vaſe, & duobus diebus clareſcit. *Idem.*

Ut neque tonitrua neque fulgura pervertant Vina.

Ferri lamina, cum ſale, aut ſilicibus doliorum operculis impoſita, noxam à fulgure & tonitru detrahunt. *Idem.*

Muſtum ne ebulliat.

Ex Pulegio, vel Origano coronam confice, & collo vaſorum circumpone. Vel interiora doliorum labia lacte vaccino perunge, detinebit enim intus bulliens muſtum. *Idem.*

Ut Vinum novum vetus fiat.

Rec. Meliloti unc. j.
Glycyrrhizæ,
Nardi Celticæ, ſing. unc. iij.
Aloës hepaticæ unc. ij.
Contundantur & miſceantur cum vino. *Euonymus.*

Vinum ne florem habeat.

Oenanthem ſiccatam in Vinum inſpergito, aut farinam Ervi Vino admiſceto. Ubi verò infrà ſeceſſerint flos & farina, vinum in aliud vas transfundito. *Alexius.*

A vino aqua quomodo ſegregetur.

Vas ex hedera conficiatur, vinum injicias, & ſi qua miſta fuerit aqua, brevi tempore foras exſtillabit. *Idem.*

Vinum ab aqua quomodo ſeparetur.

Liquidum alumen in Vini dolium mittito, deinde ſpongia

gia uncta oleo vasis os obstruito, & inclinans effundi sinito, & effluet solùm aqua. *Idem.*

Aliter.

Licia vel penicilli ex gossipio, vino in dolio immergantur, ut superemineant: ab ea enim aqua secernitur.

Vinum an habeat admixtam aquam.

Mala vel Pyra sylvestria vino immergantur, si perfluitantia supernataverint, meri; si verò merguntur, diluti indicium est. Vel Canna græca, vel palea, vel simile aliquid oleo inungatur, deinde in vinum ponatur, & extrahatur, quòd si guttæ aliquæ adhærent, aquam habet. *Democritus, Florentinus, & Sotio.*

Vinum an aquâ sit infuscatum.

Si voles experiri an musto remixta sit aqua, ovum imponito: si statim descendit, aquosum est: sin contrà, purum. Præterea, si vini in dolio ferventis impetum frangere voles, minimam casei particulam in illud projice, vel immitte, videbis rem miram. Cur autem id fiat, docebit *Georgius Valla Placentinus.*

Ut Aqua Vino mixta supernatet.

Sanguis gallinacei galli siccatus, pulveratus, & vino aquâ diluto mixtus, aquam supernatare cogit. *Ex relatione cujusdam Monachi.*

Ad Aquam à Vino secernendam.

Scirpus siccatus & vino lymphato immissus, quidquid inest aquosi ad se rapit, relicto vino. Quod ad explorandа vina dilutiora erit, ac utile. *Mizaldus.*

Ut Vinum reddatur gratissimum.

Vinum palato arridebit, & cum odore tum colore perplacebit, si Malum medicum, seu citrium Caryophyllis undique compunctum & armatum ita in dolio suspendatur, ne vinum attingat. Sic enim nullum saporem vapidum, aut mucidum contrahet.

Ne Vinum vappescat.

Oleum Vino, vel alterius generis liquori superinfusum, præpedit ne vappescat, aut corrumpatur. Nam omnis halitus, qui putredinem inferre posset, unà cum externo aëre, veluti quodam tectorio, excludit. *Plin.*

Aliud.

Si deſit commoditas æſtivis menſibus vinum in ſubterraneas, & profundas apothecas mittere, prohibebis ne vappeſcat, detrudendo in ejus dolium lardi, & ſuillæ carnis ſalſæ ſeſquilibram lino involutam, aut majorem capacitatem, pro vaſis capacitate. Sed ita ut dum unum depromis, id unâ ad fundum uſque deſcendere patieris, donec vas exhauſtum ſit. Fiet ita, ut nec vinum à ſe degeneret, nec vappeſcat. *Lemnius.*

Ad Vini fervorem citò reſtinguendum.

Theophraſtus ſcribit, quòd ſi quis bullientem vini urceum pumicem injecerit, illius fervorem ſtatim ſedabit.

Ad Vinum refrigerandum.

Ne vinum æſtivis menſibus, & per Caniculæ incendia, citò in congiis & amphoris vappeſcat, ſed ſuave ſit, ac ſummè frigidum: collocentur vaſa œnophora in labro aquâ frigidâ oppleto, deinde ſalpetræ, aut nitrum illi inſpergatur. Tantâ frigiditate vinum imbui continget, ut vix dentes ferre poſſint. *Lemnius & Langius.*

Vinum Græcum ut fiat.

Qui ager longè à mari aberit, ibi vinum Græcum ſic facito: Muſti quadrantalia 20. in ahenum, aut plumbum infundito, ignem ſubdito, ubi bulliet vinum, ignem auferto, cumque vinum refrixerit, in dolium quadragenarium infundito, ſeorſim in vas aquæ dulcis quadrantal. j. injicito ſalis M. j. ſinito muriam fieri. Ubi muria facta erit, eodem in dolio infundito Schœnum, & Calamum in pila contundito, cujus ſextarium unum eodem in dolio infundito, ut odoratum ſiet. Poſt dies 30. dolium oblinito. Ad Ver diffundito in amphoras: Biennium in Sole ſinito poſitum eſſe: deinde in tectum conferto. Hoc vinum deterius non erit, quàm Coum. *M. Cato.*

Vinum Coum ut fiat.

Vinum Coum ſi voles facere, aquam ex alto marinam ſumito, mari tranquillo, cùm ventus non erit, dies 70. ante vindemiam, quo aqua dulcis non perveniet. Ubi hauſeris de mari, in dolium fundito, nolito implere, quadrantalibus quinque minus ſit, quàm plenum: operculum imponito, relinquito, quo interſpiret. Ubi dies triginta præterierint, transfundito in alterum dolium puriter & leviter: relinquito in imo quod deſederit, poſt dies viginti in alte-

alterum dolium idem transfundito: ita relinquito uſque ad vindemiam. Unde vinum Coum facere voles, uvas relinquito in vinea: ſinito, benè coquantur, & ubi pluerit, & ſiccaverit, tum deligito, & ponito in Sole biduum, aut triduum ſub dio, ſi pluviæ non erunt: ſi pluvia erit, in tecto in cratibus diligenter exponito, & ſi qua acina corrupta erunt, depurgato. Tum ſumito aquam marinam q. ſ. in dolium quinquagenarium infundito aquæ marinæ Q. X. Tum acina de uvis miſcellis decerpito, de ſcopio, in idem dolium, uſque dum impleveris manu comprimito, ut combibant aquam marinam, ubi impleveris dolium, operculo operito, relinquito, quâ interſpiret. Ubi triduum præterierit, eximito de dolio, calcato in torculari, & vinum condito in dolia lauta, & pura & ſicca. Ut odoratum benè ſiet, ſic facito: ſumito teſtem picatam: eo prunam levem indito ſuffito, ſerta & ſchœno & palma quam habent unguentarii, ponito in dolio, & operito, ne odor exeat, antequam vinum indas. Hoc facito pridie, quàm vinum infundere voles, de lacu quàm primùm vinum in dolia indito, ſinito dies 15. operta antequam oblinas, relinquito, quâ inſpiret vinum. Poſtea oblinito. Poſt dies xl. infundito in amphoras, & addito in ſingulas amphoras ſapæ ſextarium unum. Amphoras nolito implere nimium anſarum infimarum vini, & amphoras in Sole ponito, ubi herba non ſiet, & amphoras operito, ne aqua accedat, & ne plus quatriduum in Sole ſiveris. Poſt quatriduum in culleum componito, & inſtipato. *M. Cato.*

Ut Vinum malvatici guſtum præ ſe ferat.

Flore hortenſis Hormini, & ſemine in dolio vini poſito, dum adhuc fervet, tanta gratia ipſi vino conciliatur, ut Cretici, aut malvatici guſtum præ ſe ferat. Arrigite aures œnopolæ, ſed neminem obſecro veſtris improbis miſcellaneis defraudate. *Mizaldus in Horto medico.*

Vinum Borraginatum utile melancholicis, & cardiacis lætitiam affert, amentias tollit, &c.

Rec. Florum Borraginis quantum volueris, ponantur in muſto novo uſque ad perfectam depurationem: deinde poſtquam conſederit, in aliud vas ſenſim fundatur, & ad uſum ſervetur. *Arnoldus Villanovanus.*

Vinum ex Halicacabi granis educit materiam calculosam à renibus & veſica manifeſtè, & urinam retentam ducit.

Rec. Granorum Halicacabi contritorum, quantum ſatis eſt, coletur vinum calidum, vel frigidum ſuper ipſa aliquoties, donec ſaporem & vim eorum recipiat, ſaccharo vel melle condiatur. *Arnoldus & Dioſcor.*

Vinum Cydonites prodeſt ſtomacho, dyſenteriæ, hepaticis, renum vitiis, difficultati urinæ, adſtringit, &c.

Rec. Malorum cotoneorum mundatorum, & inciſorum lib. xij. ponantur in Muſti cadum per xxx. dies; deinde reponatur. *Alexius.*

Vinum Hippocraticum.

Rec. Corticis cinnamomi interior. drach. vj.
Zingiberis unc. dimidiam.
Nucis moſchatæ drach. ij.
Caryophyllorum,
Granorum Paradiſi, ſing. drach. j.
Cardamomi, ſcrup. js.
Piperis,
Calami aromat.
Coriandri præparati, ana ſcrup. j.
Vini optimi lib. iix.
Sacchari albi q. ſ. eſt.

Pulverizanda pulverizentur, deinde miſceantur, & colentur ſecundùm artem. Cæterùm hoc vinum lacte amygdalarum clarificari poteſt. *Euonymus.*

Aliud ad Imbecillitatem ſtomachi.

Rec. Cinnamomi electi unc. ſem.
Zingiberis albi drach. ij.
Caryophyllorum,
Piperis longi,
Nucis moſchatæ, ſing. ſcrup. ij.
Sacchari albi lib. dimidiam.

Omnia benè trita in meri albi menſuris tribus commiſceto, ac percolato. *Idem.*

Aliud.

Rec. Cinnamomi electi unc. j. ſem.
Zingiberis unc. dimidiam.

Caryo-

Caryophyllorum drach. ij.
Galangæ drach. j.
Granorum paradiſi drach. js.
Vini rubri menſuras js.

Miſce, & coletur ſecundùm artem, lacte Amygdalarum clarificando. *Alexius.*

Vinum Hippocraticum facili ratione.

Rec. Cinnamomi electi unc. ij.
Zingiberis unc. j.
Carpeſii unc. dimidiam.
Sacchari albi lib. ſem.

Trita hæc omnia in fiſcum ponantur, & ex eo vini optimi menſuræ duæ liquentur aliquoties, ut vinum tranſeundo quantitates eas combibat. *Idem.*

Vinum Hippocraticum laxativum, contra Quartanam, Quotidianam & Tertianam nothas; concoquit & præparat humores, & eoſdem mox per alvum educit.

Rec. Cinnamomi electi,
Paſſularum, ſing. unc. dimidiam.
Zingiberis,
Zedoariæ,
Caryophyllorum,
Maſticis, ſing. unc. j.
Polypodii drach. iv.
Epithymi drach. vj.
Eſulæ drachm. j.
Sacchari, quantum ſatis eſt.

Miſce, & confice ſecundùm artem, fiat potus & benè ſervetur ad uſum. *Euonymus.*

Vinum Hippocraticum cum aqua ardente.

Rec. Cinnamomi electi unc. ij.
Zingiberis unc. dimidiam.
Granorum Paradiſi,
Piperis longi, ſing. drach. j. ſ.
Caryophyllorum drach. j.
Nucis moſchatæ drach. dimid.

Trita omnia in vas aquæ ardentis ter quatérve deſtillatæ, plenum & clauſum per quatuor dies ponantur, & bis aut ter quotidie agitentur, demum coletur, & ſervetur. Hujus

mediocre cochleare plenum immittes in generoſi vini rubei menſuram & ſacchari libra addatur. Si tamen vinum dulce ſit, ſaccharo opus non eſt. *Euonymus.*

Malvatici apparatus.

Rec. Galangæ optimæ,
Caryophyllorum,
Zingiberis,
Macis, ſing. drach. j.

Hæc omnia craſſiuſculè trita in vaſe ligneo, benè operculato, infuſa in aqua ardente relinquito horis 24. deinde in linteo ſuſpendito ex filo in vas capax ſommæ ut vocant, aut dimidiæ ſommæ vini clari per tres dies. Et habebis vinum tam bonum & forte, quàm ipſum nativum malvaticum. *Idem.*

Vinum malvaticum.

Rec. Moſchi,
Agallochi ſing. drach. j.
Cinnamomi,
Cardamomi,
Caryophyllorum, ſing. drach. ij.
Sacchari candidi unc. dimid.

Contundantur leviter, & in ſacculo in vino ſuſpendantur. *Idem.*

Vinum de Romania.

Rec. Cinnamomi electi,
Succi glycyrrhizæ, ana drach. ij.
Aniſi drach. j.
Macis drach. dimidiam.
Sacchari drach. iij.

Hæc omnia trita craſſiuſculè in ſacculo ſuſpende in vino.

Vinum Græcum.

Rec. Zingiberis,
Galangæ ſingul. lib. dimid.
Granorum paradiſi,
Caryophyllorum, ſing. unc. iij.

Redigantur in pulverem non tenuiſſimum, deinde in ſacculo ſuſpendantur in dolio vini mediocri (in ein Fuder) *Euonymus.*

Vinum muſcatellum.

Rec. Glycyrrhizæ,

Poly-

Polypodii,
Aniſi, ſing. drach. ij.
Nucis moſchatæ, drach. iij.
Calami aromat. drach. j.
Terantur leviter, & in ſacculo ſuſpendantur in vino. *Idem.*

Vinum ſapore Rhætici.

Rec. Cinnamomi,
Zingiberis,
Caryophyllorum ſing. drach. dimidiam.
Craſſiuſculè trita miſceantur: deinde linteolo illigentur, & in vaſe vitreo, aquæ ardentis pleno, atque optimè obſtructo, per horas duodecim ſuſpendantur. Cùm uti volueris, linteolum exprime in magnum aliquod poculum vitreum, cui infundendum eſt vinum, ita ut latera poculi aromatica illa aqua ardente conſpergantur, ut liquor in fundum expreſſus, inclinato poculo latera undique madefaciat. Deinde vinum infunde, quod habebit ſaporem Rhætici vini. *Idem.*

Vinum Zedoarticum.

Rec. Cinnamomi unc. iij.
Caryophyllorum,
Nucis moſchatæ,
Granorum paradiſi,
Cardamomi, ſing. unc. dimidiam.
Zedoariæ drach. vj.
Cubebarum,
Piperis longi, ſing. unc. ij.
Contundantur craſſiuſculè, & in ſacculo, in menſura vini, quæ vulgò Oma vocatur, ſuſpendantur. *Idem.*

Claretum.

Rec. Cinnamomi unc. ij.
Galangæ,
Zingiberis, ſing. unc. j.
Granorum paradiſi,
Piperis longi, ſing. drach. j.
Caryophyllorum drach. ij.
Mellis lib. j. ſem.
Sacchari lib. vj. vel viij.
Vini albi menſ. xvj.

Pulverizanda pulverizentur, deinde miſceantur, & aliquoties colentur, cum albuminibus ovorum clarificando. *Idem.*

Claretum.

Rec. Cinnamomi unc. j.
Zingiberis,
Granorum paradiſi, ſing. drach. j. ſem.
Caryophyllorum drach. ij.
Coriandi præparati drach. iij.
Sacchari albi unc. iv.

Omnia trita & colata, reſerventur in vaſe ſtanneo. *Idem.*

Aliud.

Rec. Cinnamomi unc. dimidiam.
Caryophyllorum drach. j.
Zingiberis unc. ij.
Sacchari albi lib. dimidiam.
Mellis unc. j.
Vini albi menſ. iij.

Miſceantur, & fiat Claretum ſecundùm artem. *Idem.*

Aliud.

Rec. Cinnamomi electi unc. j.
Zingiberis unc. dimidiam.
Galangæ,
Caryophyllorum,
Granorum paradiſi, ſing. drach. ij.
Croci drach. j.
Mellis opt. deſpumati lib. ij.
Vini optimi menſ. ij.

Omnia trita per ſacculum colabis, cujus pars ſuperior linea ſit, inferior lanea. Hoc vino, ſi mulier uti debeat, aut delicatus aliquis, pro melle ſaccharum pones. *Idem.*

Claretum laxativum.

Rec. Cinnamomi unc. j.
Galangæ drach. vj.
Eſulæ,
Turbith,
Pilularum Hermodact. ſing. drach. dimidiam.

Redigantur in pulverem, & fiat Claretum cum melle, ſaccharo & vino ſecundùm artem. *Idem.*

Vinum

Vinum ſaccharatum, ſenibus frigidis & debilibus convenit, & quibus humor nativus, & calor naturalis minuitur. Nutrit enim, & ſanguinem generat, & replet partes principales ſpiritibus.

Rec. Vini Malvatici,
Sacchari albiſſimi, ſing. lib. iv.

Coquantur ad lentum ignem uſque ad ſyrupi conſiſtentiam: deinde ad uſum ſervetur. Uſus ejus eſt, cum duabus aquæ partibus. *Idem.*

Vinum ut alvum bonam faciat.

Vinum ſi voles concinnare, ut alvum bonam faciat, ſecundùm vindemiam, ubi vites ablaqueantur, quantum putabis ei rei ſatis eſſe vini, tot vites ablaqueato, & ſignato, earum radices circumſecato, & purgato. Veratri radices contundito in pila, eas radices dato circum Vitem, & Stercus vetus, & Cinerem veterem, & duas partes terræ circumdato, radicibus vitis terram inſuper injicito. Hoc vinum ſeorſim legito. Si voles ſervare in vetuſtatem, ad alvum movendam ſervato, nec commiſceas cum cætero vino. De eo vino cyathum ſumito, & miſceto aquam, & bibito ante cœnam. Sine periculo alvum movebit. *M. Cato.*

Vinum ad alvum movendam.

Vinum ad alvum movendam concinnare ſi voles: vites cùm ablaqueabuntur, ſignato rubricâ, ne admiſceas cum cætero vino. Tres faſciculos Veratri circumponito circum radices, & terram inſuper injicito. Per vindemiam de iis vitibus, quod delegeris, ſeorſum ſervato, cyathum in cæteram potionem indito: alvum movebit, & poſtridie purgabit ſine periculo. *Idem.*

Vinum ad alvum movendam.

In Vinum muſtum veratri atri manipulum conjicito in Amphoram, ubi ſatis efferbuerit, de vino manipulum ejicito. Id vinum ſervatur ad alvum movendam. *Cato.*

Vinum ad lotium.

Vinum concinnare, ſi lotium difficilius tranſibit, Capreidam, vel Juniperum contundito in pila, libram indito in duob. congiis vini veteris: in vaſe aheneo vel in plumbeo defervefacito. Ubi refrixerit, in lagenam indito. De hoc mane jejunus cyathum ſumito, proderit. *Idem.*

Vinum

Vinum ad tormina, ſi alvus non conſiſtat.

Ad tormina, ſi alvus non conſiſtat, & ſi tineæ & lumbrici moleſti erunt, 30. mala punica acerba ſumito, contundito, indito in urceum, & vini nigri auſteri congios tres; vas oblinito, poſt dies 30. aperito, & utitor: jejunus heminam bibito. *M. Cato.*

Ad Dyſpepſiam & Stranguriam.

Ad Dyſpepſiam & Stranguriam mederi malum punicum, ubi florebit colligito. Tres minas in amphoram infundito; Vini qu. c. veteris addito, & Fœniculi radicem puram contuſam minam. Oblinito amphoram, & poſt dies xxx. aperito, & utitor. *M. Cato.*

Ad Vinum ementiendum.

Flos Amaranthi in aqua maceratus vinum ementitur, grata febricitantibus impoſtura. *Mizaldus in Horto medico.*

Ne quis à vini potu oleat.

Iris troglodytis manducetur, & vinum potatum non exhalabit. *Alexius.*

Ut quis citò inebrietur ſine nocumento.

Lignum Aloës Indum infundatur in vino, aut coquantur cortices Mandragoræ in aqua, donec rubeat, & diluatur vinum ex eâ. *Alexius.*

Ut ex multo vini potu quis non inebrietur.

Rec. Succi caulium alborum,
Succi granatorum acrium, ſing. unc. ij.
Aceti unc. j.

Bulliant ſimul aliquandiu, & fiat ſyrupus, de quo ſumatur unc. j. antequam bibatur. Vel Amygdalæ amaræ quinque vel ſeptem à jejuno comedantur. Pulmo caprinus vel ovis aſſatus, & comeſtus, & ſemen Caulium, & Abſynthium, & Sal naphticus, & Amethyſtus geſtatus, omnia hæc ab ebrietate præſervant. *Idem.*

Vini hauſtu nimio ne inebrietur accumbens.

Potator vini non inebriatur, ſi Chamæpytios, vel Hederæ ramulis fuerit coronatus: vel ſi initio cœnæ crudæ Braſſicæ quatuor vel quinque cymata comederit. Hirundinis roſtri cinis, vel Hirundinum combuſtarum pulvis in vino

vino potatus cum myrrha, in æternum non ſinit inebriari. Idem facit ſuccus foliorum Perſici expreſſus, & cyathus jejunè ſumtus. *Idem.*

Ut ebrii rurſum ſobrii fiant.

Sobrios reddit ebrioſos Acetum affatim hauſtum, & Braſſica comeſta, & dulciaria ex melle ac Placentæ. *Idem.*

Ne quis ebrietatem ſentiat.

Qui caprinum pulmonem toſtum ederit, ebrietatem non ſentiet, etiamſi bibendi certamine provocetur. *African.*

Vinoſos abſtemios reddere.

Multi ſunt, cùm vinum liberaliùs hauriant, ut nil eis pernicioſius ſit, ſed in morbos, denique in mortem incidant: at eos aſpernari, & abhorreſcere ſi voles, & Clitorius fons longè abeſt: Anguillas tres, vel quatuor vino immerſas ſinito, dum emoriantur: ebrioſo vinum propinato, & pertædeſcet, ſemperque oderit, nec ampliùs bibet, vel quam minimè modeſtius degens. Mullum quoque vino ſuffocatum (Athenæus memoriæ prodidit) ſi protinus à viro abſumatur, Veneris impediendæ poteſtatem habere: ſi à muliere, nunquam eam concipere. *Porta.*

Vinoſos abſtemios reddere, aliter.

Obſervato, ubi noctua niduletur, illius ova præripias, elixata infanti in comeſſatione præbeto, ſemper inde vina peroſuro. *Jarcas.*

An futura ſit Vini copia.

Upupa ſi cecinerit antè quàm vites germinent, futuram vini copiam præſagire ajunt. *Mizaldus.*

Cereviſia ut per totum annum incorrupta & integra maneat.

Cereviſia, apud Germanos, quæ Martio fit menſe, ſine vitio per totum ſervatur annum. *Cardan.*

Ad langueſcentem Cereviſiam.

Cereviſiam ubi à genuino ſapore degeneravit, aut ubi langueſcit, medicatis odoratisque rebus reſtituimus, ac ſaporis gratiam conciliamus, nempe Iridis radice, Zingibere, Nuce myriſtice, ſeu moſchata, Caryophyllis, Lauri baccis, ejuſque aridis foliis, Calamo odorato, Origano, Betâ. *Lemnius.*

Aqua lactis fontanæ ſimilis.

Aqua lactis fontanæ perſimilis ſic habetur: fervefactæ veſpe-

veſperi Acetum album, aut Aurantii ſuccum, aut Omphacium inſpergito: ſed cave ne bulliat, pòſt linteo in ſacculi formam conſuto, ac ſpiſſiore percolato: turbida primùm exibit; id verò ſæpiùs cùm repetieris, ut aqua fontis tandem exibit. *Cardanus.*

Acetum ut fiat acre.

Quarta aut quinta pars aceti ad ignem fervefiat, deinde reliquo addatur, & ad Solem per dies octo exponatur, & acerrimum & jucundum erit. Cæterùm Graminis radices vetuſtæ, & Uvæ paſſæ, & Pyri ſylveſtris folia contuſa, & Rubi radix, & Lactis ſerum, & Glandes uſtæ, Prunæ ignitæ, & Cicerum decoctum, & Teſtæ ignitæ, ſingula ex his in acetum conjecta, ipſum acre faciunt. *Alexius.*

Ut illicò forte reddatur Acetum.

Acetum validum & forte illicò reddes, ſi in illud recentis hordeacei Panis fruſtula injicias; nam intra biduum valdè aceſcet. *Mizaldus.*

Vinum ut illicò in Acetum vertatur.

Si illicò velis convertere Vinum in Acetum, projice in illud Sal cum Pipere & Fermento ſubacido confuſum, & id celerrimè præſtabit. Si properantiùs perfici velis, Laterem aut Chalybis partem ignitam, ſemel atque iterum in vas demerge: aut Raphani radices, vel immatura Meſpila, Corna, Mora, aut Prunula. Idem etiam præſtabit Violæ altilis, quæ Caryophyllata dici ſolet, flos ſpectatiſſimus vino immiſſus. *Porta.*

Acetum ut ſubitò fiat.

Si Acetum ſubitò facere voles, tuſam Betæ radicem in vinum conjicies, poſt horas tres in Acetum degenerabit. *Mizaldus.*

Ut Acetum Vini naturàm adſciſcat.

Ut Vinum ſubacidum, aut Acetum Vini naturam adſciſcat, Porri ſemine effeceris, aut injectis Pampinis, ac Capreolis vitis. *Lemnius.*

Acetum ut fiat arte.

Acetum fit ſale impoſito, & re quâcunque acri, quæ putreſcat (expertus ſum ego Piper) lucro ingenti ſi Siliquaſtrum ſervetur. Fit & igne: cùm enim fervet, inde expo-

exponitur Soli, aceto jam admixto, totum facilè aceſcit. *Cardanus.*

Acetum ut ex aqua fiat.

Pyra agreſtia triduo ſervantur in cumulo, inde aqua ſuperfunditur pauca, ſingulisque diebus uſque ad dies xxx. Licet etiam poſt hæc repetere: nam ſublatâ dulci parte, tum putredinis auxilio aqua in acetum tranſit. Dactyli enim & Caricæ, & Uvæ expreſſo dulciore ſucco, inde aquâ additâ, primò quidem ac ſecundò Vinum, tertiò verò Acetum acerrimum detrahitur. *Cardanus.*

Contra Sitim ex calore.

Contra Sitim ex calore provenientem; detineantur in ore Cryſtalli, Corallia, Argentum, Saccharum candidum, aut Silex, qui aliquandiu in frigida aqua fontana jacuit. Julepus etiam roſarum, & violarum cum aqua. Imo quoque radix Glycyrrhizæ recens è terra evulſa, & manducata, ſive ex aqua pota, ſitim ſedat. Quemadmodum & vigiliæ extinguunt ſitim à calore ortam; ſic ſomnus ortam à ſiccitate. Frigidâ etiam aquâ os colluere prodeſt. Fici recentes ſitim levant, caloremque refrigerant. Nuclei nucis Pineæ, Portulacæ folium linguæ ſubditum, Fraga, Pyra, Pruna, Ceraſa, Malorum cydoniorum grana, Lactucæ & Cucumeris ſemina ad minuendam ſitim ſunt præſtantiſſima. Perfuſus aquâ frigidâ panis, & cum vino ſumtus contra ſitim prodeſt. Vinum refrigeratur, ſi in aquam frigidam unà cum cantharo collocetur, panisque toſtus in aquam fontanam frigidiſſimam immittatur, cui poſtea inde exempto vinum infundatur, illudque hoc modo bibatur, aquâ interim ſæpiùs permutatâ.

DE VENERE.

CAP. IIX.

Veneris in caſtris fortiter militare.

SI quis Veneris in caſtris fortiter militare vult, tali muniatur cibo, præcipuè bulbis: Omnes enim Venerem ſtimulant. Sic Eruca largè ſumta, Cicer, Cepæ, Paſtinaca, Aniſum, Coriandrum, Pinearum nucum nuclei. Deinde Satyrion largè movet ſemen, & fortiùs venerea in re adſtat, & mulieribus inde libido acriùs excitatur, Veneriſque urtica eſt. Sique nobis eſſet herba illa, quam Indus attulerat

(cujus

(cujus meminit Theophraſtus) ut non ſolùm edentibus, ſed tangentibus jam genitalibus adeſt vis, quæ increſceret, ut valerent quoties coire vellent, & ea uſi fuerant, duodecies perfeciſſent, illum autem ad ſeptuageſimum coitum perveniſſe affirmat, ut tantum guttatim eſſet ſpermatis emiſſio, & in ſanguinem deveniret. Unde ſi ex omnibus vel aliquibus Venerem vis ciere, tali remedio utere: Satyrii ſumito radices, Pineæque nucis nucleos, Aniſum & Erucam, ut æquali certent pondere, Scincorum medietat. Moſchi parum, ſi electo & deſpumato melle conficiantur, nec removendum Paſſerum cerebrum, Ornogloſſum, ſylveſtris Eruca, & iis ſimilia. Si quis autem certando vellet mulieris ſemen movere, coli glandem, Moſchi, & vulgò dicti Zibeti, Caſtorei, Cubebarum, & Olei benè aſpergine irrigato, vel horum unum: coëuntes enim largè movent. Uterque autem ſic delectabitur, longum Piper, Pyretium, Galanga contundantur, pulveris puſillum cum Melle conficiatur, eoque utantur. *Joan. Bapt. Porta.*

Ad Venerem excitandam.

Mirum eſt, quòd digitus magnus dextri pedis, cinere Stellionis cum oleo, vel melle inunctus, latè ſufficere poteſt iis, qui ætate, vel aliter, mortuum ferè habent penem, & rebus venereis peragendis parum ſunt idonei. Authores ſunt priſci illi rerum naturæ indagatores ſolertiſſimi, cum pleriſque recentium.

Ad Venerem fœminis excitandam.

Si teſtes Anſerum, menſibus ſedatis illicò à muliere comedantur, non ſolùm ad excitandam libidinem conferre dicuntur, ſed etiam ad ſobolem procreandam. Idem etiam effici ab utero leporis lectum eſt. *Rhaſis & Albertus.*

Ut mulier virum ſuum admittat.

Quando mulier non vult virum ſuum admittere, tunc accipiat vir ejus aliquid de ſebo Hircorum mediorum inter parvos, & magnos, & liniat cum eo priapum ſuum, & coëat: ipſa enim amabit eum, nec coibit poſtea cum aliis. *Albert.*

Ut mulier viro ſuo delectetur.

Si mulier non delectetur cum viro ſuo, accipe medullam Lupi de pede ſiniſtro, & porta eam, & nullum diliget præter te. *Idem.*

Ad

Ad Venerem augendam.

Rec. Caſtanear. vino Cretico maceratar, deinde coctar. num. xx.
Satyrionis num. x.
Pinearum mundat. unc. iv.
Scincorum num. ij.
Amygd. dulc. rec. exc.
Piſtaciarum ana unc. iv.
Sem. Erucæ unc. ij.
Cubebarum unc. j.
Cinnamomi unc. ſem.
Sacchari unc. xij.
Fiat Electuarium. *Ex lib. manuſcript.*

Ad Venerem augendam.

Rec. Caſtanearum in vino optimo coctarum n. xx.
Piſtacearum mundat. unc. iv.
Scincorum n. ij.
Satyrionis n. x.
Cinnamomi electi unc. ſem.
Sem. Caulium drach. vij.
Cubebarum unc. j.
Sacchari albiſſimi, qu. ſufficit.

M. fiat Electuarium, de quo ſumat æger ad caſtaneæ quantitatem, ante vel poſt cœnam. *Roſcellus.*

Aliud Ejuſdem ad idem.

Rec. Sacchari albiſſimi unc. iv.
Piſtaciarum unc. j.
Zingiberis drach. ij.
Piperis longi drach. j. ſ.
Scincorum drach. ij.
Pinearum mundatarum unc. v.
Contundantur optimè, miſceantur, & fiat Electuarium.

Tabulæ ad idem.

Rec. Cinnamomi, Zingiberis, Piperis.
Sem. Naſturtii, ſem. Erucæ, Sinapis ſing. drach. ſ.
Linguæ avis, ſem. Cœpæ, Scincorum, ana ſcrup. j.
Sacchari albiſſ. in aqua roſ. diſſoluti unc. iv.
Fiat confectio in Morſellis. *Roſcellus.*

Ut mares vel fœminæ gignantur.

Plantæ Mercurialis maſculæ (nam in marem & fœminam diſcriminant) decoctum, vel ſuccus diebus quatuor à primo purgationis die mulieribus bibitus, procreandi maris vim utero confert: Fœminæ verò Mercurialis, ſimilis ſuccus totidem diebus, pariqúe modo aſſumtus gignendæ prolis Fœminæ vires ſuppeditat, ſi ceſſantibus menſtruis & compoſito utero, vir & mulier debitè congrediantur, & mutuo amplexu concaleſcant. *Dioſcor.* & *Plin.*

Ut mulieres pulchros pariant filios.

Hinc ſolerti evenit ex cogitatu, quonam pacto mulieres pariant filios: prodidit *Empedocles* mulieris in conceptione viſionem fœtum conformare; nam ſubinde imagines & ſtatuas adamarunt mulieres, quibus ſimiles fœtus ediderunt, & ſæpè ſcriptis proditur, mulieres nigros & villoſos peperiſſe filios: & cauſam homines rimati, quæ multa divexa vera ingenia, picturas in parietibus reperiêre ex adverſo exiſtentes, quibus fœminæ dum venereo fungerentur munere, oculi detinebantur, eaque cogitatione animus affectus, ſimiles fœturas referebant. Unde quod uſu venit, memoriæ mandandum judico, & quòd maximè ſalutare remur eſſe, & ſæpè occurrens omnibus præcepi, ut in earum conſpectu, Cupidinis, Adonis & Ganimedis effigies pendeant, vel è materiâ parentur ſolidâ, inde Venerem exercentes mulieres, animo verſent, ut fortiſſimâ imaginatione animus rapiatur, & gravidæ diutiùs contemplentur, & partus inde genitus eum imitabitur, quem ipſæ coëuntes, mente conceperint: nec parum id profuturum ſcio. Cùm id ſæpiùs præcepiſſem, audivit mulier, ſtatimque candidum marmoreum puerum, beneque formatum ante oculos ſibi propoſuit: talis enim exoptabat formæ puerum coëundo, & uterum gerendo, quàm ſæpiſſimè animo eum devolvebat, enatumque poſtea fœtum oſtendit mater obeſulum, nec illi marmoreo ſimulachro diſſimilem, ita pallentem, ut verum imitaretur marmor: & veritatis experientia patuit, aliquæ artificio ſunt laudatæ, ſucceſſusque fovit. Ne ſint præterea inordinati coitus, néve in latera, ſurſumque fiant: plerisque enim hoc in cauſa fuit, ut diverſa orirentur monſtra. *Porta.*

Quo-

Quomodo diſcolores, & pulchri fœtus gigni debeant.

Magnus eſt animi effectus, vel vis imaginationis : maximus verò dum ſui in exceſſum fertur, ut id aſſequi cogitatione minimè queas. Gerentes uterum mulieres, cùm avidiſſimè cupiunt, vehementer excogitant, ſpiritus immutant interiores, & in his excogitatæ rei pinguntur imagines, ii ſanguinem movent, unde in molliſſima fœtûs materia rei imagines exprimunt: ſic partus in perpetuum maculis variiſque notis inficiunt, niſi deſiderio refricato quieſcant. Ideò non impunè rerum exploratores exquiſivêre, ita ſignari fœtus, uti cogitat anima, & maximè in præcipuis actionibus, ut in maris congreſſu, ſpermatis ejectione, & aliis. Ideò homini cùm inſit cogitationis velocitas, animique celeritas, & ingenii varietas multiformes imprimit notas: plures idcircò in homine, quàm in cæteris animalibus differentiæ : aliis enim cùm immobiles ſint animi, ſingulis in ſuo genere Similia procreandi datur facultas. Hanc animi & cogitationis vim rectè novit Jacob, uti ſacræ teſtantur literæ.

Monſtra quomodo gignantur, & de mira vi putrefactionis.

Nec ita facilior dabitur monſtra producendi modus, quàm è ſupradictis. Si quis autem id ſummoperè affectârit, multas patefaciamus talia producendi vias. Principio putabat *Democritus* ex plurimorum commixtione ſeminum, cùm hoc antè, illud poſtea jactatum uteri partes ſubingreditur, & ſimul confunduntur, diſſidentque membris, ut biceps homo, & multi-membra gignantur animalia. *Empedocles* autem reſponſa omnia præoccupando verum concepiſſe viſus eſt. Ipſe enim ob ſeminis redundantiam, aut defectum, aut ob principium motus, aut in plura diſtributionem, aut ob imprægnationem, monſtruoſa ait animalia gigni. *Straton* autem ab adjectione, ablatione, tranſpoſitione, aut ſufflatione id venire tradit. At Medici quidam, id vulvæ adſcripſerunt, quæ ſæpè flatu imbuta, ſubvertatur. Natura ſagax in animalium efformatione membra primùm effingit, quæ in corpore principatum obtinent: poſtea ex impertienti materie, nunc parciùs, nunc profuſiùs operatur, ut ſe ſibi ſuggerit: ſic defe-

ctu coërcita, vel redundantiâ ſuperata ab incepto impeditur opere, unde partus producit monſtrificâ labe affectos: ut in arte ſæpiùs perſpicitur: nunc mutilata, ut claudos, monoculos: nunc ſuperflua, ut hermaphroditos, quaternis oculis, totidem brachiis, totidemque pedibus: ſic quæ fortuitò, vel arte ordinantur, adjuvat ipſa, & inchoatis dat finem. Tibi autem, qui cupidus arte quadam monſtra in lucem proferre deſideras, ut exemplis condiſces, multa horum *lib.* 6. & 8. trademus principia: cogitato & exoriri, quæ conſequi poſſibilia fuerint: ſubſcribit enim natura votis, opereque delectaberis, eaque evenient, quæ nunquam putaveris, anſamque præbent conficiendi, quæ vetitæ deſcriptionis, & potiùs admirandi, quàm profani ſunt operis. *Johan. Baptiſta Porta.*

Utrum mulier intacta, an coitu, vel puerperio maculata ſit, noſcendi ratio.

Aliqua hujus rei experimenta attulit priſca ætas illa; aliqua verò & poſterior, paratu facilia, mirandaque: ut homines viſis potiùs ſenſum negare, & ſe ſtultos fateri, quàm veritatem comprobare audeant, quique deſiderio hujuſmodi demulcentur, inveſtigationis oblectatione tenentur, & doctrinam hanc avidiſſimè ſitiunt, capiant conficiendi normam, videantque experimentum: Gagatis lapidis (qui frequens eſt nobis, quo globulos effingimus in coralliis precariis, ad numerandas, vel explendas preces) raſura, vel ipſe pilâ tundatur, ac ſetaceo cribro transmiſſus, in tenuiſſimum redigatur pulviſculum: inde ex aqua vinóve hauriatur, ſi ciet illicò lotium, & retinere nequit, corruptæ virginitatis indicium, eamque defloruiſſe prodit: ſi viri non adhuc congreſſus: vel puerperium paſſa fuit, eam compeſcit, & arctiùs cohibendi datur facultas. Nec minus invalidè id manifeſtat Succinum album, ſeu Cryſtallum, quod Electrum vocant, ſi in pulverem redactum jejunè ex vino ſorbeatur, & ad interiora feratur: nam ſi carnis ſenſerit maculam, movet urinam. Poſſumus ſic expeditius hujus rei capere experimentum idem ſuffitu: ſi Portulacæ ſemen, vel Perſonatæ folia, quam vocant noſtrates Lapathium, ardentibus prunis inſperſa, ad ſuffimenta ſubſtituantur, & virginitatis fumus proditor ſurgat, tunc infundibulo, alióve inſtrumento patulo vulvæ ore ſurſum permeet, projiciet extemplò urinam, & mejet, nec

nec retinere valet, ſi veneream paſſa eſt labem. Si veneris ignara, fumum irritè recipit, urinam tenet, & virgo eſſe deprehenditur. Si quis autem joci gratia, non mejere ſolùm, ſed ſemen mulierem emittere volet, hoc efficito: Agallochum, quod Xyloaloe dicunt, ſerretur, vel præcidatur, ejuſque ſerraturam vivis carbonibus affatim inſpergito, ac peruri curato: recipiat fumum mulier, ac vulvæ meatus ſubiens, effluet latè ſemen, nec injucundum erit ſpecimen. *Idem.*

Ad Ligatos.

Ligatum à quopiam malefico ſanare creditur Picus uvis commiſta: adhæc ſuffitus ex dente hominis mortui: & ſi corpus totum inungatur felle corvino, & oleo Seſamino. *Ex Cleopatra.*

Vel ſi Argentum vivum in calamo, aut Avellanæ nucleo vacuo cum cera occluſum ſub pulvinari maleficio læſi collocetur, aut ſub limite oſtii, per quod is in ædes, vel cubiculum intrat. *Hæc Vujerus.*

Ad Ligatos ſolvendos.

Si ſponſus, inquit *Varignana* nec non *Nicolaus & Arnoldus*, per nuptialem annulum mingat, ſolvi ab impotentia Veneris & faſcino. Quòd ſi in amantis calceum ſtercus amatæ ponatur, ubi odorem ſenſerit, ſolvitur amor: nam odioſa eſt hæc res, & ab Ovidio deducta in lib. 1. de Remedio amoris.

Illa tuas redolent Phineu medicamina menſas,
Non ſemel eſt ſtomacho nauſea facta meo.

Impotentium cura.

Quidam dum erubeſcunt aut timent, à Veneris uſu prohibentur, & ſe veneficiis petitos exiſtimant. Multa ſunt, quæ huic malo occurrere creduntur: & Formicæ volantes oleo ſambucino, ut dicunt, exceptæ, & membro virili illitæ: multaque alia, de quibus ſuprà dictum. *Cardanus.*

Ut Mulier à coitu abhorreat, Virq; ad Venerem excitetur.

Si Tauri omninò ruffi aridum genitale in pulverem convertatur, & ex eo pondus aurei unius mulieri in vino vel juſculo quopiam propinetur, faſtidium coitûs illi adferet, ſicuti ſcripſit *Rhaſis.* Idem pulvis idoneis medicamentis

commixtus languidam ac ſopitam Venerem in viris excitat. *Marcello empirico autore.*

Homines & mulieres ligare, ut ad concumbendum ſint impotentes.

Si virgam Lupi viri vel mulieris nomine ligaveris, adeò ad Veneris munus explendum imbecilles fiunt, ut ferè videantur eunuchi, donec fuerit ſolutus nodus. *Albertus.*

Mulier ut alium virum non admittat præter ſuum.

Accipe fel Hirci, & adipem, & exſicca, utraque deinde tere, & calefac ambo cum puro oleo, priapumque cum eo illine in circuitu horâ coitûs, & nullum alium expetet præter te. *Albertus.*

Veneris deſideria obtundere.

Veneris deſideria obtundere ſic poteris: Rutam commanducato, & Camphoram: deſtruit enim flatum, quo erigitur virga, ut eunuchus Vir evadat. Sic Vitex etiam inhibet Venerem, & ſi ſubſternatur, bibatur, vel manducetur ſemen deſiccat. Unde Matronæ in Thermophoris Athenienſium, foliis iis cubitus ſibi ſubſternebant, nec minus Lactuca, ſi ea continuò comeditur, coeundi adimit facultatem: ideò Pythagoras vocabat ἴυνθκον, quod verborum involucris innuunt quoque Poëtæ: Callimachus cecinit, Adonidem, cùm Lactucam comediſſet, ab apro interemptum, atque à Venere ſub Lactuca conditum, quòd olere tali (Athenæus ait) Venus elangueſcat, & impotentes Viri ad concumbendum fiant. *Joan. Bapt. Porta.*

Ne quis illicitâ Venere afficiatur.

Cor maſculinæ Coturnicis à Viro geſtatum, & fœminæ à Fœmina, facit ut nec lites nec jurgia poſſint inter illos oriri, aut ſpargi. Et ſi in corio lupi deferatur cor turturis, geſtans non capietur illecebroſo appetitu rerum Venerearum. *Mizaldus.*

An Mulier ſit caſta.

Exploraturus an mulier ſit caſta, ſic fiat: Fortè caſtitatem conjugis prodit ille Magnes lapis: diu enim ſeduli diuturnâ exploratione conquiſivimus, & experientiis clarè cognovimus, non eos temerè ſic protuliſſe, ut quædam quoque alia de lapidibus experimenta, quæ ſæpè admirati ſumus,

mus, ſæpeque irriſimus. Magnes lapis, ſi dormientis conjugis capiti ſupponatur, ſi caſta eſt, dulcibus virum detinet complexibus, ſin minùs, tanquam manu pulſa è cubili projicitur. *Porta ex Alberto.*

Ut Mulier cum aliquo adulterare non poſſit.

Mulier, ut cum aliquo adulterare non poſſit, incide de capillis ejus, & pulverem illorum tibi ſuper feretrum ſparge: ante tamen unge feretrum cum melle, & mox coëas cum muliere, & cùm volueris ſolvere ex tuis capillis, fac ſimiliter. *Albertus.*

Ut corruptæ ab incorruptis vix dignoſci poſſint.

Stillatitia aqua Aſteris Attici, vel potiùs Actici epota aut vulvæ indita, mulierum alba profluvia mirificè ſiſtit, adeò ut ejus quoque diutinâ injectione, corruptæ, ab incorruptis vix dignoſci poſſint. Quod efficaciùs & celeriùs fiet, ſi ejus decocto inſideant, ut mihi retulit, qui ſe expertum dicebat. *Mizald.*

DE SOMNO. CAP. IX.

Tabulæ ad Somnum conciliandum.

Rec. Corticum Radicis Mandragoræ M. j.
Sem. Hyoſcyami unc. j.
Sem. Papaveris albi & rubri ana unc. j.
Omnia trita coquantur in Aquæ fontanæ lib. ij. uſque ad tertiæ partis conſumtionem, deinde coletur, addaturque
Sacchari albiſſimi lib. j.
& cùm iterum ad perfectam ferè ſacchari conſiſtentiam cocta fuerint, adde

Nucis moſchatæ,
Galliæ moſchatæ, } ana drach. ij.
Ligni aloës

Corticum Mandragoræ,
Seminis Hyoſcyami, } ana drach. is.
Sem. Papaveris albi & rubri,

Opii drach. j.

Fiant Tabulæ ſecundùm artem. *Roſcellus.*

Somnos conciliare.

Si quis ſomnos conciliare voluerit, ſic poterit: E recenti

centi opio, nudisque Allii capitibus aquam vitreis organis ſtillatim accipias, permiſceantur aliis, ac dormituro detur, quantum capiet nucis teſta: potionato enim illicò medicamento caput vaporibus oppletur, ut in ſoporem cadat: nec minus operabitur Mandragoræ aqua, fervente extracta aqua balneo, ne potator nidore offendatur. *Joan. Baptiſta Porta.*

Aliud Ejuſdem.

Aliud ad ſomnos violentius ex his fit. Opium paretur electum, cum Metellæ nucis æquali pondere, nigri Hyoſcyami ſemen, diſſolventur Lactucæ ſucco, præſtantius autem aqua ſub fimo obruta aliquantulum dimiſiſſe oportet: inde vaſis deſtillationi aptis accommodato. Ubi autem incipiet fervere, aquam elicito, feces ſervato, calidisque cineribus exſiccato, ut in tenuem vertas pulverem, cribro excutiente, dulci aquâ: deinde lixivium acre conficito, inde omnis igne vapor evolet reſidens, cùm priùs reſervata immiſceatur aqua, & eſui vel potui accommodetur, non eâdem, ſed pauciori quantitate, quàm quæ ſuppoſita eſt abundè & ſumſiſſe, nec aliquibus exhibeatur, niſi magna neceſſitas urget. Vel Mandragoræ aqua, Opium, & Papaveris ſemen cum Allio, vel rebus caput ferientibus remiſceantur; è quibus quod fabæ magnitudinem æquat, ſatis eſt ſumſiſſe.

Pomum ſomnificum.

Fit quoque ſic ex omnibus pomum ſomnificum, quod conſtat ex his: Opio, Mandragora, Cicutæ ſucco, Hyoſcyami ſeminibus, vini fecibus, quibus Moſchum adjiciatur, ut odore electum olitorem feriat: in pilas conglobato, quantum pugno quis prehendat, hoc ſæpius odorando lumina ſomno demulcet, ac ligat. Qui id autem ſtatis efficere certant horis, fruſtra conantur: variæ enim ſunt hominum temperies: qui verò effectârit, ſimilibus periculum captato, paremque operam impendendo inops fruaris. Ad retundendam eorum ſævitiem ſatis eſt præſidii, ſi tali ex aceto diſſoluto, vel deſtillato tempora, naſum, & teſticulos perunges, ut eorum vi ſomnos propellant, ac ſoporantem excitent. *Idem.*

Ut in ſomno mirabilia videas.

Referunt, ſi quis dormiturus tempora illiniat Upupæ ſan-

ſanguine, viſurum in ſomnis mirabilia, quod à ratione alienum minimè eſt. *Cardanus.*

Ad Somnum inducendum.

Somno conciliant auxilia phyſica, Hyoſcyamus poſitus ſub cervicali. Fructus Junci caulis pinguioris epotus. Oleum, in quo oculus ſiniſter Erithaci coctus ſit, in aurem inſtillatum. Vel appoſita Hirudine in angulis oculorum, atque abducta, meconium inſtilla, potens eſt. Validius adhuc, ſi ex eodem fiat ſuppoſitorium, ſed auferatur ſomno jam inchoato. Vel plantam pedis inunge pinguedine Gliris, aut unguento ex aqua & aceto roſaceis, atque Argilla. Dicitur etiam, quod vix credi poteſt, dentes inunctos ex ſorditie aurium canis, ſomnum profundum provocare. *Cardanus.*

Inſomnia clara & jucunda, & obſcura, meticuloſaq; inducere.

Cibus ex concoctione (quod pro explorato haberi debet) in vaporem ſolvitur, tabeſcitque, quem caliditate juncta in leve deſciſcere par eſt: cumque natura in ſublime feratur, aliquatenus attolli, & in cerebrum per venas redundare, ubi natura cerebri perpetuo obrigans rigore, ad inſtar imbrium generationis, ut in majori mundo ſæpe viſitur, ſit humifica, & nebuleſcit; ſic inteſtinâ reciprocatione denuò redditum incaleſcit: & ad cor defertur principis ſenſus domicilium: interim caput opplet, gravedinoſum reddit, ut profundo demergatur ſomno. Quòd ſi noctis conticinio magis ſoporari contigit, imagines deſcendendo aliorum occurſu interpolentur: ut præpoſteræ monſtruoſæque videantur: ſi matutino ubi excrementum fæculentusque ſanguis, à puro, & frugi diſcretus, & ipſe refrixit, & deferbuit, meracæ, abſolutæque viſiones demonſtrantur, & gratæ. Non ergo irrationabile duximus, cùm immoderato tumefacta potu, virtus ſopita langueat, & natura edulii vapores attollantur, & ex iis, quæ corpore abundant, in ſomno exultari, & immoderatè jactari, ut diverſa incendia, tenebræ, grandines, putredines: ex flava atraque bile, frigido putridoque humore. Sic aliquem trucidare, vel impiè cruentari ſanguinis abundantiam habere: imò temperiei ejuſdem præſagituram elici poſſe, Hippocrati & Galeno placet. Unde cibis veſcentes flatuoſis,

tuoſis, eorum vi ſalebroſæ imagines, menſtruoſæque, quæ itidem attolluntur, ſi tenuis modicæque exhalationis, gratis animum exhilarant ſimulachris, & incolumes videntur. Sic extrinſecus applicando ſimplicia, ſecum illius rei phantaſmata infecta ſenſuum principi deferunt: arteriæ enim noſtri corporis (*inquit Galenus*) ad ſe intus quodcunque trahunt, proximè circumdans eas, dum continuò dilatantur, ſic ea ſomniemus, quæ præoptabimus. *Joan. Bapt. Porta.*

Somnia grata excitandi ratio.

Ut non minùs pervigiles, quàm ſoporantes lætemur, en ſomnia grata excitandi ratio. Coenæ ſomno, cùm cubitum pergimus, ſi leniter mandimus Hippogloſſum, Meliſſam, iisque ſimillima, conſopiti variis illudimur imaginibus, quibus lætiora non percuperet animus, agros, viridaria, arbores, flores, terram in virorem converſam cernet umbroſis operculis opacam, ac denique oculos circumluſtrando, vernat undique mundus, & arridet. Vel Eleoſelini, populnearum novellarum frondium, Acori vulgaris, Solani hortenſis, Stramonii, Aconiti, maximeque viridantium ſucco ſi tempora perunxeris, collum vel jugulum, per quem venæ adſcendunt ſoporariæ, loca ubi maximè venæ ſunt conſpicuæ, manibus pedibusque. Confert & jecur perungere: nam à ventriculo ſurſum evaporando, permeat ſanguis ad jecur: à jecinore ad cor ſubit: ſic reciprocantes tinguntur vapores ejuſdemque coloris imagines referentes. *Idem.*

Somnia obſcura & tumultuoſa excitare.

Si quærimus ſomnia obſcura & tumultuoſa: fabas edimus, quia ſiccæ ac flatuoſæ, & ideò à Pythagoricis abominantur, quòd talia pariant inſomnia. Pleroſque legiſſe memini, à Fabâ abſtineto, ejusque uſum interdixiſſe, & ferè legumina omnia, Phaſeolos præcipuè, quos Smilaces vocant hortenſes, Lenticulas, craſſum & melancholicum humorem excitantes, Allia, Cepas capitatas, Porra, Braſſicam inter olera, Raphanos, & tandem radices ferè omnes: inter hæc vina, quia ſpirituoſa, vaporulentaque ſunt, inflationem calidam, mordacem, & noxium humorem parientia, inſomnia ingerunt, in quibus phantaſmata deluxata, laceſſita, tortuoſa, turbida. Sic per aëra delatus, maria, fluentaque tranſnare videberis, civitates multas luſtrare, caſus, mortes, tem-

tempeſtatum ſævitiam, nubilos dies, videre imbres decidere, Solis fulgorem infuſcari, cœlum hyemare. Sic prædicta loca illiniendo fuligine, vel omni aduſto, acetoque (quod ideò addimus, ut penetrandi vim medicamentum adſciſcat) ignes, incendia, fulgura, corruſcationes, & omnia tenebris involuta. *Idem.*

Somnia tumultuoſa ſuffitu edere.

Interfecti recenter Viri calcaneum in pulverem redigimus, cui Magnetis parum addimus; porrò ſimul commixta, ſi accenſis carbonibus injeceris, ut locis pluribus fumus domicilii culmina petat, dormientes larvarum occurſaculis, deterrimis ſpectris, horribilibusque afficies. Sic quoque ſi dormientis capiti vivæ Simiæ nuper extractum cor ſuppoſueris, non niſi feras in ſomnis cernet, & ab eis dilaniari, ut terriculamenta, & timorem incutiant magnum. Idem præſtabit Onyches, ſi collo ligaveris. *Idem.*

Inſomnia mala ut arceantur.

Referunt, dentes Equi maſculi, ſeu collo appendantur, ſeu brachio ſiniſtro, eos, qui mala ſomnia videre ſunt ſoliti, curare. *Cardanus.*

Ut quis non dormiat.

Dicit *Pſellus Platonicus*, quòd Canes, & Corvi, & Galli conferunt ad vigiliam, etiam Philomela, & Veſpertilio, & Noctua, atque ex his maximè caput, cor, & oculi. Ideò dicunt, ſi quis cor Corvi, vel Veſpertilionis ſuper ſe portaverit, non dormitabit, donec deponatur. Idem facit caput Veſpertilionis aridum alligatum in dextro brachio vigilantis. Nam ſi ponantur ſuper dormientem, fertur non excitari, donec depoſitum fuerit. *Albertus.*

Ut quis dormire nequeat.

Oculus Hirundinis poſitus in lecto, non permittit jacentem dormire, donec auferatur. *Albertus.*

DE EXERCITIO.

CAP. X.

Ut homines longâ ſaltatione torqueantur.

Si vis homines longâ ſaltatione ut torqueantur, vel riſu, plo-

ploratione, cantu, aliisque affectibus, sic ritè poterit evenire, naturalesque magis habet causas. Sed ut relinquere possit experimenti ratio, prius pauca dicenda sunt.

Est Phalangii genus quoddam, quod à Tarento in Apuliæ partibus Tarantula dicitur: universa enim regio sic eis laborat, ut perpauci sint qui evadant: eorum morsus acerbior est, quàm Vespæ ictus, & homines, qui ab eis iciuntur, diversis afflictantur casibus: multi enim perpetuò canunt, illachrymant, delirant: sed omnes ferè saltant. Messores enim dum operi accumbunt, ignarique doli, sæpè acriter percutiuntur, musicisque adhibitis modulis, animum delinientibus permulcentur, eisque in sanitatem restituuntur. In quibusdam enim cavernulis vitam degunt, easque in segetibus condunt, sic facilè capies: Arundinum foliis ore sibilum effingas, ut muscæ voces imiteris, ubi illud animal senserit, exit illicò: nam sæpè eis depascitur, ut aranei, qui ampliſſimas ædificiis in nostris telas contexunt, & muscis pandunt. Captum in pulverem ritè vertas, illius pusillum, quantum quis digitis duobus prehenderit, aliis remisceto pulveribus, ne sumentem offendat: venenum est enim: ubi illud absorpserit, ad tripudium saltationemque concitabitur, præcipuè si sonis fuerit allectus. *Joan. Bapt. Porta.*

Iter facientes ne fatigentur.

Iter facientes, si secum portant Artemisiam, ex itinere non fatigantur: & ipsa Artemisia contusa cum Axungia, & applicata tollit dolorem pedum ex fatigatione itineris. *Petrus Bayrus.*

DE

DE SECRETIS

ANIMALIUM TERRESTRIUM.

LIBER VI.



A *Sylve-*


A Sylvestrium in
Genere, Cap. X.
Specie, tum
Majorum,
Simplicium: ut
Cervorum, Cap. XI.
Aprorum, Cap. XII.
Leporum, Cap. XIII.
Vulpium, Cap. XIV.
Luporum, Cap. XV.
Mixtorum, Cap. XVI.
Minorum,
Gressilium: ut
Murium, Cap. XVII.
Talparum, Cap. XVIII.
Mustelarum, Cap. XIX.
Formicarum, Cap. XX.
Scorpionum, Cap. XXI.
Cimicum, Cap. XXII.
Pulicum, Cap. XXIII.
Pediculorum, Cap. XXIV.
Reptilium: ut
Cochlearum, Cap. XXV.
Erucarum, Cap. XXVI.
Serpentum, Cap. XXVII.

DE

DE ANIMALIBUS TERRESTRIBUS, ac domeſticis in genere.

CAP. I.

Beſtiæ ut domum redeant.

Si vis ut beſtia ad hoſpitium ſuum redeat, line frontem ejus cum Sebo & Squilla & redibit. *Albertus.*

Beſtiæ ut Hominem ſequantur.

Ariſtoteles in libro de Animalibus inquit : Si ponat aliquis ceram contritam ſuper cornua vituli vaccarum, vadit cum eo ubicunque vult, ſine labore.

Ut Beſtiæ non ampliùs comedant.

Si lingua Beſtiarum inungatur cum Sebo aliquo, non guſtant cibum, nec comedunt, ſed priùs moriuntur fame, niſi abſtergatur cum Sale & Aceto. Item ſi cauda Lupi, aut pellis, aut caput ſuſpendatur ſupra præſepium, non comedent Beſtiæ.

Ad impinguandum quadrupedes.

Animalia omnia, non ſolùm quadrupeda, maximè & celeriter impinguantur poſt tridui inediam cibo, qui maximè illis conveniat: exiſtimant equis Hyoſcyamum & Teſtudinum carnem convenire, tum Hordeum, ac talia. Ovibus cum cibo ſalem, quia potu præcipuè impinguantur. Cauſa hujus eſt, quòd fames in his animalibus ſuperfluum humidum abſumit, caloremque auget, & appetentiam cibi per plures dies excitat. Porrò Belluæ non niſi naturali appetitu urgente cibos aſſumunt. *Cardanus.*

Jumenta ut appetant cibum avidiùs.

Amurcæ tanta vis eſt, tanta utilitas, ut etiam Boves præſervet à morbis & cibi avidiores faciat, immixta ſenſim cibis atque potui quarto quintoque die. Ita etiam exteriùs cum fece vini ac Lupinorum cremore mixta illataque jumentis, tum Ovibus ſervat pilum ac lanam, & cutim à ſcabie & ricinis, imò lanam auget etiam : præſtat autem inunctas Oves lavare ſalſâ aquâ. *Cardanus.*

Adver-

Adversùs omnia genera morborum Animalium.

Adverſùs omnia genera morborum ſalutaris confectio eſt talis:

Accipe Myrrhæ,
Thuris maſculi,
Malicorii tuſi, ſing. lib. j.
Piperis unc. iij.
Croci unc. ij.
Acaciæ,
Caſmiæ butyri,
Reſinæ uſtæ,
Abſinthii Pontici,
Pulveris ſerpilli,
Betonicæ,
Centaureæ,
Sagapeni,
Saxifragiæ,
Peucedani, ſing. ſemilibram.

Quæ omnia bene tuſa, & cribrata in Mellis optimi ſextariis tribus miſcebis, & ad carbones leviter paululum coques, pòſt in vaſe ſtanneo vel vitreo condita ſervabis, ex qua confectione morbidis, etiam ſi febriunt, ſingulis diebus cochlearia ſingula majora cumulata cum hemina aquæ tepidæ & olei floris tribus unciis dabis. Quòd ſi abſque febre ſunt morbidi, vel convaleſcere etiam cœperint, cum vino & oleo plurimis diebus dabis, donec animal liberetur, quam validiſſimam & approbatam noverit potionem. *Publius Vegetius.*

Ut Jumentorum urina reddatur.

Si Allio trito Jumentorum natura tangatur, urinam impeditam reddere, & nullo modo torqueri ajunt. *Mizald.*

Si Jumentum ſanguinem minxerit.

Si Jumentum ſanguinem minxerit, vel adſellatum fuerit, hac ratione curabitur. De ſuperiori vena ſanguis auferatur; Aphodilli quoque herbæ radix teritur, & cum Vini albi dulcis duabus cotylis per os infunditur, quæ glutinoſa videatur. Prodeſt etiam farinam triticeam cum Adipe ſuilla, & pulvere corticis Mali granati decoquere, & non craſſas

craſſas potiones, ſed liquidas per os fundere: & non ſolùm è curſibus, ſed etiam ab ambulatione abſtinendum eſt, ut glutinetur vena, quæ interrupta eſt. Contingit enim curſu, vel ſaltu, ut intrinſecæ venæ rumpantur: quapropter rebus ſtypticis, & his, quæ conſolidationem faciunt, curentur. Super renes hoc anacollema oportet imponere: bulbos taſcedeas vivas contuſas, Allia quinque, Anagallidis libram, quæ omnia pariter benè trita commiſcebis, & renibus ejus impones. Quod prodeſt etiam illis, quibus evulſi, vel emoti ſunt renes. His autem, quibus per nares effluit ſanguis, poſcâ frigidiſſimâ caput fovebis, modicum ſalis adjicies, poſt anacollema in capite, & in temporibus oblines, & in medicamento conſtrictis venis fluxum ſanguinis reprimes. *Publius Vegetius.*

De Dyſenteria Jumentorum.

Si Dyſenteria jumentum prehenderit, reverſatur ejus extalis, quæ ut curetur, circumſecanda eſt cautiſſimè, ne inteſtinum, quod præpoſitum eſt extali, frangatur. Procidit inteſtinum à contactu, vitæ periculum facit ſi tangatur: quod ſemel non redit, ſed ſic remanebit, & paululum erit extalis ſupra. *Idem.*

Si Animal ſanguinem vomat.

Si verò ſanguinem vomat, oportet Geniſtæ ſuccum cum Vino, atque Porri ſucco, Lixivio, Oleoque permixto faucibus infundere. Aliquando animalia ſanguinem vomunt, quibus hac potione ſuccurritur: Abſynthium ponticum, & Spicam nardi æquis ponderibus in cacabo novo cum aqua decoques, & dabis in potu. *Idem.*

Ad Tuſſim animalium.

Tuſſim quoque inſanabilem, cura cum hemina Paſſi, & tribus unciis Olei, & Ovo crudo, ſi per triduum defundis faucibus, addito Fabæ polline, & Fœnogræco binis cochleariis. Propterea valdè tuſſientibus prodeſt Fabæ frixæ ſextarius ſine ſale coctus, Sebi caprini unciæ tres, Butyri unc. tres, Allii purgati capita tria, decocta cum ſucco ptiſanæ, data per triduum. *Idem.*

Ad Verrucas animalium Ejuſdem.

Aliis quoque partibus corporis naſcuntur Verrucæ aliquando,

quando, & vitium deformitatis important, quæ hac ratione curandæ. Lino ſubtili conſtringentur ipſæ Verrucæ, inde cauſticum crudum imponetur, & ſpontè decidunt. Ferro etiam præcidunt, & hinc cauterio leviter aduſta ſanantur.

Ad Spaſmum animalium.

Spaſmum certum eſt animalia ſuſtinere, quæ neceſſitas his declaretur indiciis: ſubitò concidunt, & articuli eorum extenſi ſunt, & toto corpore palpitant; aliquando etiam ex ore ſpumam emittunt. Quibus eſcam dabis poſcâ nitroque conſperſam, Cucumeris quoque ſylvatici pulverem, & nitrum tritum per ſeptem dies in potione dabis, ut purget. Sanguinis quoque marinæ Teſtudinis dimidiam cotylam, aceti & vini tantundem, Laſeris aliquantulum pariter miſcebis & ſuffundes in nares. Utile dicitur terga eorum oleo & aceto, & nitro frequentiſſimè confricari. *Idem.*

De Podagra Jumentorum.

Podagra nonnunquam ſolet occupare Jumenta, cùm hominum vitium tranſit in pecudes: cujus paſſionis hæc ſunt ſigna: nec ſtare poteſt, nec ambulare, ſed ſi cogatur, claudicat, & ſæpè ſe projicit, ſicut indigeſta ex hordeo animalia faciunt, quæ propter dolorem non coquunt cibum, & ideo fit horridum, & corpus ejus calebit, venæ etiam extabunt, natura ſubmiſſa erit, in pedibus ſtercus hærebit propter nimium eorum calorem, ſicut ſubtritis ſolet evenire: cui proderit, ſi non ſinatur accumbere, ſed minutim deambulare, & loco ſicco, donec ſudet, multorum manibus confricandum eſt, ut vehementiùs ſudet: ſanguinem ei detrahes à capite, à ſuperioribus venis, ſed non multum, ſequenti die de poſterioribus locis detrahes ſupra talos, tertio de gambis, vel ſub ipſis dolorum locis. Memineris ſemper parum oportere detrahere. Aquam calidam dabis in potu, in qua abjicies pulverem nitri & triticeam farinam, pollinis quoque Thuris acetabulum plenum in vino maceratum infundes, & triduo per nares ſingulas cotylas: Betas etiam excoques, & aquam earum ad tres cyathos ſuffundes, & exercebis eum ſingulis diebus, ventrem quoque eodem expurgabis, ut auferatur humor peſſimus qui deſcendit in venas. Hoc genus purgationis adhibebis: Thymi acetabulum plenum in Vino veteri dulci macerabis, & ſin-

& ſingulas cotylas per nares eidem infundes, fœnum viride oppones. Quod ſi fuerit ſiccum, nitro aſperſum dabis. Si nihil profeceris, caſtretur, & vitio carebit: nam Podagra rarò vexat Eunuchos. *Idem.*

Ad Strumas Jumentorum.

Plerumque Strumæ, vel Parotides, aut Scrophulæ jumentorum guttur infeſtant, & faucium tumorem producunt. Nam & ſubrecto ſunt capite, & tanquam à ſtranguria præfocantur. Hoc primùm fomentis calidis, & cataplaſmate ex polline hordeaceo, & reſinæ unciis tribus mero valido coctis, curari expedit: & cùm collectio fuerit maturata, ſcalpello ſecari opus eſt, & quicquid collectum fuerit, emittere, hinc aceto & ſale & oleo infuſos Lemniſcos ſubjicere: cæteris quoque diebus traumatico, & medicamentis aptis ſolerter curare, ſi Vulnus pateat, dum ſanetur. Nam in his locis ex præcluſione citò ſolet Fiſtula fieri: quæ ſi evenerit, papyro, & collyrio poterit ſanari. *Idem.*

Ad Faſcinatum animal, Ejuſdem.

Faſcinatum animal triſte eſt, gravatur inceſſu, marceſcit, & niſi ſubveneris, incidet in morbum, Bitumini igitur, & Sulphuris parum cum granis Lauri ex aqua des fundis per nares. Præterea Coriandrum vel ſemen ipſius cum Sulphure & teda carbonibus circumferes, ex aqua ferventi animal conſperges, & ſuffumigabis. Univerſis quadrupedibus remedium præſtat iſta ſuffumigatio: curat, atque morbis reſiſtit.

Ad Coſſos, Vermes vel Tineas.

Coſſos, Vermes, vel Tineas, cæteraque animalia Ventris extinguit, ſi heminam cineris ex Olivæ ligno arido collectam cum hemina olei viridis per triduum dabis ad cornu. Alia quoque confectio, ſed aquæ ſæpè mortiferam liberat paſſionem: pulveris Santonici, itemque Abſynthii pontici, nec non Lupini crudi, & herbæ Centaureæ, & Ervi pollinis, & ſeminis Raphani binas uncias mittis, addisque Cornu cervini unciam, ſem. Apii unciam unam, Sinopidis pontici paſtillos tres, Opopanacis ſemiunciam, Vini tenetani, vel alterius auſteri ſextarios duos, Olei viridis ſextarium; quæ tepefacta ita animali infundes, ut per os cornu accipiat in clivo conſtitutum, quatenus ſuccus faciliùs ad interiora

perveniat. Poſtero die idem animal conſtituatur in clivo & per clyſterem inteſtino illius tepidæ potionis ſextarius ingeratur, quatenus alternis diebus ex utraque parte injecta potio, coagulare quod appellatur, poſſit infundere, in quo illæ noxiæ beſtiolæ gignuntur, & pertuſo ventriculo excruciata doloribus animalia pereunt. *Idem.*

De Impetigine animalium.

Impetigines quoque in articulis, vel genibus inter nervos commiſſuralibus locis aliquando naſcuntur, & fit vulnus ſimile Rhagadi, & non facilè ſanatur, niſi ſtalticis, vel ſtipticis rebus, non ſine alligatura, vel interdum aduſtione curetur. Malagmas quoque convenientes oportet imponere. *Idem.*

Ut Pili Jumentorum renaſcantur.

Quòd ſi pili tardiùs creſcunt, vivam teſtudinem ſupra ſarmenta combures, & cineres ejus in novum cacabum mittes, additis unciis tribus Aluminis crudi, Medullæ cervinæ quod ſufficit, & Vino infuſo decoques, & diebus plurimis impones, revocare pilos creditur. Pulvis de Fabis combuſtis vel de Lupinis crudis, vel de foliis Fici combuſtis Sevo commixtus ſuperponitur aſſiduè. Quòd ſi nullâ præcedente cauſâ decidunt pili; Spicam nardi, Uvas paſſas pariter tundes, & ex aceto decoques, calidumque medicamentum glabro corpori impones. *Pub. Vegetius.*

Ad denigrandos Pilos albos.

Si album pilum nigreſcere cupias, atramenti ſutorii ſcrupulos ſeptem, odolaphinis, alias Rhododaphnidis ſucci ſcrupulos quatuor, Sepi caprini quōd ſufficit, pariter temperabis, & uteris. *Idem.*

Ut Pili nigri albeſcant, Ejuſdem.

Si è diverſo albos Pilos facere volueris, Cucumeris ſylveſtris radicum libram unam, Nitri ſcrupulos duodecim, in pulveres coges, heminam Mellis adjicies, quibus permixtis uteris.

Idem.

DE

DE SECRETIS ANIMALIUM in ſpecie.

DE SECRETIS EQUORUM.

CAP. II.

Ut ferox Equus miteſcat.

EQUUS calcitroſus, vel quodvis aliud animal, patienter ſinet ſe cicurari in ſtabulo, & ferreis apud fabrum calceari ſoleis, ſi exiguum & rotundum ſilicem alterutri aurium immiſeris, & apprehenſam auriculam manibus perſtrinxeris, ac retinueris: ſic enim ſtabit immotus, & quantumvis vorax, quieſcet. Si in utramque aurem ſingulos ſilices intruſeris, tam mitem habebis, quàm eſt ovis. Expertum accepit à quodam equiſone & ſtabulario Regis Navarræ *Mizaldus*.

Ut Equi curſu non fatigentur.

Luporum dentes maximi, equis adalligati infatigabilem curſum illis conciliare traduntur. *Plinius*.

Ad Equum clamoſum.

Si nimis clamoſus erit Equus, ligetur capiti ejus lapis perforatus, ſic enim emendabitur. Addo quòd equus aures retrò projiciens, plerumque eſt ſurdus, qui nunquam in turba aliorum hinnit, natus. *Autor Simoneta Cardinal.*

Equus ut fiat gradarius.

Equorum greſſum, quem aliqui vocant tolutarium, alii gradarium, ſeu aſturconem, qua ratione fiat fæcundum à Gallis, haud dubium eſt: cum enim equus bifariam moveatur, vel extremam pedis juncturam flectendo, vel genu. Itali ligatis binis, & binis pedibus, dextris invicem, atque ſiniſtris invicem, cogunt eos binos & binos ſimul movere, ſpatula etiam mota, ſed genu præcipuè agitato, atque flexo. Galli ultimam pedis juncturam arcto vinculo omnium pedum devinciunt: ita fit, ut cogatur equus genua movere. Atque ita patet ad Aſturconis diſciplinam pertinere, ut genua flectat. Nam ſi juncturam ſolam inferiorem moveat, etiamſi ambas dextras ſimul atque ſiniſtras, non perfici gradarium greſſum conſtat. Sunt igitur duo genera gradarii inceſſûs equorum: Gallicus & Italicus. Mollior

eſt inceſſus, quicunque fit altiore juncturâ, quoniam modico intervallo mochlii multum ſpatii ſuperatur. Mulæ tum molliter incedunt, motâ inferiore juncturâ, vocaturque inceſſus ille Traina: cùm autem genu Aſturconis concutit, magis genu flexum, quàm pes, quod altius cadat, dum figitur. *Cardanus.*

Ut Equi variis coloribus naſcantur.

Varii coloris naſcentur Equi, ſi tantiſper, dum maſculus init fœminam, ſtragulo diſcolore illa operiatur. Nam quales oculis equi ineuntis colores objeceris, tales procul dubio referet pullus. *Author Abſyrtus.*

Illud ipſum etiam in Canibus experiri poteris, ac aliis animalibus.

Equos vel pecudes diſcolores progignere.

Equos vel pecudes diſcolores progignere quærens, id effecit, quod imitari omnes jubeo, qui idem cupiunt: ipſe virgulta ac perticas populneas, amygdalinas, quæve facilè corticibus ſpoliari poſſunt, edolatas corticibus interſeptas, circulis redimitas & ſinuatas, uti colubros albo nigrove interſtinctos colore, in canalibus juxta aquas in paſcuis, & præſepibus fixit, ubi grex ovilli pecoris ſtabulabatur, & coitum ineundo, & oculos circumluſtrando, nil niſi virgas aſpiceret, ut quos dabant fœtus, diversè eſſent colorati, & paſſim candida vellera pullis infuſcarentur maculis, non injucundum viſu, ſic lanigera omnia animalia, vel univerſum pecus. Valet hoc in Equis, idque plurimùm obſervant, qui ejus curam habent, & ad coitum equas admittunt, & equilia, ubi coitum explent, tappetis & pannis, variis depictis coloribus exornant, unde diſcolores equos, rutulatos, ſpadiceos diverſeque coloratos efficiunt. *Porta.*

Equi, ut habeant parvum caput, & jubam pulchram.

Caput Equini pulli, ſi ſæpiùs frigidâ lavetur, extenuatur & marceſcit. At contrà ſi collum calidâ, craſſeſcit, crinesque creſcunt, jubaque pulchrior evadit. *Card.*

Ad Equos obſtinatos.

Si Equus vel ſeſſorem reſpuat, vel navim ingredi nolit, vel timeat rotas, aut alia, id quod maximè contingit caſtratis, & qui malè vident, & timidis, lapillum ex filo ſuſpenſum

ſum in aurem immittito. Si hoc non profit, quòd illorum ſenſum perturbat, oculi vitta vinciantur; profuit hoc ſæpè. Virgâ etiam ſi cædantur crura, quæ retrò agit vel elevat: ignis quoque caudæ ſubmiſſus, tum inſtrumentum ferreum, quod dum retrò cedit, illum pungit, & ſauciat: optimum enim hoc eſt: item ſi humi procumbat, infra ventrem ſint aculei. Quòd ſi moderatè ſolùm obnitatur, non ſit autem reſes, leviter caſtigandus, & rei, quam timet, admovendus: nam acriter ubi impellatur, durior ſæpè fit, quòd majus periculum ſubeſſe exiſtimet. *Idem.*

Ut Equi ceu mortui procidant, & poſtea alacriores fiant.

Lingua Serpentis virgineâ cerâ incluſa, & in aurem ſiniſtram cujuſcunque equi dimiſſa, illum veluti mortuum humi procumbere cogit: ablata, non ſolùm eum expergefacit, ſed etiam multò alacriorem reddit, *ut retulit quidam Anglus.*

Equi ut in furorem agantur.

Certum quòd Laſeres Equi naribus illiti, eum in furorem agant, imo etiam homines. At noſtrum Laſer imbecille eſt, aut aliud: nam Laſerpitium herba olim erat. *Cardanus.*

Ne Equi vel Oves tranſeant.

Si ex Lupi inteſtino funiculum feceris, & illum ſub arena, aut terra ſepeliveris, Equos & ovile pecus hac tranſire prohibebis, etiamſi fuſte adigantur. *Albertus.*

Equi ne à muſcis moleſtentur.

Si quis ſucco foliorum Cucurbitæ pilos equorum & aliorum animalium æſtate mediâ intinxerit, & madefecerit, non parvo rei miraculo muſcarum tædiis, ac moleſtiâ carebunt. *Cardanus.*

Ad Equos clavo læſos.

Cùm uſus Equorum maximè ſit neceſſarius, contingit iter agentibus, præcipuè tædioſa jactura, ſi vel ferream ſoleam amittant, vel clavo pes lædatur. Afferre ſolent clavos, & malleolum, idem tenaculæ vices gerit. At ſi jam ex clavo Equus claudicat, exemto illo, & ungula excavata molliter, ne corona lædatur, aut ſordes aliqua lateat, Sulphur liquefactum repurgato, ulceri indito: ſoleam exterius, ne locum læſum premat, incurvato: reliqua pingue-

dine & cerâ oblinito, tum ſoleæ foramina, quæ clavis non complentur. Sic mihi contigit aſturconem Archiepiſcopi Amulthonis dono datum, confeſtim è claudo ſanum reddi, inquit *Cardanus.*

Ad Equos clavatos, probatum.

Ferrea ſolea ab Equo quamprimum auferatur, affectusque vino optimè lavetur. Quo facto, ſumito Sambuci mediam pelliculam, quam ſupra affectum locum ponito, mox aliquot guttas ſevi, ferro calido liquefacti, inſtillato ſupra pelliculam, & ſoleam ferream probè adaptato, & equita quò voles. *Ex lib. manuſcripto.*

Ad Cæcitatem Equorum.

Rec. Vitrioli romani unc. ſem. Salis armoniaci drach. ij. Zingiberis triti unc. ſem. Camphoræ drach. ij. Caryophyllorum unc. ſ. Aquæ roſar. unc. j. Aquæ fœniculi unc. ſ. Vini optimi drach. ij. miſce, & pone in vaſe vitreo ad Solem per dies triginta. Cùm uti voles, cum penna molli & parva, in hac aqua intincta, Equorum oculos inunge, & cura ne equi oculos fricent. *Ex lib. manuſcr.*

Ad Equorum Tuſſim.

Ova quinque ſub veſperam, in acerrimo & forti Aceto macerata, & diluculo, ubi exteriorem putaminis callum intabuiſſe obſervabis, in fauces equi tuſſientis, linguâ exertâ, projecta & devorata, tuſſim illius curant. *Ex cujuſdam Hippiatri ſecretis.*

Ad Scabiem Equorum, probatum.

Rec. Axungiæ porcinæ lib. ſ.
Olei laurini unc. j. ſem.
Argenti vivi unc. ij.
Ellebori albi unc. j.
Miſce benè. *Ex lib. manuſcripto.*

Ad Unguem oculorum pulvis, hominibus & equis idoneus.

Rec. Ovum gallinæ, extrahe albumen totum, vitello adde tantum ſalis, quantum albuminis ſpacium priùs continebat, miſce benè: deinde accipe lignum Alni viride brachii magnitudine, & dimidiæ ulnæ longitudine, facque in eo foramen ſecundùm longitudinem ſatis longum, ut vitellum cum ſale imponi poſſit. Impoſito vitello, foramen clavo

clavo ligneo ejuſdem arboris obtura optimè, ne quovis modo expirare poſſit. Igni impone, & ure, donec in carbonem vertatur, vel donec mixtura, impoſita à carbone ſecernatur, quam aufer, & ſerva. Quòd ſi uti voles, in tenuiſſimum pulverem redigito, & per cannulam pennæ ad ciceris magnitudinem in oculum inſufflari curato. *Ex lib. manuſcripto.*

Ad Equorum Dyſuriam.

Si Equi Dyſuriâ, ſeu mejendi difficultate laborent, foliatis Sambuci ramis undique illorum corpus diu ac blandè verbera, & tum demum folia ipſa collo eorum, & capiti, nec non corpori univerſo coapta. Nam jumentorum impedimentis arbuſcula hæc maximoperè confert. *Simoneta Cardinal.*

Ad Urinæ difficultatem Equorum.

Quidam Cepam ablato cortice circum veſicam ponunt. Alii Apii ſemen tritum cum Vini heminis duabus, aut Cepæ ſemen eodem modo cum Vino, aut Columbinum ſtercus, aut Polii folia, aut Smyrnii corticem ſiccum, aut Nitri drachmam, cum Allii capite contuſo, infundunt cum vino. Alii Vino nigro ſolo utuntur. *Abſyrtus.*

Ad Sanguinis mictum.

Si ſanguinem mingat Equus, lomento Fabæ purgato, cocto, adipem cervinum miſcebis & cum modico vino per os ad triduum infundes. Aut lactis Caprini hemina, Amyli hemina dimidia, Ova decem, Olei cyathi tres, omnia mixta ſimul per cornu infundantur. *Idem.*

De Pulmonis vitiis.

Vitia in pulmone hærentia, & conſiſtentia Acetum acre tepefactum, & infuſum ſanat: aut Urina hominis cum Adipis ſuilli liquefacti drachmis xx. Cavendum autem, ne ex muliere ſit urina, cui naturales ſubeunt purgationes. *Idem.*

De Tuſſi Equorum.

Incipienti Tuſſi, farinam hordeaceam immixtis Fabis, aut Ervo, in potu exhibere oportet. Invaleſcente autem tuſſi Mellis cyathos duos, Picis liquidæ tantundem, Olei tantundem, Butyri drachmas xxiv. calefacies, & Adipis ſuilli veteris modicâ parte adjectâ exhibebis. Quòd ſi neque ſic detur, Marrubium teres cum Oleo & Sale, Vinoque

diluta infundes. Alii Marrubii ſucco, & Oleo, & Rutæ ſylveſtris radice utuntur, quidam Thus immiſcent, aut ipſo cum Oleo utuntur. *Idem.*

Ad anhelos Equos.

Agaricus pro medicamento maximè anheloſis Equis convenit, & Fœnogræcum, ſic Equum meum curavi. Laudant veteres ſanguinem catuli, qui decem dies non exceſſerit, in potu. Item potens auxilium: ex amaris Nucibus, Hydromelite & ſylveſtris Cucumis radice fiant paſtilli, & cum melle dentur: radix quoque herbæ Linariæ pectori vel aurium, vel narium radicibus impacta, vel ex Mori radice Errhinum, & capitis frictio cum Vino, modico olei adjecto. Cæterùm familiaria auxilia acria, & valida eſſe ſolent, cujuſmodi Sulphur, Nitrum, Piper, Caſtoreum, Ruta quoque in plurimis morbis convenit: victûs plerunque abſtinentiam Equi ſibi inſtituunt. Exhiberi debent omnia cum Lacte aut Vino. Sed & Gentianæ radix utiliſſima eſt. *Cardanus.*

Ad Equorum herpetem.

Herpeti verò, quem vermem vocant Veterinarii, vermiculum, qui in Cardui fullonum vertice naſcitur, pennæ anſeris incluſum absque offenſa, diſciſſâ cute frontis, inſerito, conſuitoque vulnus: ſolet viginti poſt dies emori, totidemque diebus equus liberatur. Alii Hellebori fructum recondunt: Urtica fœtida in potu & cibo data (Scrophulariam vocant) eſt proprium hujus morbi auxilium. Curant alii igne, alii ſectione venæ atque purgationibus, quæ duo fermè omnibus morbis equorum conveniunt: cùm enim parum dormiant, plurimo verò cibo utantur, atque exercitio, tum absque ordine, utroque auxilio indigent. Ex purgationib. maximè convenit medicamentum, quod ex Myrrha, Gentiana, Ariſtolochia longa, radicibus Ebuli, & Baccis lauri conſtat. Curſu à purgatione exercentur, in qua autem ab uſtione, liberis in paſcuis ab utroque nutriuntur. Generaliter verò ſi in paſcuis non ſint, loco calido ægri Equi alendi ſunt, bonisque cibis. Sanguis caſtratis non admodum minuendus, quia minus abundant: eo & plus etiam, ſi abundent, læduntur. *Cardin.*

Ne Equi aut Boves morbis premantur.

Equi & Boves aliquo morbo non prementur, ſi illis Cornu cervinum appenderis. *Abſyrtus.*

Reme-

Remedium contra omnes morbos Equorum.

Adverſùs univerſas infirmitates Equorum vel Boum, ubi primùm cœperint ægrotare potio iſta ſuccurrit: Radix Scillæ, radices Populi, quæ Græcè appellatur ῥάμνος (nam eſt fuſcior, & rubellula) & ſales communes quantum ſufficit mittes in aquam, eamque animalibus uſque ad ſanitatem dabis in potu. Quòd ſi deſperatas valetudines præoccupare volueris, ne unquam accidant animalibus tuis, incipiente Vere hanc illis præparabis potionem, & per 41. dies continuos dabis in potu. *Pub. Vegetius.*

De Oculorum Inflammatione.

Si oculus cui ſit inflammatus, Thuris maſculi, ſive ut alii habent, Medullæ agninæ utriuſque drachmam unam, Croci, Oſſis Sepiæ, utriuſque drachmam ſem. Aqu. roſaceæ drachmas decem, candida Ovorum decem, miſcebis ſimul, & ſublines. Aliud ad oculum inflammatum medicamentum conſtat ex Thure, Amylo, & Melle attico. *Abſyrtus.*

De Albugine Equorum.

Sal Ammoniacum tenuiſſimum ad mel Atticum aut aliud bonum miſceatur & illinatur, aut Butyri tantundem adjiciatur. Aut Sepiæ os tritum per arundinem inſuffletur. Aut Silphii radix cum oleo tuſa bis in die ſublinatur. Aut Erucæ ſemen integrum, velut eſt, inſuffletur in oculum, & ſinatur, donec ſemina attenuatoriâ ſuâ acredine extenuent & extergant ipſas albugines. *Idem.*

De Profluvio alvi Equorum.

Si Alvus fluat, ſanguis ex venis in capite auferatur: bibat Aquam tepidam farinâ hordeaceâ permixtam. Si inde nihilo mitius malum fiat, oleum per nares infundatur. Cohibent autem & Mali punici putamina alvum profluam, unà cum Rhoe ſyriaco contuſa, & per os exhibita. *Idem.*

De tormine Equorum.

Equus torminoſus lavetur aquâ calidâ, & contegatur. Deinde Myrrhæ drach. v. Vini veteris heminas vj. Olei heminas iij. ſimul diluta, & in tres partes diviſa, infundito. Venter inſuper Aquâ calidâ marinâ, aut Myrthi baccis, in aqua coctis, calefiat. Polii etiam folia, aut Abrotanum, aut Amygdalæ amaræ, immixto Vino nigro auſtero infundantur, aut Mali punici putamina cum Aqua. Prodeſt & Apii ſemen,

ſemen, & Cucumeris pari portione, utrumque cum Mellis & Vini pari menſura in potu datum. Aut Cardamomi ſemen tritum cum aqua; Medica etiam herba madida objicitur, itemque Hordeum. Volvuloſi porrò equi infuſo per ſedem immiſſo eluuntur, quod ex Beta aquæ incocta, & Nitri drach. 40. additis Olei drach. 30. conſtat. Eodem modo & nitrum tritum cum vino infundere per anum potes. Similiter etiam ſi ad terram minxeris, & luto inde accepto ventrem illeveris, tormina ſedabis. *Idem.*

De febriente Equo.

Febricitans Equus calido lavacro curetur; hyeme verò foveatur, ne frigeſcat. Alimentum potiſſimum Ervi, aut Tritici farinæ exhibeatur. In potu aqua tepida offeratur, Vino cum Oleo tepefacto totum corpus inungatur, venterque purgetur, & ſanguis ex collo, aut venis circa guttur, ſive pectus, aut de pede detrahatur. Genua autem calidè confricentur, ubi verò convaluiſſe videtur, aquâ calidâ lavetur. Si verò ex laſſitudine febricitet & macilentus reddatur, Lactis caprini heminam, Amyli menſuram, Olei heminam dimidiam, Ova quatuor, admixto Portulacæ contuſæ ſucco, ad dies tres, aut plures infunde, donec ſanus fiat. Si verò ob humorum impreſſionem in tonſillas, aut partes circa caput factam, febrierit, confovendus eſt ipſe, & palatum ejus ſale cum Origano tuſo, & per oleum excolato illinatur. Pedes & genua aquâ calidâ calefiant. Partes circa os Solano trito, & vini fece confricentur. Algis aut viridi gramine, ſeu fœno, abſque hordeo nutriatur. Si verò ſanguis per nares ipſi feratur, Coriandri ſuccus, aut Laſeris ſuccus dilutus, per nares infundatur. *Idem.*

Ad impinguandos Equos graciles.

Si gracileſcat Equus, frumentum torrefactum, aut Hordeum pinſitum dupla menſura ipſi objiciatur: ter in die ad potum ducatur. Si verò perſeveret macies, furfur frumento miſceatur, & levibus gymnaſiis exerceatur. At verò ſi non ſit edax, Solani & Polii folia aquâ potabili trita, & diluta, naribus infundunt. Hordeum verò & Ervum aqua macerata proponunt: aut Melanthii cyathos duos terunt, & admixtis Olei cyathis tribus, cum Vini hemina faucibus ingerunt. Nauſeantem curabis Allio trito, & Vini hemina af-

na affusa, ac data. Si urinæ emittendæ teneantur, ovorum decem candidum ad prædicta admixtum per os infundimus. *Constantinus Cæsar ex Absyrto.*

Malagma ad nervos claudos Equorum.

Accipe Sebi hircini libr. j.
Mollicidinæ semilib.
Resinæ libr. j.
Æruginis semilib. Misce. *Pub. Vegetius.*

Compositio Pulveris quadrigarii.

Quadrigarium pulverem vocant qui ex diverso pigmentorum genere mixtus, & per se adjuvat equos, & alia animalia, & aliis potionibus pro modo, vel curatione miscetur. Hujus Chiron talem compositionem saluberrimam credit:

Rec. Tragacanthi pondera iij.
Aloë unc. vj.
Myrrhæ unc. vj. & scrup. j.
Costi unc. j. & scrup. j.
Armoniaci unc. j.
Cassiæ unc. j. & scrup. j.
Gentianæ,
Aristolochiæ longæ,
Centaureæ,
Betonicæ,
Saxifragiæ,
Sambuci,
Opii,
Abrotani, singul. lib. j.
Eupatoriæ unc. vj.
Cardamomi unc. vs.
Folii unc. iij.
Spicæ nardi unc. iis.
Spicæ Celticæ unc. vj.
Asari lib. j.
Dauci unc. iij.
Castorei,
Opopanacis,
Galbani,
Strutii, sing. unc. vj.
Panacis radicis unc. j.

Liqui-

Liquiritiæ unc. vj.
Abſynthii faſces iij.
Succi herbæ periſterei ſiccæ & cribratæ unc. v.

Hæc omnia pariter conteres, & diligentiſſimè in vaſe vitreo, vel ſtanneo ſervabis. Cùm opus fuerit ſingula Cochlearia, vel amplius, ſi vires patientur, Equis vel Jumentis ſingulis dabis, addito Vino & Oleo. Interdum aliis potionibus miſcebis, ſi ratio artis, vel cura mandaverit. *Publ. Vegetius.*

Ut Equæ abortiant.

Ariſtoteles dicit, quòd Equæ, quando odorant fumum lampadis extinctæ, abortiuntur, & indignantur: ſimiliter hoc accidit quibuſdam mulieribus prægnantibus.

DE SECRETIS ASINORUM.
CAP. III.

Ut Aſinus non rudiat.

ASINUS lapidem habens caudæ alligatum rudere non poteſt. *Simoneta Cardin.*

Aſini animo delinquentes.

Illud ſilentio nequaquam involvam, quod Plutarchus tacitum noluit, quid illud, inquies? Aſinos & Equos linqui animo, qui ficos dorſuarii comportarint, ſed majore miraculo dignum eſt remedium, quo & ipſis, & hominibus quoque ſuccurritur. Exanimata ferè jumenta, extinctosque penè deliquio virium homines objectus panis revocat: namque ſi pauxillum hujus voraverint, protinus cibo ſeſe recolligentes roborantur, & priſtinum iter proſequuntur. Nec ſecus in hominibus eveniſſe idem prodidit *Plutarchus.* Brutum, inquit, per altas nives in Apolloniam proficiſcentem cùm animus defeciſſet, panis ab hoſte muros urbis defendente projectus ex tempore recreavit.

Claudicatio Aſinorum ut ſanetur.

Cæterùm claudicantes Aſinos curabis, ſi aquâ calidâ totum pedem circumlaveris, & ſcalpello expurgaveris: quod poſtquam feceris, Urinam veterem calidam, in qua Adeps maximè caprinus eliquatus ſit, aut ſi is haberi nequeat, bubulus, circumfundes, atque hoc facies uſquequò ſanitatem adipiſcatur. *Conſtantinus Cæſar ex Abſyrto.*

DE

DE SECRETIS BOUM.

CAP. IV.

Boum cicuratio.

NOVELLOS cùm quis emerit juvencos, ſi eorum colla in furcas deſtitutas incluſeris, ac dederis cibum, diebus paucis erunt manſueti, & ad domandum proni. *Varro.*

Boves ne pedes ſubterant.

Boves ne pedes ſubterant, priuſquam in viam quôquam ages, Pice liquidâ cornua infima unges. *M. Cato.*

Boves ut valeant.

Boves ut valeant, & curati benè ſient, & qui faſtidient cibum, ut magis cupidè appetant, pabulum quod dabis, amurcâ ſpargito, primò paululum dum conſueſcant, poſtea magis, & dato rarenter bibere commixtam cum aqua æquabiliter quarto vel quinto quoque die. Hoc ſi facies, Boves & corpore curatiores erunt, & morbus aberit. *Idem.*

Boves ut non fiant debiles.

Ervum maceratum tritum ſingulis menſibus in potu exhibe, plagam boum curabis Malvâ ſylveſtri tritâ. *Democr.*

Boves laborantes ut non laſſentur.

Oleo & Terebinthinâ invicem coctis cornua illinito. *Idem.*

Boves ne à muſcis infeſtentur.

Lauri fructum tenuiſſimè tritum, & in Oleo coctum Bobus illinito, aut ex ſaliva propria ipſorum Boum eos inungito. Tauri illinito naribus roſaceo oleo, tenebris offuſis vertiginoſi fiunt. *Aphricanus.*

Boves ut pingues fiant.

Boves pingues facies, ſi redeuntibus à paſcuis primâ die Braſſicam conciſam, & acri Aceto maceratam objeceris: deinde paleas excuſſas, & furfuribus triticeis mixtas, ad dies quinque. Sextâ autem hordei moliti heminas quatuor, & ſex ſequentibus diebus paulatim alimentum auxeris. Et hyeme quidem circa gallicinii horam nutries, deinde circa diluculum, & quando potum dabis. Reliquum alimenti circa veſperam. Æſtate autem primum pabulum ſub diluculum: ſecundum ad meridiem offeres, deinde novum exhibebis, & ſic tertium pabulum circa ho-

ca horam nonam dabis : & rurſus potum hyeme quidem aquam calidiorem, & æſtate autem tepidam. At verò ora ipſorum urinâ colluunt incumbentem pituitam extrahente, & linguam à vermibus purgant volſella exemtis. Naſcuntur enim vermes in linguis ipſorum, quos deinde ſale confricant. Sed & ſtramenti ipſorum curam habere oportet. *Sotio.*

Bos ſi ægrotare cœperit.

Bos ſi ægrotare cœperit, dato continuò ei unum Ovum gallinaceum crudum, integrum facito ut devoret. Poſtridie caput ulpici conterito, cum hemina vini, facitoque ebibat, ſublimiter terat, & vaſe ligneo det, Bosque ipſius, & qui dabit, ſublimiter ſtet. Jejunus, jejuno bovi dato. *M. Cato.*

Bobus medicamentum.

Si morbum metues, ſanis dato
Salis micas iij.
Folia lauri iij.
Porri fibras iij.
Ulpici ſpicas iij.
Allii ſpicas iij.
Thuris grana iij.
Herbæ ſabinæ plant. iij.
Rutæ folia iij.
Vitis albæ caules iij.
Fabulos albos iij.
Carbones vivos iij.
Vini hem. iij.

Hæc omnia ſublimiter legi, teri, darique oportet jejunus ſiet, qui dabit. Per triduum de ea potione unicuique bovi dato. Ita dividito, cùm ter unicuique dederis, omnem abſumas. Bosque ipſius, & qui dabit, facito, ut uterque ſublimiter ſtent, vaſe ligneo dato. *Idem.*

Boves ut pingueſcant.

Bobus ex equis roboreæ plantæ cum ſtramine ſupponantur : ſic enim jacentibus molle, ſtantibus durum fiet. Pingueſcunt boves dulcibus frondibus Ulmi, Sale, & lotione aquæ. *Cardanus.*

De capitis dolore Boum.

Dolorem capitis Bovis priùs cognoſcere oportet. Quando

do igitur demiſſis auribus non comedit, capitis dolor adeſt. Lingua igitur ipſorum Thymo trito cum Vino & Allio & ſale tenui confricetur. Ptiſana etiam cruda vino diluta prodeſt. Quin & Lauri foliis manûs plenæ menſurâ acceptis, & in os immiſſis, aut Mali punici putaminibus medeberis. Et Myrrhâ magnitudine fabæ in duabus Vini heminis dilutâ, & per nares infuſâ curabis. *Democritus.*

De Profluvio alvi Boum.

Rhamni folia contuſa, & bitumine intecta edenda dato. Alii Mali punicæ folia tuſa, Polenta obducta in cibo exhibent. Alii farinæ Frumenti ſive Tritici torrefacti heminas duas, cum aquæ menſura dimidia ſubactas exhibent. *Idem.*

De Tormine Boum.

Qui Torminibus vexatur Bos, in uno loco non perſiſtit, neque cibum attingit, ſed ſuſpirat, ac gemit. Modicum igitur alimentum ipſi objiciendum eſt, & caro circa ungues perpungenda, ut ſanguis inde promanet. Quidam circa caudam aperiunt, ut ſanguis effluat; & panniculo obligant. Alii Cepas, & Salem ſimul uniunt, & coacta in ſedem, quàm penitiſſimè protendunt, & ad curſum cogunt. Alii Nitrum tuſum per os ingerunt. *Idem.*

De febriente Bove.

Bos febriens non admittit cibum, deorſum nutat, lachrymatur, ſordes in oculis habet, circa oculos cavatur. Eum curabis hoc modo: Ex opacis locis Gramen capito, & lavato, eique edendum præbeto, aut Vitis folia. In potu exhibeatur aqua quidem frigidiſſima, verùm non ſub dio, ſed maximè loco umbroſo, aures verò & nares ſpongiâ aquâ imbutâ detergantur. Quidam cauterio faciem ipſius perurunt; & partes ſub oculis itidem, easque ſpongiâ urinâ veteri calidâ imbutâ bis per diem confricant, donec cruſtæ excidant, & vulnera cicatricem recipiant. Lancinantur etiam aures, ut ſanguis effluat. Quidam Polentam vino ſubigunt, & edendam præbent: alii Muria diſſolvunt, & amiculis concalefaciunt: alii Cytiſum præbent cum vino, id quod non Bobus tantùm, ſed & alii pecori auxiliare eſt. *Didymus.*

De tuſſiente Bove.

Hordeum molitum maceratum, & palearum tenerrimas partes repurgatas, & Ervi moliti heminas tres, in tres partes diviſas, ſingulatim edendas præbeto. Quidam Artemiſiam herbam tritam, ac dilutam aquâ exprimunt, & ante pabulum ad dies ſeptem infundunt. *Conſtant. Cæſar.*

De ſuppuratis Bobus.

Si ulcus ſuppuratum collegerit Bos, Urinâ bovis veteris calidâ ipſum purgare ac eluere oportet, & lanis extergere, deinde emplaſtra ex Sale tenui, ac Pice liquida imponere. *Idem.*

Ad Boves claudos.

Si ob perfrigeratam partem Bos claudicet, pedem lavare oportet, & affectam partem ſcalpello aperire & Urinâ veteri fovere: deinde ſalem inſpergere, & ſpongiâ aut panniculo extergere: poſtea Adipem caprinum, aut bubulum, ferro calido affrictum dolenti parti inſtillare. Si ex calcata ſpina, aut ejuſmodi quopiam claudicaverit, alia quidem ſimiliter facienda ſunt: Verùm Cera cum Oleo vetere, & Melle, Ervique farina colliquata, & refrigerata ulceri indatur, deinde teſta tenuis cribrata, ad Ficus aut Mala punica tuſa admixta imponatur, & panniculo integatur, obligeturque diligenter, ut nihil temerè ſubeat, donec ſtare potuerit, ſic enim ſanus evadet. Tertiâ autem die reſolve, eademque adhibe. Si verò ob influentis materiæ impetum claudicârit, pars ipſa cum oleo & paſſo cocto calefiat: deinde cruda hordeacea farina calida imponatur. Quum verò matura facta fuerit & mollis, dividatur ac eluatur: elotæ autem parti diviſæ Lilii folia, aut Scilla cum Sale, aut Polygonum, aut Marrubium tuſum imponatur. *Florentinus.*

De Scabie Boum.

Scabiem & Eruptiones Urinâ bubulâ veteri, & Butyro quidam oblinunt; Alii Reſinam aut Picem liquidam cum Vino cataplaſmatis modo imponunt, & ſic ipſos ſanant. *Conſtantinus Cæſar.*

De Vermibus Boum.

Aquâ frigidâ quidam irrorant Ulcera, & ſic enecant vermes. *Idem.* Melius eſt, ſi Oleo Abſynth. ac Tanaceti cum Eſſentia Aloës & Myrrhæ ſubinde extergas.

Ad Pediculos Boum.

Bovem ſupinum dejicere, ac proſternere oportet, & capite ſurſum ſpectante, linguam contemplari, an bullas habeat. Has autem ferramentis acutis & ignitis inurere oportet, deinde ſylveſtris Oleæ foliis contuſis cum Sale ulcera illinire, aut Sale tenui cum Oleo, aut Butyro cum Sale: aut Cucumeris ſylveſtris aridi radix contuſa, ſimul cum Ficubus ad edendum præbeatur. Aut Polentæ heminæ duæ & farinæ frumenti torrefacti tantundem, Vino madefacta exhibeantur. *Idem.*

Si Bovem ſerpens momorderit.

Si Bovem ſerpens momorderit, Melanthii cætabulum, quod Medici vocant Smyrnium, conterito in vini veteris hemina. Id per nares indito, & ad ipſum morſum ſtercus ſuillum apponito. Et idem hoc (ſi uſu venerit) homini facito. *Marcus Cato.*

DE SECRETIS TAURORUM.

CAP. V.

Ut Tauri cicureſcant.

TAURI indomiti & feroces fico alligati cicurantur, & immobiles conquieſcunt. Quod & Caprifico illorum collis circumdato Plin. adſcripſiſſe mihi videtur.

Taurus ut manſueſcat.

Ælianus tradit Taurum manſueſcere, ſi dextrum ipſius genu faſciâ deligetur. Accedat ex Senecâ, quòd ſicuti Tauros rubicundus color excitat, ita mappa alba

Urſos ac Leones proritat.

DE SECRETIS OVIUM.

CAP. VI.

Ut Oves aliquem ſequantur.

OVES eum ſequi ſolent, ut ſcripſit *Didymus*, qui vellere illarum aures obturaverit.

Ut Aries non incurrat, ac impetat.

Cornua ipſius propè auriculas ejus perforato. *Conſtantinus Cæſar.*

Ut prægnante Ove cognoſcatur, qualem colorem habeat fœtus.

Aperito prægnantis os, & ſiquidem inveneris linguam ipſius nigram, nigrum agnum pariet. Si verò albam, album. Si autem variam, varius erit & partus. *Didymus.*

Ut Agni non ægrotent.

Hederam ad dies ſeptem edendam exhibe, & non ægrotabunt. *Idem.*

Oves ne ſcabræ fiant.

Oves ne ſcabræ fiant, Amurcam condito, puram benè facito, aquam ubi Lupinus deferbuerit, & fecem de Vino bono inter ſe omnia commiſceto pariter. Poſtea cùm detruſeris, ungito totas, ſinito biduum aut triduum conſudent, deinde lavato in mari: ſi aquam marinam non habebis, facito aquam ſalſam eaque lavato. Si hæc ſic feceris, neque ſcabræ fient, & lanæ plus, & meliorem habebunt, & ricini non erunt moleſti. Eodem in omnes quadrupedes utitor, ſi ſcabræ erunt. *M. Cato.*

Oves ut à cibo deterreantur.

Lupi ſtercus in ſtabulis pecudum occultatum, non ſolùm eas à conſueto cibo deterret, ſed etiam veluti œſtro quodam maleficii actas, ultrò citroque exagitari, balare, & continenter trepidare cogit, ac ſi præſens eſſet, aut cum eis diverſaretur infenſiſſimus, ac voraciſſimus illarum hoſtis lupus. Quem vel ex ſolo odore latitantis ejus fimi ſibi inſidiari putant. Nec iis rebus deſiſtunt, donec ablatum ſenſerint dictum ſtercus. Hoc ſanè aucupio vidi quoſdam impo-

impoſtores circumforaneos jactitantes, ſe pecoris ægrotantis, vel aliter affecti, ſummos eſſe Medicos & magnâ pecuniâ ſimplices ruſticos emunxiſſe, vel pro pecuniâ præpinguem oviculam ſecum aſportâſſe. Idem poſſe Lupi caudam tradunt *Rhaſis & Albertus.* Imò verò quidvis ex eo animali ad caudas translatum, tanta eſt ejus antipathia, & naturalis diſcordia cum ovillo pecore univerſo. *Mizald.*

Ad Ovium morbos mirum remedium.

Ventriculum Arietis in aqua & vino coctum, pleroſque Ovium morbos ſanare in potu datum, haud immeritò proditum eſt; nam ſympathia eſt. *Cardanus.*

Quando, & quomodo Oves tondendæ.

Neque frigore adhuc exiſtente, neque æſtatis tempore, ſed medio Vere oves tondere oportet. Vulnera quæ inter tondendum contingunt, Pice liquidâ illinantur: reliquum corpus ex vino & oleo, aut ſucco Lupinorum amarorum decoctorum. Præſtat tamen vinum pari amurcâ mixtum, aut oleum & vinum album, cerâ & adipe commixtâ, illinere. Hoc enim & lanæ nocumentum non affert, & ſcabiem fieri non permittit, & ulcerationem fieri prohibet. Obſervare autem oportet, ut probè deterſæ, poſt primam diei horam, reſiccato rore, per noctem in lanas illapſo, tondeantur, magis utique in Sole. Exudante enim dum tondetur, oviculâ, ſudor lanis excipitur, lanaque coloratior & mollior redditur. *Didymus.*

Ut Oves & Capræ peſtilentiâ non laborent.

Si Ciconiæ ventriculo aquâ contrito, cochlearis unius menſuram ſingulis infuderis, peſtilentiâ non tentabuntur. *Conſtantin. Cæſar.*

Ut Pecora multum lac faciant.

Omnia pecora immenſum lac dabunt, unaque fœtum nutrient, ſi Cytiſum comederint, aut Dictamnum ventribus ipſarum alligaveris. *Aphricanus.*

Peſtilentiæ Ovium medela.

Providere oportet, ut Oves primùm in peſtilentem morbum non incidant. Vere itaque incipiente Salvia montana, & Marrubium herba, ſimul tuſa in potu miſceantur, ad quatuordecim dies. Idem & autumno totidem diebus faciendum

dum eſt. Si verò eas corripiat morbus, iisdem remediis utendum. Cytiſi quoque fœnum prodeſt in pabulo ſumtum, & Arundinis radices tenerrimæ in potu maceratæ. Ægrotantes inſuper in aliam regionem transferendæ ſunt, ut neque ſanæ ipſis permiſceantur, & ipſæ aquâ & aëre alio participantes convaleſcant, & corroborentur. *Leontius.*

Ad Ovium ſcabiem.

Scabies ne ab initio quidem acceſſerit, ſi quis poſt tonſuram ex his, quæ diximus, illinat. Si verò negligentiâ tuâ contingat, curabis ipſam hoc modo: Amurca inſulſa excolatur, & aqua in qua Lupini amari macerati ſunt, & fex Vini albi, ſingula pari copiâ mixta in vaſculo calefiant: & his illita Ovis ad biduum permaneat. Tertiâ deinde ex aqua marina calida lavatur, & poſtea etiam ex aquâ potabili. Alii Cupreſſi pilulas ſimul cum aqua affundunt. Alii Sulphur & Cyperum, cum Ceruſſa & Butyro tuſa illinunt. Quidam mingente Aſino in via, id quod conſiſtit lutoſum illinunt. Quidam adhuc diligentiores meliùs faciunt, & non priùs quicquam prædictorum remediorum ſcabioſæ adhibent, quàm pars affecta ſit detonſa, & Urinâ veteri confricta. Scabiem porrò Ovium curabis etiam Urinâ lavando, & Sulphur illinendo.

Ad diverſos Ovium morbos remedia.

Si Solis ardor Oves læſerit, cadantque aſſiduè, & non edant, Betæ ſylveſtris ſuccus exprimatur, & infundatur: coganturque etiam Betas edere.

Si difficilem haberent Spirationem, aures retro incidantur, & in alios locos transferantur.

Si Tuſſis vexet, Amygdalæ purgatæ, & tuſæ, Vini cyathis tribus mixtæ per nares infundantur.

Si ex nocentiore pabulo venter intumeſcat, ſanguinis detractione curabis ipſas, lancinatis & apertis ſupra labra venis, & his, quæ ſub cauda ſunt, juxta ſedem, ſed & hominis Urinam ſeſquiheminæ menſura infundere oportet.

Si Vermes cum herba comederint, idem faciendum eſt.

Si Hirudinem glutiverint, Acetum acre calidum, aut oleum infundatur.

Si Abſceſſum in ſuperficie habeat, dividatur, & in vulnus Sal tenuis torrefactus cum Pice liquida imponatur.

Si à reptili quopiam morſa ſit, aut percuſſa, Melanthium

cum

cum vino præbeatur, fiantque & objiciantur ea quæ in Bobus & reliquis prædiximus.

Lupi in pecora non faciunt incurſum, ſi Scillam ei, qui dux gregis appellatur, alligaveris. *Anatolius.*

DE SECRETIS HIRCORUM. & Caprarum. CAP. VII.

Ne Hirci fugitivi fiant.

HIRCI fugitivi non erunt, ſi barbas illis præcideris. *Florentinus & Zoroaſter.*

Ut Capræ multum lac præbeant.

Herbam Quinquefolium, Pentaphyllum Græcis dictam, antequam bibant, ad dies quinque edendam præbe. Capræ multum lac faciunt, ſi Dictamnum circum ventres ipſarum alligaveris. *Florentinus.*

DE SECRETIS PORCORUM. CAP. VIII.

Ad impinguandos Porcos.

PINGUESCUNT Porci furfuribus frumentàceis, & quiſquiliis arearum, & frumento. Hordeum autem ſupra hoc, quod pinguefacit, etiam ad generationem indifferens animal facit. *Florentinus.*

Peſtilentiæ Suum medela.

Porci peſtilentem affectionem non incurrent, aut illapſi ſanabuntur, ſi in aquam, unde bibunt, Aſphodeli radices conjeceris, aut etiam ubi frequenter lavantur. *Idem.*

Sues ne ægrotent.

Sues non ægrotabunt, ſi novem Cancros fluviatiles edendos præbueris. Cognoſcuntur ægrotantes Sues, evulſis è cervice pilis. Si enim ipſi pili puri fuerint, ſani ſunt. Si verò cruenti aut ſaniem quandam craſſiorem circa pilos habuerint, ægrotant. *Democritus* igitur Phyſicus Aſphodeli radicis modicè tuſæ minas tres, ſingulis Suibus in cibo admiſcere jubet, & ante ſeptimum diem firmam ſanitatem inde recuperare teſtatur. Si febricitent, ſanguis ex cauda detrahendus eſt. Si tonſillæ infeſtentur, ex ſcapulis

ſanguis auferatur. Si verò ignotus morbus occupet, per diem & noctem totam includantur, neque cibus neque potus ipſis offeratur. Verùm radices Cucumerum ſylveſtrium tuſæ in aquam mittantur per diem ac noctem, ipſaque aqua poſtridie in potu præbeatur: poſtquam enim largiùs biberint, paulò pòſt morbi cauſam ſimul evoment. Quandoquidem verò edax animal eſt, ſpleneque maximè ægrotat, prunas Tamaricis in aqua extinctas in potu exhibe. Sed & homines vinum pro aqua ſupra Miricæ prunas fuſum, ac potatum ſanabit. Cui rei evidens teſtimonium *Democritus* præbet. Idem *Democritus* hominis ſpleni medelam promittit, ſi ferrum prunis candefactum aquâ extinguas, deinde aquam aceto miſceas, & bibendam dolenti ſplenem præbeas. Quum verò à reptilibus commorſæ fuerint Sues, iiſdem auxiliis, quæ ad pecora prædiximus, curabuntur. *Didymus.*

DE SECRETIS CANUM.

CAP. IX.

Canis ut quemvis ſequatur.

PINGUEDINEM de matrice canis ſumito, & cum pane ad comedendum cani præbeto & ſequetur. Eâdem etiam pinguedine calceamenta inuncta efficiunt, ut canes omnes ſequantur. *Fallopius.*

Canis ne te deſerat.

Cani, ſi Ranam coctam dederis, efficies, ut nunquam à te diſcedat. Verùm ego Ranas plures dediſſe canibus coctas obiter me exiſtimo, qui tamen mihi non paruerunt. At ſi cùm diſcedunt, ab alio verberantur: ſi cibum à te ſolùm accipiunt, non deſerent. Exiſtimant quidam, exhibito pane ſub ala contento, ita ut ſudore maduerit, fieri obſequentiores amantioresque Domini. *Cardanus.*

Canes ne latrent.

Si vis Canes non latrare, nigri canis oculus viventi adhuc ipſi detrahatur, ſi tecum detinueris eum, alii canes tibi adhærenti, vel juxta eos ambulanti, nec allatrabunt, nec foras voces emittent: quod fortaſſe evenit odore oculi. Violentiùs operabuntur, & tutiùs deges, ſi oculis vel luporum corde comitaberis. Sic quoque dicitur de Hyænæ lingua in

manu

manu detenta, nec ſolùm illa canes elingues, ſed geſtantem ab eis incolumem reddit. *Joan. Bapt. Porta.*

Canes ut obtumeſcant.

Similis virtus eſt in oculis Hyænæ, quæ quodcunque animal luſtraverit, è veſtigio hæret, ſtupeſcit, & movere ſe non poteſt: ſimilis virtus eſt in oculis Luporum quorundam, qui ſi quem priùs viderint, ſtupeſcit, & rauceſcit adeò, ut ſi clamare voluerit, non habeat vocis miniſterium. *Agrippa.*

Ut aliquem canes fugiant.

Cor canis habentem fugiunt canes. *Idem.*

Canes ut quàm celerrimè venationi ſe accommodent.

Primùm reſolvendum eſt, cui generi eos applicare velis, & eorum animalium, quæ venationi ſunt deſtinata, ſanguinem cum offis ſtatim poſt ablactationem ſubminiſtres: nempe ſi ad Cervos, & Lepores, cervinum, vel leporinum: ſi ad Apros & Vulpes, aprinum & vulpinum ſanguinem dabis. Si ad Perdices, cor & inteſtina, & caput porriges. Hac ratione fiet, ut ſtatim horum animalium veſtigia inſequantur, nec aliis aviculis, aut animalibus obviis animum applicent, & à recta venatione avertantur. *Ex libro manuſcripto.*

Canes ne Rabie corripiantur.

Subeſt linguæ Catellorum nervus, vermiculi effigiem præ ſe ferens, rotundâ & tereti formâ: qui ſi eximatur, eos à rabie immunes reddit, facitque ut minimo latratu ſint infeſti, nec quenquam lethali morſu impetant. *Colum. & Plin.*

Ad Canum rabiem.

Rabientes Canes concludantur, cibusque non præbeatur ad diem unum, deinde ex Veratro quippiam in potum miſceatur. Quum fuerint purgati, hordeaceo pane nutriantur. Eodem etiam modo commorſos à rabioſis canibus curabis. *Theomneſtus.*

Canum morbi curatio.

Canum venena ſunt, Spongia frixa cum adipe, devoratur quidem ſed reddi nequit (tumet enim,) nec concoquitur, (eſt enim contumax.) Eâdem ratione, ſed minùs occidunt

cidunt pelles animalium: nux item illa, quam Vomicam vulgus vocat levis, atque duratum vitrum: nam reliqua venena vomere ſolent, curantur autem Oleo copioſo ebibito, quod & in morbis ſponte naſcentibus plerunque utile eſt. *Cardanus.*

Ad Canum pulices, ſcabiemq́.

Pulices Canum perdes aquâ marinâ vel muriâ, deinde Cyprino illito cum Veratro, aquaque & Cumino, & Uva acerba. Aut Cucumeris radice illitâ cum aqua. Præſtat autem Amurcâ corpus illinire, ſcabioſis enim medebitur. *Theomneſtus.*

DE SECRETIS ANIMALIUM ſylveſtrium in genere.

CAP. X.

Animalium feritas ut mitigetur.

CRATEVAS *Hippocratis* herbarius tradit, aſperſu plantæ Oenotheræ ex Vino, omnium animalium feritatem, nedum hominum, mitigari. Quod de radice intellexit *Theophraſtus.* Sic *Ælianus* Oenuttam Cervos, & Canes inebriare ſcribit.

Feras ut arceas.

Ut à feris tutus ſis, præter arma, hæc ſunt auxilia. Ignis, eum enim horrent: non ita Serpentes, nam quidam ſeu ob lucem, ſeu ob calorem ſponte accedunt. Funis attractus: vel ſi deſit, figat lignum in medio: nam ubi viderint, inſidias timent. Retro etiam euntes verſùs illos, abſconſo capite, ſed jumenta præcipuè timent. Et cornu, ſi quis inſonet vehementiùs. Conſtat ergo machinas igneas quadrifariam illas arcere, aſpectu ignis, ſtrepitûs auditu, fœtoris olfactu, tum demum ſi attingas. Odore etiam maximè tetro abigerentur, ſi vis odoris, aut ſonitus, aut lucis augeri adeò poſſet. *Cardanus.*

Ut à Feris tutus ſis.

Si quis Leonis pinguedine perunctus ſit, à feris eſt tutus, cùm odorem illum ſeu viventis, ſeu mortui expaveſcant.

Hoc

Hoc autem maximè intrepidus obviam iveris: nam si fugam arripueris, vix odorem percipient. *Cardan.*

DE SECRETIS ANIMALIUM sylvestrium in specie.

DE SECRETIS CERVORUM.

CAP. XI.

Cervi quomodo senectutem renovent.

NOTUM est, quòd Cervi renovant senectutem suam comestione Serpentum: eodem modo Phœnix renovatur per rogum, quem sibi construit. *Corn. Agrip.*

Ad Cervos fugandos.

Cervi formidant funiculum, qui pennas quasdam circumsitas & appensas habet, nimirum pennarum motum imaginantes. Contemnunt autem ejusmodi terriculamenta, ubi homines ipsis astantes viderint. *Democritus.*

Ad Cervos alliciendos.

Cervi tibias, & fistulas concinnas audientes, non aufugiunt, sed jucunditate tonorum capti permanent, atque sic capiuntur. *Idem.*

DE SECRETIS APRORUM.

CAP. XII.

Ut quis à sylvestribus Suibus sive Apris securus sit.

SI velis ab incursu sylvestrium Suum securus esse, Cancri ungulas, ac pedes pro amuleto alligatos habeto. *Democritus.*

DE SECRETIS LEPORUM.

CAP. XIII.

Ætas Leporum quomodo sciatur.

ANNORUM quot sint Lepores, si quis velit scire, inspicere oportet foramina naturæ: quòd sine dubio alius alio habet plura. *Archelaus.*

Lepo-

Lepores quomodo impinguandi.

Hoc nuper inſtitutum, ut ſaginarent plerique, cùm exceptos è leporario concludunt in caveis, & loco clauſo faciunt pingues. *M. Varro.*

Ad Lepores congregandos.

Succus Hyoſcyami cum ſanguine juvenis Leporis mixtus, & in leporina pelle conſutus, fertur omnes lepores congregare, qui fuerint in eo tractu, ubi ſepultus jacuerit: non ſecus quàm matrix Canis alios canes. Ex vetuſtiſſimo commentario. Sunt qui mihi affirmârint id verum eſſe.

DE SECRETIS VULPIUM.

CAP. XIV.

Ne Vulpes gallinaceos vorent.

VULPES gallinaceos non attingunt, qui vulpinum jecur comederint. *Corn. Agrippa.*

DE SECRETIS LUPORUM.

CAP. XV.

Ad arcendos Lupos.

QUOD ſi Lupi cauda in villa ſepeliatur, prohibet ab introitu ejus Lupos. *Rhaſis & Albertus.*

Lupi ne beſtiis noceant.

Si cauda Lupi ſupra præſepio vaccarum, aut pecudum ſuſpendatur, non appropinquabit Lupus, donec auferatur. *Albertus.*

Ad Lupos capiendos.

Lupos venaberis hoc modo. Blemmi piſces ſunt parvi marini, quos aliqui Lupos appellant: hi venationem terreſtrium Luporum perficiunt hoc modo. Vivos ipſos quàm plurimos piſcaberis, & conteres in mortario, aut pila, & prunam plurimam excitabis in monte, in quo Lupi verſantur, vento videlicet ſpirante; accipiesque ex his piſcibus, & in ignem mittes, cruorem deinde, & carnes agninas tenuiter conciſas, probè permiſcebis, & ad contuſos piſces adjicies, ſecedesque ex illis locis. Poſtquam enim rogus gra-

graviter olere cœperit, Lupi ejus regionis omnes congregabuntur. Ubi autem participaverint de carnibus, aut odore, tenebris offuſis vertiginoſi redditi ſoporabuntur. Itaque velut torpentes ipſos reperiens mactabis. *Diophanes.*

DE SECRETIS ANIMALIUM.

CAP. XVI.

Animal è diverſis commixtum.

ANIMAL è diverſis commixtum ſic generare poſſumus: Animalia quære multipara, id eſt, quæ plures edunt uno nixu fœtus, & quæ maximè ſalacia ſint, & in quibus vincat coëundi voluntas, mares fœminis obſequia ſollicitent, commiſcere inter ſe curabis, quibus par quoque ſit corporis magnitudo, geſtationis tempus æquum, vel ſanè non longè diverſum: ſic ex alienigenorum inter ſe animalium congreſſu, diverſa prodeunt ſemifera monſtra, multiplici naturæ varietate. Ex Lupo enim & Cane generatur fera, quæ Crocuta dici ſolet, producendique ejus modum docet *Ariſtoteles.* Leæna cum Pardis coit, unde ignobiles generantur Leones, non jubati, & maculoſi fœtus, ut refert *Philoſtratus.* Cum Pantheris quoque coeunt Lupi, ſic animal gignitur bigenere, quod Thoes dicitur, maculoſâ pelle Pantheram referens, facie autem patrem, quod tradidit *Oppianus.* Sic à Vulpe, Lupo, Tygride, Simiâ, Leone & ſimilib. talia fiunt. Ut crebrò græcè dici ſoleat, ſemper novi aliquid Africam afferre; ob aquæ enim inopiam egeſtatemque ſiticuloſis in regionibus, è longinquo coguntur bibendi gratiâ in unum congregari, vi aut voluptate ad commiſcendum cogente, & inibi è varia ſeminum mixtura, varias ſubinde animalium naſci formas. Nec tales fœtus Africæ in regionibus tam prodigioſi habentur, cùm familiares ſint incolis illius partus. In novis igitur procreandis exemplis utitor. Item in Æliano legi, apud Sybarim paſtorem fuiſſe nomine Crathin, qui cùm Capellam omnium formoſiſſimam deperire cœpiſſet, & libidinis œſtro acriùs excruciaretur, eandem mirè inibat, ac uti amicam amplexabatur, non citra ſuaviationem crebram: idemque capellarius amator, pabulum lætius amœniusque objiciebat, ut illi ſuavior fieret anima: inde ex concubitu brutino natum ferunt infan-

infantem, cruribus matrem qui referebat, facie autem patrem. Pullus autem è diverſis commixtus ſic eveniet: marem Palumbum cum gallinâ coire curabis, pullusque emerget non injucundus viſu. Sic quoque è Perdicibus, Gallinis, Phaſianis eveniet, diverſisque Accipitribus & Pavonibus. Dabit mixtum fœtum Gallina, ſibique ſimilem admodum, eique à quo prolificum acceperit ſemen. *Johan. Baptiſta Porta.*

DE SECRETIS MURIUM.

CAP. XVII.

Mures ut necentur.

MURES necantur Veratro cum Polenta objecto, aut ſylveſtris Cucumeris ſemine cum Veratro nigro, Colocynthide, & Polenta. Si verò Calcanthus, & Origanum, & Apii ſemen, & Nigella ſuffumigentur, fugabuntur. Si porrò cinerem quercinum cavernæ appoſueris, incinerati ſcabie infeſtantur & necantur. Si ferri limaturam, hoc eſt, ramenta lima detrita, fermento immixta poſueris, ubi abundant, ea guſtata morientur. *Paxamus.*

Mures ut excæcentur.

Si libeat Mures excæcare, Tithymalum contuſum & cum Polenta, & Vino mulſo mixtum, ipſis appone: ubi enim ederint, excæcabuntur. *Idem.*

Mures ut fugiant.

Si unico Mure apprehenſo caput ipſius excoriaveris & dimiſeris, reliqui fugabuntur. Item Mures fugantur Hæmatites lapidis ſuffitu, & Myricâ viridi ſuffumigatâ. *Paxamus.*

Mures ut congregentur.

Anatolius Amurcam in pelvim æream infundere jubet, & in media domo noctu deponere, eoque pacto omnes Mures etiam in aliis domibus congregari adſeruit.

Ad congregandum Mures.

Habe duos Mures vivos vel plures, quos in prælatum fictile miſſos, igni ex fraxineo ligno excitato expone. Ubi con-

concaleſcet fictile, jucundo ſpectaculo videbis ad pippitum & ſibilum incarceratorum, Mures è proximo omnes accurrere, & ſe in ignem rectà præcipitare, ac ſi obſeſſis auxiliatum venirent. Quod Fraxini fumo adſcribendum arbitrarer. *Mizald. ex Alberto.*

Adverſus agreſtes Mures, nec non domeſticos Auxilia.

Mures jacta ſemina nullo modo perſequi tradit *Apulejus*, ſi Bubulo felle macerata fuerint, antè quàm ſpargantur. Necabuntur, ſi foliis Rhododaphnes illorum aditus clauſeris. Non deſunt ex Græcis, qui ſylveſtris Cucumeris, aut Hyoſcyami, vel Amygdalarum amararum, & Veratri nigri pares portiones contuſas Polentæ immiſceant, ac Oleo ſubigant, agreſtiumque Murium, aut domeſticorum cavernis, & cuniculis apponant. *Plinius* abigi ſcribit Cinere Muſtelæ, aut Felis diluto, & ſeminibus reſperſo.

Ut Mures à Cinaræ radicibus arceantur.

Cinaræ radices à Muribus ſummè expetuntur: quarum voluptate allecti ſemel turmatim, vel è longinquo accurrunt: ſicut in ſuis Agriculturæ ſelectis præceptionibus adnotavit *Varro* Græcus: ſed non abſque auxilio, & remedio. Tradit enim inſultantem illorum aciem lanâ radicibus obvolutâ arceri, aut ſtercore Suillo, vel cinere Ficulneo eiſdem appoſito.

Ne quem Mus araneus mordeat.

Ne Mus araneus animal mordeat, Mus ipſe vivus captus cretâ circumdatur: quæ cùm indurueriť, ſuſpenditur in collum, & ſic non contingetur à morſu, certiſſimum eſt. *Vegetius.*

Ne caſeus à Muribus edatur.

Si cerebrum Muſtelæ coagulo addatur, negant à Muribus attingi caſeos, nec corrumpi præterea vetuſtate: tantum inter Mures & Muſtelas eſt diſſidium. *Corn. Agrip.*

Ne Mures literas vorent.

Atramentum librarium diluto Abſynthii temperatum, literas à Muribus tuetur. *Dioſcorides.*

DE

DE SECRETIS TALPARUM.
CAP. XVIII.

Talpæ quomodo capiendæ.

SI Talpas capere voles, illorum foraminibus & oſtiolis Porrum, aut Cepam debes objicere. Nam forás ac ſi ſtupidi eſſent, confeſtim proſilient. *Albertus.*

Talpæ ut congregentur.

Talpa fictili incluſa cum accenſo Sulphuris pulvere, ſocias ad ſe evocat alias, ceu flebili voce illarum auxilium implorans. *Albertus, ſi rectè memini.*

Talpæ quomodo expugnandæ.

Paxamus Nucem, aut vaſculum quodpiam anguſtum & ſolidum perforari jubet: ibique paleas & cedriam, vel (ut legit *Palladius*) ceram quantum opus fuerit, cum ſulphure includi, omnesque Talparum aditus, & ſpiramenta diligenter obſtrui, ne per ea fumus penetret. Ita tamen, ut unum tantum os vel foramen relinquatur, quod amplum ſit: in cujus oſtiolo, dicta nux, aut vaſculum intus accenſum ſic collocabitur, ut ab una parte flatum poſſit accipere, qui cedriæ & ſulphuris nidorem in Talpæ tumulum diffundat. Eo artificio impletis fumo cuniculis, talpas omnes vel protinus fugere, vel enecari deprehendes. Sunt qui Veratrum album, aut Cynocrambes corticem tuſum, & cribratum, & cum Polenta, & Ovis rigatum, Vinoque & Lacte ſubactum in offas, & paſtillos cogunt, ac eos Talparum cavernis immittunt. Plerique ad has abigendas Feles in hortis educant, ac Muſtelas cicurant, ut ſuo venatu peſtem hanc arceant, cuniculorum faucibus ac ſpiraculis admotæ. Alii foramina earundem Rubricâ, & ſucco Cucumeris ſylveſtris implent, ac ſaturant: vel captam unam cum accenſo Sulphure in ollam projiciunt; putantes eò convenire alias omnes. Non deſunt, qui illarum oſtiolis laqueos ſetaceos adhibent. Ruſticis ſatis eſt virgam, aut foliaceum Sambuci ramum defixiſſe. *Plinius* autem ſolâ Amurcâ necat.

DE

DE SECRETIS MUSTELARUM.

CAP. XIX.

Ut Muſtelæ & Sciuri cicures fiant.

MIRABILE quippiam occurrit, quod hoc loco non tacendum: mirum quòd Muſtelæ & Sciuri tentato Allio dentibus, non audent in poſterum mordere, cicureſque hoc modo fiunt. *Mizaldus.*

Muſtelæ quomodo necandæ.

Muſtelas vel occides, vel fugabis, ſi Salem ammoniacum, & frumentum, ſeu (ut alii legunt) fermentum commaceraveris, & ad locum, ubi frequenter diſcurrunt, projeceris. Vel captam unam, caudâ & teſticulis amputatis, vivam dimittunt, unde reliquæ emigrabunt. *Africanus.*

Muſtelæ ne noceant.

Muſtelarum genus omne pellitur nidore Felis exuſti, quâ ratione inſecta omnia à ſui generis. *Cardan.*

Ad Muſtelas congregandas.

Fel ſtellionum in aqua tritum, fertur congregare muſtelas, ut inquit *Cornelius Agrippa.*

Feles ut ab aviariis arceantur.

Feles ab aviariis arceri traduntur pullis gallinaceorum ſucco Rutæ perfuſis: aut illâ, ut multis placet, undequaque armatis. *Mizaldus.*

Felis ut ſine maſculo concipiat.

Non ſolùm animalium inter ſe amicitia eſt, ſed etiam cum aliis rebus, ut cum metallis, & lapidibus & cum vegetabilibus: ſic Felis, ſive Catus gaudet Nepetha herba, ad cujus affricationem concipere traditur, & defectum maſculi ſupplere. *Agrippa.* Credat Judæus apella.

DE SECRETIS FORMICARUM.

CAP. XX.

Ad Formicas fugandas.

SI Formicas captas uſſeris, reliquas formicas fugabis, quæ res experimento conſtat. *Diophanes.*

Formicæ ut expellendæ.

Expelles Formicas è cavernis ſuis, ſi Cochlearum tegmi-

na cum Styrace uſſeris, & contuſa in agmen ipſarum conſperſeris. Similiter expelles Formicas Origano, & Sulphure tritis, & circum acervos ipſarum adſperſis. Penitus autem intereunt Formicæ, ſi ſuccum cyrenaicum, oleo diſſolutum, ipſis affuderis. *Idem.*

Formicæ ut plantas non contingant.

Formicæ non contingent plantas, ſi truncos obleveris Lupinis amaris cum Amurca tritis, aut coctis. *Idem.*

Formicæ ut mellarium vas non contingant.

Vas mellarium non contingent Formicæ, etiamſi operculo caruerit, ſi albam lanam circumdederis, aut terra alba, aut rubrica circumſcripſeris. Quidam ſuccum Laſeris Aceto dilutum truncis illiniunt, & in foramina ipſarum infundunt. *Idem.*

Formicæ ut interimendæ.

Intereunt penitus Formicæ radice ſylveſtris Cucumeris ſuffumigatâ, aut Siluri, maximè Alexandrini, ſuffitu ad lentum rogum. *Idem.*

Formicæ ut arceantur.

Arcebis Formicas Felle taurino & Pice cum Amurca mixtis, indeque illito trunco. Idem facit & Rubrica, & Pix, mixta & illita. Quidam piſcem appellatum Coracinum ex arbore ſuſpendunt, atque Formicas diſperdunt. Quòd ſi Formicæ exurantur, aliæ odore ipſarum diffugient. *Idem.*

Formicæ quomodo abigendæ.

Palladius contra Formicarum agmina hoc monſtrat propugnaculum. Si Formicæ, inquit, habent in horto foramina, cor Noctuæ admoveto: ſi foris veniunt, omne horti ſpacium Cinere aut Cretæ candore vel Oleo obſignato. Et paulò pòſt: Formicas abiges, ſi Origanum & Sulphur trita ad illarum foramina reſperſeris. At *Plinius* præſtantiſſimum adversùs Formicas remedium eſſe ait limum marinum, aut Cinerem pro obturandis illarum foraminibus, ſi non ſint rigui. At omnium efficaciſſimè Heliotropio herbâ necantur. Quidam aquam diluto latere crudo eis inimicam putant.

Aliter.

Accipe Sulphuris libram dimidiam, liqueſcat ad ignem in vaſe terreo, adde ſalis Tartari, vel ſalis Cinerum unc. iij.

vel

vel iiij. Miſce benè agitando, donec ſubrubeum acquirat colorem, auferatur ab igne & fundatur ſupra aſſerem priùs aquâ humectatum: & cùm induratum fuerit, tere minutim & ſuperfunde aquæ fontanæ quantum ſufficit, relinquaturque in vaſe vitreo, donec aqua fiat colorata. Hac tinctura acervi ipſarum aſpergantur, vel arborum trunci, & peribunt, ac diffugient. Probatum. *Alexius.*

Formicæ ut locum ſuum amittant.

Accipe Origanum ſiccum, pulveriza ſubtiliter, & ſuper locum, ubi degunt Formicæ, aſperge, & deſerent locum ſuum. *Albertus.*

Formicæ ne arbores aſcendant.

Ne Formica arbores conſcendat, Lupinus cum Fracibus teritur, eoque ima linea circumlinitur. *Columella, Plin. & Palladius.* Simili modo Formicæ fugiunt, ex corde Upupæ, non ex capite, pede, vel oculis. *Agrippa.*

Aliter.

Lupinum cum oleo terito, arborum ac plantarum radices, ſive caudices illinito. Plurimi ſolâ Amurcâ necant. Optimum penè, ſi caudices arborum vaſculis è laminâ confectis circumdentur, juncturæ vaſculorum cerâ muniantur & hinc vaſcula aquâ repleta ſemper teneantur; ita enim Formicæ in caudicem aſſurgentes vaſculum præterire nequeunt, niſi in aquam delapſuræ. Alii papyro caudices circumvolvunt, Formicæ enim papyrum transgredi ſurgendo nequeunt. Alii iterum cretâ caudicis partem circumquaque fricant; dum Formicas non credunt cretâ obductos locos tranſcendere.

Adversùs Formicas.

Cor Veſpertilionis prohibere exitum Formicarum affirmant, ſed Sulphur illas magis prohibet, credo odoris magnitudine & pravitate. Nihil, ut expertus ſum, in arboribus aquâ tutius: circumdantur cerâ cavatâ, quæ dein aquâ impletur. *Cardanus.*

DE SECRETIS SCORPIONUM.

CAP. XXI.

Adversùs Scorpiones.

SI Scorpionem unum captum exuſſeris, etiam reliqui fugabuntur. Si quis autem Raphani ſucco manus ſuas

diligenter illinat, intrepidè & citra periculum ſcorpiones, & reliqua reptilia, apprehendere poteſt. Ipſi verò Raphani Scorpiis impoſiti, ſtatim ipſos interficiunt. Scorpii plagam curabis argentei annuli ſigillo ad locum appreſſo. Sandaracha cum Galbano & Butyro, ſive Adipe caprino ſuffita, Scorpios & omnia reptilia fugat. Si quis Scorpiones in oleo coquat & locum à ſcorpione percuſſum inungat, dolorem ſedabit, ictumque curabit. *Diophanes.* Præſentiſſimum contra ictus Scorpionum eſt remedium, ſi vivum hoc animalculum puncto loco affricetur, apprimatur, & ita compreſſione necatum aliquandiu in parte vulneratâ teneatur; ſic enim feliciſſimè virus omne educitur, vulnusque inflictum promptè ſanatur.

Scorpiones ut domicilia non obrepant.

Scorpius in domicilia non obrepit, quoties Coryli nucula laquearibus appenſa cohærebit. *Plutarchus.*

Ad Scorpiones fugandos, & interimendos.

Si locum in quo verſantur, ſurculo aut ramulo veri Heliotropii circumſcripſeris, illos hinc egredi poſſe negat *Plinius.* Si verò herba ipſa imponatur, aut reſpergatur, protinus emori tradit. Idem fieri ajunt tactu radicis herbæ, quam *Scorpioidem* dicunt: imò verò à Scorpione minimè lædi, qui herbam geſtabit. Afri promittunt, ad manipulum Ocymi cum Cancris decem marinis, vel fluviatilibus tritum, è viciniâ omnes convenire. Tradunt iidem, ſi à Scorpione quiſpiam percuſſus, aſino inſideat, ſpectans ad ejus caudam, pernicioſum ſeſſoris virus in aſinum tranſire. Indicium erit, ſi deflaverit, & pepederit Aſinus. *Mizaldus.*

Scorpiones ut innocenter tractes.

Si quis Sideritim, vel Scorpium herbam tenuerit, Scorpios innocenter tractare poterit. *Tarent.*

Ad ictus Scorpionum.

Scorpionibus contrarius eſt Stellio, in tantum, ut viſu quoque pavorem eis afferat, & torporem frigidi ſudoris: itaque in oleo putrefaciunt & interficiunt, cum eo ictus inungentes Scorpionum. *Corn. Agrippa de Philoſophia occulta.* Vide alia remedia contra ictus Scorpionum etiam ſuprà pag. 182.

Croco-

Crocodilus ut reddatur immobilis.

Si quis Crocodilum Ibidis penna tangat, immobilem reddet. *Idem Agrippa.*

DE SECRETIS CIMICUM.
CAP. XXII.

Cimices necantia.

PIX liquida, & ſylveſtris Cucumeris ſuccus, in lectos miſſa Cimices necant. Similiter & Scilla conſecta, atque aceto trita, ſi inde lectus per ſpongiam illinatur. Similiter Citriorum folia cum oleo coquito, & lectorum commiſſuras illinito. Aut fel Tauri, vel Hirci acri aceto dilue, indeque lectum & parietes illine. Idem contingit, ſi Oleum antiquum, & Sulphur vivum triveris, ac lectis illeveris. Non erunt Cimices, ſi gluten piſcium coctum, grabatis illeveris. Eos verò, qui jam ſunt, perdes, ſi Amurcam coctam felle Bubulo mixtam cum oleo ipſis adſperſeris. Aut Hederæ, aut Capparis folia oleo diſſoluta lectis illeveris. Hoc medicamine, etiam qui in pariete ſunt Cimices tollentur. Efficax autem pharmacum præparatur hoc modo: Staphidis ſylveſtris acetabulum, Scillæ in tenues partes ſectæ tantundem, Aceti acris cochlearium unum: ſimul teruntur hæc, deinde calefiunt, & ſic locis illinitur. Vel Cedriæ partem unam, paſſi partibus quatuor permiſce, ac illine. Idem facit & Capræ aut Vituli fel, cum pari doſi paſſi ac aceti. *Didymus.*

Ad Cimices perimendos.

Cimices ſuffitu Hirundinum necantur, ſi grabatum operimentis contegatur, ut vapor tranſpirare non poſſit, & viceverſa Hirundines interficiuntur Cimicum ſuffitu. Scolopendria etiam ſiccata, & ſuffumigata idem facit. Et Hederæ folia trita admixtis Hirundinibus decem. *Florentinus.*

Cimices ut perimendi.

Pedes Leporis aut Cervi circa fulcra lecti alligati, juxta dorſum, quo te reclinas, non ſinunt Cimices naſci. At verò in profectionibus, ſi vas aquâ frigidâ plenum ſub lectum poſueris, cimices te non contingent dum dormis. Etenim calidæ effuſio, qua omnes utuntur, eos quidem qui occurrunt, perdit: verùm non eſt impedimento, quò minùs velociter regenerentur. *Democritus.*

Ad Cimices.

Facias fumigium cum fimo bovino, & fugabit Cimices. Omnium autem optimum ad fugandos Cimices remedium eſt, ſi lectum viridi colore probè tingas, & undiquaque perungas. Alii Tanacetum, Abſynthium, Helleborum, Centaurium minus, Perſicariam, Folia nucum oleo incoquunt, hinc Terebinthinam permiſcent, & lectos inungunt.

Ad Cimices necandos probatum.

Accipe Abſynthii, Rutæ, Olei communis, Aquæ ſingulorum quantum ſufficit, coquantur omnia benè uſque ad conſumtionem aquæ, deinde coletur oleum, cui miſceatur Axungiæ quantum ſatis eſt, & fiat Unguentum, quò lecticarum juncturæ inungantur. *Alexius.*

Aliud ad Cimices interficiendos expertum.

Accipe Axungiæ porcinæ, Argenti vivi, ſingulorum quantum ſatis eſt, miſceantur optimè, ut fiat unguentum, quo lecticarum juncturæ & rimæ inungantur. Idem facit tinctura Sulphuris, de qua ſuprà in capite Formicarum mentionem fecimus. *Idem.*

Ad Cimices.

Recipe Abſynthii M. j. Ellebori albi unc. j. Coquantur in lixivio, uſque ad tertiæ partis conſumtionem, quo juncturæ lectorum inungantur. *Roſcellus.*

DE SECRETIS PULICUM.

CAP. XXIII.

Pulices quomodo perimendi.

SCROBEM facito: & Rhododaphnes contuſas in ipſum mittito, iſticque omnes concurrent. Abſynthium, aut Cucumeris ſylveſtris radix, aquâ marinâ vel ſalitâ quavis irrigata, ac reſperſa, pulices necat. Diſperdit autem ipſos penitus Melanthium aquâ maceratum, ac reſperſum. Aut Conyzæ coctæ decoctum irroratum. Diſperdit eoſdem ſimiliter ſemen Sinapis, & Rhododaphnes, ambo fervefacta, & in domo reſperſa. Calcem vivam cribrato, & poſtquam locum verteris, inſpergito, indeque necabuntur. Idem continget ex Amurca pavimentis aſſiduè irroratâ. Cyminum item ſylveſtre tritum, & aquâ mixtum, ac ſeminis Cucumeris ſylveſtris

veſtris drach. x. triti & in aquam demiſſi, indeque domo reſperſa pulices emori faciunt. Idem Chamelææ radix, & Populi nigræ folia tuſa, & aquâ macerata, & Tribulus ex aqua cocta. Pulices etiam muria acris vel aqua marina pavimentis inſperſa enecat. Quòd ſi in medio domûs quis pelvim deponat, & circulum machærâ penitus ferreâ circumſcribat (præſtat autem ad hanc rem machæra, quâ homo occiſus eſt) & reliquam domum præterquam locum circumſcriptum cremore Staphidis ſylveſtris, aut Lauri foliorum tuſorum conſpergat, aut etiam muriâ, aut aquâ marinâ coctâ, omnes Pulices in pelvim congregabit. Fictile quoque vas defoſſum, ita ut labra æqualia pavimento habeat, & adipe taurino oblitum, omnes Pulices in ſeſe congregabit, etiam eos, qui adhuc in palliis deliteſcunt. Sub lecto parvulum ſcrobem facito, & in ipſum ſanguinem caprinum mittito, congregabitque Pulices iſthic, & ex aliis veſtibus ad ſe alliciet, ac evocabit. Cæterùm ex Amphimallis, & denſiſſimis tapetibus, in quibus plurimi pulices deliteſcunt, eximi ac evocari poſſunt, ſi ſic in urna aut dolio ipſe Sanguis caprinus deponatur. *Pamphilus.*

Ad Pulices & Cimices necandos.

Abſynthium, Ruta, Abrotanum, Mentaſtrum, Saturegia, Juglandis folia, Filix, Pſeudonardus, quæ nobis Lavendula dicitur, Nigella, Coriandrum viride, Pſyllium, Anagyris: omnia, vel aliqua culcitris ſupponantur: aut coquantur in Aceto ſcillitico, ac inde toralia conſpergantur. *Alexius.*

Aliud ad Pulices & Cimices, Ejuſdem.

Decoctio Tribulorum, aut Perſicariæ, aut Colocynthidis, aut Rubi, aut foliorum Caulium, ſparſa per domum, fugat eos.

Pulices omnes in unum locum ut conveniant.

Inunge parvum baculum ex pinguedine Ericii & planta eum in medio cubiculi, & omnes Pulices baculo adhærebunt. *Alexius.*

Adverſus Pulices.

Si ſanguis vel pinguedo Urſi in ſcrobe aut vaſe ſub lecto ponatur, convenient in eo loco Pulices, ac morientur. *Arnoldus de Villa Nova.*

Ad Pulices.

Cum Lixivio, in quo Perſicaria, Ruta, & Tanacetum cocta ſunt, & lacte Caprino ſimul mixtis, cubicula conſpergito per aliquot dies, & Pulices diſparebunt. Quòd ſi fimum Equinum per cubiculum diſpergas, & poſt aliquot demum horas iterum auferas, ſimul omnes pulices tolles. *Zvingerus.*

Pulices quomodo depellendi.

Rec. Lupinorum fabas, & Abſynthium, quæ duo in aqua coquantur, quâ cubicula inſpergantur. Idem præſtat aqua, in qua Abſynthium, Colocynthis, folia Perſici, Verbena, & Coriandrum fuerint cocta. *Fallopius.*

Adversùs hortenſes Pulices.

A Pulicibus plantæ non lædentur, ſi naturali auxilio Erucam herbam pluribus locis admiſcueris. Juvat etiam acre acetum, ſucco Hyoſcyami contemperatum & beſtiolis illis inſperſum. *Anatolius.*

DE SECRETIS PEDICULORUM. CAP. XXIV.

Ad Pediculos Palpebrarum.

PALPEBRÆ cum aquâ maris, vel aquâ ſalsâ, aut ſulphureâ fricentur, aut epithementur: vel ex Aceto ſcillitico cum Alumine & Aloe liniendo pilos palpebrarum. *Alex.*

Ad Pediculos pudendorum.

Accipe Pomum ad mollitiem coctum, & mundatum à corticibus ſeminibuſque, Argenti vivi parum, miſceantur ſimul ad formam unguenti, quo partes pediculoſæ inungantur, & purgentur. *Ab Italo quodam.*

Ad Pediculos & Lendes capitis.

Interficit eos hoc unguentum: Accipe

Olei communis unc. iij.
Ceræ unc. j.
Staphiſagriæ,
Argenti vivi extincti cum ſaliva jejuni hominis, ſing. drach. iij.

M. Fiat unguentum, quo utamur loco Saponis, quando caput lavatur. *Bayrus.*

Aliud

Aliud ejuſdem ad Pediculos & Lendes.

Accipe Sandarachæ, Nitri, ſingul. drach. j. Staphiſagriæ, drach. ij. cum Aceto & Oleo confice, & unge. Helleborus albus, Nitrum, Staphiſagria, Sumach, radix Lapathi acuti & oleum Sabinæ, conjunctim & diviſim valent.

DE SECRETIS COCHLEARUM.

CAP. XXV.

Ad Limaces.

QUOD ad Limaces attinet, ſi vel Amurcam recentem, vel ex caminis Fuliginem illis inſperſeris, oleribus non minus commodabis, quàm ſi inter illa Cicer conſeveris, ad hortenſium multa portenta utile. *Mizaldus.*

DE SECRETIS ERUCARUM.

CAP. XXVI.

Adversùs Erucas.

QUOD ad Erucas & Campas attinet, ſunt nonnulli qui reſperſo ficulneo cinere illas perſequuntur; ſunt qui in hortis Scillam areatim ſerunt, aut hinc inde ſuſpendunt. Alii fluviatiles Cancros clavis, pluribus locis affigunt. Si verò obſtinatè reſtiterint, & præſcriptis auxiliis repugnaverint, hanc oppones machinam. Urinam bubulam, & amurcam æqualiter miſta, igni, donec ferveant, admovebis, & ubi refrixerint, illorum imbre olera ac arbores conſperges, quod Anatolii eſt experimentum. *Plinius* Virgis ſanguineis, quæ his ſunt obnoxia, tangenda præcipit. *Palladius* fuſticulos, vel faſciculos alliaceos ſine capitibus, per omne horti ſpacium comburit, non ſecus ac Veſpertilionum ſtercora, ut nidor è fumo pluribus locis excitetur, quæ res præſtantiſſimum habet miraculum. Eaſdem tradit *Plinius* ab oleribus arceri, ſi Cicer unà ſeratur, & illis remiſceatur: aut Cancri ramis arborum à cornibus locis pluribus ſuſpendantur. Naſci quoque prohibentur, imò verò præſentes collectim perduntur, ex Græcorum obſervatione, ſi aliquot de vicino horto ſublatas, in aqua cum Anetho coxeris, eaque perfrigeratâ herbas aut arbo-

res reſperſeris, quæ nidulantes Erucas, & ad fotum incubantes, ſuſtinent. Sed valdè cavendum erit, ne aqua illa faciem, vel manus contingat. Porrò remedium certum ac paratu facile erit, ſi circa arborum crura, aut arborum brachia Bitumen & Sulphur incendas. Vel fungos ſub nucis arbore naſcentes, fumum dare ibidem cogas, Galbanumve aut Caprarum ungulas, vel cervinum Cornu, à venti flatu averſus, comburas. Sunt qui cinerem urtigineum per triduum in aquam mittant, qua poſtea olera, & arbores copioſâ aſpergine luſtrant. Multi in ficulneo lixivio projicienda ſemina præmacerant. Noſtrates hortenſium coloni, arte admodum facili eaſdem ſic hodie paſſim expugnant. Ubi apricis locis illæ poſt pluvias inceſſerunt, matutinis horis frutices olerum, aut ramos arborum ſuccutere ſolent: ſic enim, dum adhuc nocturno torpent frigore, facilè decidunt, nec ampliùs ad ſuperiora perreptant: præbentque occidenti viam admodum pronam, ac præſentem. Cæterùm ſi cujuſcunque generis animalcula oleribus & arboribus nocentia, perdere voles, Diophanem Græcum auſculta. Ventriculum Vervecis (inquit) recentiſſimè mactati, & ſuis adhuc ſordibus excrementiis pleni, diligenter tibi comparato: eumque ſpatio illo, quo beſtiolis ſcatet hortus, terrâ leviter adobruito. Peracto biduo, ibi blatas, & animalcula alia gregatim congeſta reperies: quæ vel aliò deportabis, vel eo loco altiſſimè defodies, ne reſurgant: id cùm bis, vel ter feceris, genus omne, quod nocebat, extingues, ac verè perdes. Ruſtici apud nos paleis intortis arborum truncos armant, & crura coronant: quibus ſumma arborum petentes Erucæ implicantur, veluti objectis laqueis, & compedibus, vel profligantur, vel ſic à cœpta via actutum revocantur. *Hæc ex Mizaldo de Secretis hortorum.*

Adversùs Erucas.

Animalia noxia ab oleribus arcentur, aquâ inſolationis dierum decem Cancrorum, aut Pagurorum. *Card. de Subtil.*

Adversùs hortenſia animalcula.

Stercus omnium optimum herbis ac oleribus cenſetur eſſe Cinis tenuiſſimus, naturâ calidus. Nam Pulices hortenſes, Vermes, Erucas, Limaces, ac animalcula alia, ſtirpes depopulantia, occidit vel abigit. *Mizald.*

DE

DE SECRETIS SERPENTUM.

CAP. XXVII.

Adversùs Serpentes auxilia & secreta.

FLorentinus rerum agri interpres, apud Græcos summus, & diligens, scribit, serpentes in hortis, aut alibi nequaquam stabulaturos, si Absynthium, aut Artemisiam, Abrotanumve per ambitum plantaveris, vel in angulis commodè dispoſueris. Qui si alicubi versari fuerint assueti, suffitu radicis Lilii aut Cornu cervi, vel Ungulæ caprinæ actutum abigi tradit. *Palladius* omni austeritate eosdem fugari, nocentesque spiritus, graveolentis fumi innocentiâ exagitari scribit. *Democritus* mori penitus affirmat, si quercina folia superinjiciantur, aut si quis jejunus in illorum os expuerit. *Apulejus* Arundine semel duntaxat percussos obstupescere contendit: sæpius verò roborari. *Tarentinus* Græcæ agricolationis peritus, eum à Serpente affici posse negat, qui succo Raphani oblitus fuerit, aut Raphanum ipsum gestaverit. Quod *Athenæus* & *Galenus* cum plerisque aliis, malo Medico, seu Citro ascribunt, & pulcherrimâ historiâ confirmant. Præprimis Ruta, in angulis & finibus hortorum, pratorumque hinc inde sata & culta, procul Serpentes arcere observetur. Sed serpenticidam Florentinum rursum audire molestum non erit. Serpentes (inquit) nunquam accedent, ubi Cervi adeps jacuerit, aut Centaureæ radix, aut Gagates lapis, aut Aquilæ, vel Milvi stercus; fugabiturque omne reptile, si Nigellam, Pyrethrum, Galbanum, Cervi cornu, Hyssopum, Sulphur, Peucedanum, & Caprarum ungulas miscueris; deinde triveris, & Acetum acerrimum affuderis: compositisque ex ea miscellâ sphærulis, fumum ac vaporem excitaveris. Nam diffuso per aërem rerum istarum nidore, reptile quodvis, ac si flagello ageretur, procul fugere, vel expirare animadvertes. Quidam prodiderunt, Punicæ ramum venenata omnia, nedum serpentes, fugare. Quapropter stragulis consultò imponi solet iis ædibus, in quibus versari solent serpentes, & venenosa quævis animalcula. Quorum agmina in unum locum, ceu pisces in nassam, idem Florentinus cogebat, dolio à salsamentis inveterato, & circa hortum, agrum, aut

aut locum alium, Serpentibus ac venenatis beſtiolis obnoxium, defoſſo. Nam in id reptile omne confeſtim accedebat, accedensque ultrò illabebatur. *Plinius* de Silere loquens hæc tradit: Serpentes & hunc fruticem refugiunt, baculumque ruſtici ob id ex eo gerunt & circumferunt. Cæterùm experimento certiſſimo probatum, & confirmatum eſt, uſtis & accenſis coriis, quæ veteramentorum ſunt, Serpentes efficaciter fugari: neque eos modò, qui in hortis, agris, aut domibus oberrant, ſed & qui in hominum corpora ingrediuntur, dum per æſtatem alto ſomno oppreſſi, aperto ore in campeſtribus obdormiunt. Quod Marcus Gatinaria Medicus celebris memorat accidiſſe cuidam homini, ſuo tempore. Cui cùm fruſtrà adhibita eſſent innumera medicamenta, & præſidia, alioquin efficaciſſima, de omnibus præſentiſſimum & mirabiliſſimum fuit veteramentorum fumus, & nidor infundibulo hauſtus, & exceptus. Nam cùm primùm immanis fera (erat enim vipera prægrandis) fumi nidorem præſenſit, viſa eſt à circumſtantibus egredi per anum, magnâ omnium admiratione, & incredibili ſtupore. Quod hic ſcriptum, & annotatum volui, ceu ſecretum magnum, & paratu facile multisque profuturum. Sed hic non eſt omittendum, quòd ſerpentes ignem valdè oderunt: non ſolùm, quia oculos illorum hebetat, ſed quòd natura ignis veneno adverſatur. Oderunt etiam validum odorem exhalantia, qualia ſunt Allia & Cepæ. Aliàs amant Sabinam, Hederam, & Fœniculum: ſicut Biſontes Salviam, & Viperæ Erucam. Omnium peſſimè, & infenſiſſimè averſantur ac oderunt Fraxinum, adeò ut ne matutinas quidem occidentaléſve umbras ejus, quàm ſunt longiſſimæ, attingant, ſed procul fugiant. Quin experti prodimus (inquit Plinius) quòd ſi gyro ex fraxinea fronde claudantur Ignis & Serpens, in ignem potiùs, quàm Fraxinum ſtatim fugiet ille: mirâ naturæ benignitate, quæ priùs quàm ſerpentes prodeant, ſicuti florere Fraxinum permittit, ita ante conditos illos folia nequaquam deponere ſinit. *Virgilius* omnis eruditionis parens, Cedro vel Galbano incenſis, illos perſequitur & exagitat:

Diſce (inquit) *& odoratam ſtabulis incendere cedrum,*
Galbaneoque agitare graves nidore chelydros.

Hæc Mizaldus ex Priſcis ſuprà nominatis.

Ad

Ad Serpentes ſtupefaciendos.

Ariſtolochia rotunda cum campeſtri Rana diligenter trita, additâ Atramenti ſcriptorii parte aliquâ, facit ut Serpentes ceu mortui illicò ſubſiſtant, & hæreant, ſi ex illa miſcella aliquid ſcribatur, & coram illis projiciatur. *Autor Albertus.*

Serpentes ut absque periculo tractari poſſint.

Succo Raphani perunctis manibus diligenter, facit ut tutus tractare poſſis ſerpentes. *Cardanus ex Tarentino.*

Ad ictum ſeu morſum Serpentum.

Si à Serpente quiſpiam demorſus fuit, niſi febricitet, bibat ſuccum è foliis Fraxini, Vino albo generoſo exceptum: foliisque ipſis tegat morſum: miraculum à multis felici ſucceſſu probatum & expertum demirabitur. Nec temerè, nam certam contra ſerpentes *antipathiam* habet Fraxinus. *Mizaldus.*

DE SECRETIS OSSIUM.

CAP. XXVIII.

Oſſa ut molliantur.

REFERUNT, oſſa molliri ſuccis Apii, Millefolii, Raphani, Praſii cum aceto, ſi in his immerſa, fimo obruantur equino. *Cardanus.*

Oſſa ut dealbentur.

Oſſa dealbantur mirum in modum, decocta cum aqua & calce, ſi perpetuò deſpumaveris. *Idem.*

Oſſa ut mollia reddantur.

Rec. Vitrioli Romani.
Salis communis, ana quantum ſatis eſt.
Trita deſtillentur aquaque ad uſum ſervetur. Cùm uti voles, oſſa in dicta aqua macerentur, & mollia reddantur. *Iſabella Corteſe.*

Oſſa viridi colore tingere.

Rec. Aceti acerrimi menſuram j.
Viridis æris,

Lima-

Limaturæ orichalci ana unc. iij.
Rutæ M. j.

Terenda triturentur, contundenda contundantur, & miſceantur: in quo oſſa per dies xv. macerentur. *Iſabella Corteſe.*

Oſſa alba nigro colore tingere.

Rec. Lithargyrii,
Calcis vivæ ana unc. vj.
Aquæ fontanæ quantum ſufficit.

Miſce. In hac aqua oſſa coquantur, & nigro colore tingentur. *Iſabella Corteſe.*

Ad tingenda oſſa quævis, & ligna, probatum.

Accipe Acetum fortiſſimum, ponatur in vaſe vitreo, cui addantur limaturæ Æris, Vitrioli Romani, Aluminis, floris Æris, ſingulorum quantum ſatis eſt. Miſceantur, & relinquantur ſic per dies ſeptem: deinde ad ignem bulliant in vaſe recipiente oſſa, vel ligna, addendo parum Aluminis, & quo volueris colore tingantur. *Alexius.*

Ad Ebur emolliendum.

Si Ebur molle ad omnem impreſſionem recipiendam vis facere, elixatur in aqua cum radice Mandragoræ ſex horis aut minus, & fiet molle ſicut cera. *Idem.*

Ad Ebora polienda.

Sed ne omittamus, quod Ebora perbellè expoliri fertur, & Salis cumulos in aqueam ſalſuginem tranſmutari, & redigi, ſi raphanis conſepeliantur. *Mizaldus.*

DE SECRETIS CORNUUM.

CAP. XXIX.

Cornua ut molliantur.

EST & chymicæ artis opus mollire Cornua, quod longâ coctione fit, addito præſertim Cineris modico in aquam: contingit hoc non ante octavam horam, fiunt ex his capuli ac manubria gladiorum, pectines, latrunculi. Aromatariæ autem pyxides, thecæ, vaſaque alia etſi eodem modo fiant, aliud tamen eſt Gallorum hac in arte inventum, ac longè præſtantius. *Cardan.*

Cornua quomodo denigrentur.

Manifeſtum eſt, quòd Aceto & Aquâ ardente, & Calchanto

to cornua frigida, vel molliter tepida denigrantur. Addun-tur etiam, quæ coloris ſubſtantiam retineant. *Cardan.*

De Secretis Pilorum, vide ſuprà de Secretis Equorum.

DE SECRETIS

LIBER VII.

De Homine dictum eſt hactenus, quantum ſecre-torum nobis exponendorum ratio poſtulavit. Cùm itaq; de reliquis etiam animalibus nobis agendum ſit, hoc libro eorum ſecreta proponemus, quæ in aquis degunt, ſed ſequenti volucrum, & eorum quæ aëris attractione vitam ſuſtentant.

DE SECRETIS PISCIUM in genere. CAP. I.

ACCIPE Origani, Thymbræ, Sambuci ſing. drach. iij. Corticis Thuris, Myrrhæ, Sinopi-dis, ſing. drach. viij. Polentæ vino odorato diſſolutæ minam dimidiam, hepatis Porci aſ-ſati unc. iij. Adipis caprini atque Allii ana tantundem. Singula ſeorſim tundito, deinde arenam tenuem admiſceto, & horam j. aut alteram in locum antea immittito, retiaque circumdato. Alii Delphinium herbam maſculam contuſam & cribratam immittentes pro-vocant piſces, ut manibus prehendant. Quidam Allii mi-nam dimidiam, & Seſami torrefacti tantundem, Pulegii, Origani, Thymi, Sambuci, Thymbræ, Staphidis ſylveſtris ſing. drach. xxxij. Polentæ minam, Alicæ tantundem, cor-ticis Thuris drach. xvj. cum terra & furfuribus commiſcent ac injiciunt. *Florent.*

Piſces omnigeni, ut in unum locum cogantur.

Accipe Sanguinis bovini, Sanguinis caprini, Sanguinis Ovini,

Ovini, ſtercoris Bovini tenuium inteſtinorum, ſtercoris Caprini tenuium inteſtinorum, ſtercoris Ovini tenuium inteſtinorum, Thymi, Origani, Pulegii, Thymbræ, Sambuci, Allii, Vini odorati fecis, ſing. part. j. Adipis aut medullæ eorundem animalium, quantum ſatis videbitur. Omnia ſingulatim, aut ſimul contundito, in maſſas redigito, easque locis ante horam injicito, retibuſque eoſdem cingito. *Democritus.*

Fluviales piſces ut capias.

Accipe Adipis ovilli, Seſami torrefacti, Allii, Vini odorati, Origani, Thymi, Sambuci aridi, ſingul. moderatas portiones, tundito, & pane exceptas injicito. *Didymus.*

Ad omnes Piſces capiendos.

Accipe Sanguinem Capræ nigræ, Vini odorati fecem, Polentæ maſſam, ſimul miſceto, & pulmonem Capræ tenuiſſimè conciſum, ſimul ſubigito, ac utitor. *Democr.*

Piſces ne quis capiat.

Si circum funiculum piſcatorium ſalem aſperſeris, nemo piſcem venabitur. *Idem.*

Ad Piſces capiendos ineſcatio.

Accipe Siluri viroſi unc. j. Paphorum fulvorum volatilium, Aniſi, Caſei caprini, ſing. drach. iv. Opopanacis drach. ij. Sanguinis porcini drach. iv. Galbani drach. iij. Omnia diligenter terito, & ſimul mixtis Vinum ſincerum auſterum affundito, & collyria inſtar ſuffimentorum formato, atque in umbrâ ſiccato. *Tarentinus.*

Ad fluviales Piſciculos capiendos ineſcatio.

Accipe Sanguinem vituli, & vitulinas carnes valdè conciſas, in vas fictile mittito, ac ſinito per dies decem, poſtea pro ineſcatione utitor. *Idem.*

Ineſcatio, quâ piſces in promtu habentur,
Ejuſdem.

Polentam ſubige, & maſſas inde factas ipſis objice.

Ad Piſces pelliciendos.

Semina Roſæ cum grano Sinapis, & pede Muſtelæ circa retia poſita, aut his appenſa, piſces ad ſe pelliciunt. *Albertus.*

Ad Piſces capiendos.

Cicindelas, id eſt, muſcas noctu lucentes in cucurbita vitrea

vitrea igne lento deſtilla, donec aqua omnis exierit: deinde aquâ extractâ, unà cum Argenti vivi unciis quatuor in phialam, vel aliud vas vitreum rotundum, & optimè obturatam, ne aqua ingredi queat, ponatur. Quo facto, vas in rete aliquo collocetur diligenter, ne frangatur: deinde cùm in aquis demerſum fuerit, ita ſplendebit, ut piſces, lumine allecti, cumulatim concurrant. *Alexius.*

Ad alliciendos piſces.

Si Urtica cum Pentaphyllo teratur, & cum ſucco Sempervivi, ſeu Aizoi, & ex eo manus inungantur, projiciaturque magma in aquam piſcoſam, miſſæ manus in eam piſcium agmina ad ſe allicient. Idem fiet, ſi in piſcatoriam fiſcellam, vel ſagenam, aut reticulum imponantur hujuſcemodi miſcellanea. *Hermes.*

Piſces quomodo alliciendi.

Piſces agminatim confluent, pacato flumine, aut maris littore, ſi aquam decoctionis Ariſtolochiæ rotundæ admixtâ calce reſperſeris. Quòd ſi ejuſdem pulverem deguſtent, velut exanimati ſupernatantes comprehendentur. *Plin.*

Ad Piſces capiendos.

Si ex Cocculis ab oriente allatis, cum Cymino, Caſeo vetuſtiſſimo, Farina tritici & Vino in ſpiſſamentum coactis, formentur ſphærulæ magnitudinis piſi, & piſcoſis omnibus quietâ aquâ, injiciantur, quotquot piſces deguſtabunt, illico ſtupefacti, & velut inebriati ad ripas diſſilient, & ita manibus capi facilè poterunt. Experientiâ multoties probatum eſt. *Ex Mizaldo.*

Piſces ut facilè capiantur.

Piſces cibo capiuntur: cibus igitur quatuor debet habere conditiones: ut ſit odoratus, nam procul allicit eos; qualia ſunt Aniſum, Panacis ſuccus, & omnibus melius Cyminum. Sit jucundi ſaporis, ut edentes invitet, & fallat; talia ſunt ſanguis, præſertim ſuillus; Caſeus præcipuè caprinus; panis, maximè triticeus; papiliones, melioresque inter eos fulvi. Sit caput feriens, ut celeriter vim veneni ad illud ferat: aut aqua ardens, fex vini. Sit demum veneficum, quod attonitos reddat: ex quo genere eſt Calthæ flos (calendulam vocant) quòd ſingulo menſe floreat: nam herba hæc, cujus lutei ſunt flores in fruſta conciſa, prægrandes etiam

horæ ſpatio reddit attonitos. Eſt calx, quæ etſi aquam corrigat, occidit tamen piſces. Eſt Tithymali cujuſcunque ſuccus, eſt utraque nux Vomica, & quæ *methel* ſeu *ſomnifera* dicitur. Sed nihil præſtantius eo fructu, qui ex oriente vehitur, *quem vocant Cocculam:* nigra bacca eſt, perſimilis laurinæ, ſed minor ac rotundior. Compoſitio noſtra ad piſces capiendos experta ſequens eſt; Baccarum orientalium, ſive Coccularum quadrans unciæ, Cymini & Aquæ ardentis, ſing. ſextans, Caſei uncia, Farinæ unciæ tres, digerantur contula in paſtillos. *Cardanus de Subtil.*

De Naſſis.

Recrementum, quod ab expreſſa Myrobalano reliquum eſt, ſtercus humanum, panem purum, ſingula ſeorſim terito, indeque hæc tria ſimul miſceto, & in naſſam mittito, utitor & ſuccedet. *Tarentinus.*

Aliud de Naſſis.

Inceſcatio, velut ſcriptum reperi, Ichthyophagorum qua piſcantur, cape opercula ſive teſtas, & carunculas in petris naſcentes, & cum his venare. *Idem.*

Ad capiendos omnis generis Piſces, omni tempore.

Accipe Nardi celticæ folia iv. Cyperi unum, Smyrnii magnitudine fabæ Ægyptiæ, Cumini, quantum tribus digitis prehendi poteſt, ſeminis Anethi puſillum, tuſa ac cribrata in Arundinem indito. Viſu verò expetiente, lumbricum ſive inteſtina terræ ablue, & in vaſculum mitte, & ſoleam de loco humidam in manum exprime, & ex pharmaco, quod ſatis eſt, admiſce, & adjectis lumbricis ad maſſam tere, & ineſca. *Idem.*

Ut Piſces in mari in unum locum conveniant.

Accipe Teſtas marinas iij. quæ circa petras naſcuntur, & expreſſâ ipſorum carne, in teſtam ipſorum inſcribe ſubſcripta, & è veſtigio videbis piſces in unum congregatos, ut admireris. Sunt autem omnia: Jao, ſabaoth, hoc nomine Ichthyophagi utuntur. *Idem.*

DE

DE SECRETIS PISCIUM.

CAP. II.

Ad magnos piſces capiendos, omniaq; marina, velut Glaucos, Orphos, & ſimiles.

GALLI teſticuli cum Nucibus pineis torrefactis ac tritis commiſcentur, ita ut ſint teſticulorum drach. viij. nucum Pinearum drach. xvj. teruntur autem in farinæ ſpeciem, fiuntque collyria, quorum eſcâ piſces illectantur. *Tarentinus.*

Ad Mullos Scarosq; magnos capiendos.

Accipe Phœni fluvialis carnis drach. viij. Lentis integræ torrefactæ drach. vij. Squillorum fluvialium drach. iv. Malabathri drach. j. trita hæc albumine ovi gallinacei excipe, & collyriis utere. *Idem.*

Ad Murænas capiendas.

Accipe Siluri fluviatilis drach. xvj. Seminis Rutæ ſylveſtris drach. viij. Adipis vituli drach. vij. Seſami unc. xvj. ex tritis collyria facito ac utitor. *Idem.*

Ad Polypos ac Sepias capiendas.

Accipe Salis ammoniaci drach. xvj. Butyri caprini drach. vij. terito, & collyria liquida facito, eaque ſeminibus, aut linteis non fimbriatis illinito. Sic circum depaſcent, & non diſcedent. Tu verò celeriter attrahe & Locuſtas, & Murices, & quæcunque habes, in ſcapham mitte. *Idem.*

Teſtudines & teſtacea quomodo capienda.

Accipe Salis ammoniaci drach. vj. Cepæ drach. j. Adipis vituli drach. vj. ferramenta formâ fabarum facito, eaque pharmaco illita admoveto, & ſponte ad odorem progredientur, ſeque ipſa tradent. *Idem.*

Ad Mugiles capiendos.

Accipe Hepatis Thymalli drach. iv.
Squillorum marinorum unc. j.
Seſami drach. iv.
Fabæ freſſæ unc. j.
Hamiarum crudarum drach. ij.
Trita hæc, ſapâ adſtillatâ excipe, & collyriis inde formatis ineſcationis loco, utere. *Idem.*

Aliud, ad Mugiles marinos capiendos.

Accipe Arietis membrum, in ollam crudam mitte, & aliâ ollâ impoſitâ obturato, ut nullibi tranſpirationi ſit locus, & in fornacem vitriariam mitte, ut aſſetur, à matutino in veſperum, & reperies ipſum molle redditum velut caſeum, ex eo itaque ineſcabis. *Idem.*

Ad capiendos Mugiles marinos, Scaros, Mulloſq; ejuſdem.

Accipe Sepiarum teſtam cum Siſymbrio viridi, quod eſt muſcus, & aqua & polline, & caſeo bubulo, mixta, utere.

Ad Mugiles marinos capiendos.

Accipe Folii Malabathri pilulam unam, Piperis grana x. Melanthii grana iij. Floris junci odorati, Allii internæ partis parum quid. Omnia trita miſceto, deinde medullam panis puri in vini Mareotici hemina una madefacito, aridaque eo excipito, unitisque ineſcato. *Idem.*

Ad Mugiles Capitoneſq; capiendos.

Accipe Panem ex polline, Caſeum caprinum, & Calcem vivam ana quantum ſatis: miſce ſimul, tundeque, ac marinam aquam affunde, collyriisque inde formatis ineſca. *Idem.*

Ad Pagros marinos capiendos.

Accipe Melanthii decoctum cum locuſtis & lumbricis, tere, additoque polline frumenti, & affuſâ aquâ, ad mellis ſpiſſitudinem redige & utere. *Idem.*

Thymni quomodo capiendi, ex eodem.

Accipe Nuces juglandes, ad cinerem exurito, & cum Majorana terito, & cum pane puro aquâ madefacto, & caſeo caprino in maſſas cogito, atque utitor.

Ad Cerros capiendos, ejuſdem.

Accipe Allium tritum cum pane, & caſeo vitulino, ac caprino, & polline tritis ſimulque mixtis, in maſſas redige, & locum ineſca.

Paſtinaceæ marinæ, ut capiendæ.

Accipe Hirundinis fimum, & cum ſimilagine madefactum ſubigito.

Aliud.

Lactucæ ſemen coquito, affuſoque butyro, & ſimilagine, ſimul terito.

Ad

Ad Scapas.

Accipe Muſcum viridem ex petra, in oleo coquito, eoque ineſcato. *Idem.*

Ad Glaucos capiendos.

Amias & pulchros itemque aloſas aſſato, ipſosque exoſſato, & adjecto muſco, & hordei farinâ craſſiore, maſſas facito, eisque ineſcato. *Idem.*

Ad Trachuros, Melanurosq; capiendos.

Aſininum ſtercus in Coriandri ſucco madefacito, & cum ſimilagine maſſas ineſcatrices facito. *Idem.*

Ad Polypodes ejuſdem.

Vocarim, Mormyras, aradas, circumligato, & ineſcato.

Ad Sæpias capiendas.

Fecem vini ſine aqua cum oleo terito, & ad locum progreſſus in mare mittito, ubi videbitur Sæpia atramentum dimiſiſſe, & progredientur in locum, in quo apparuit oleum, & ſic ipſas prehende. *Idem.*

Ad Locuſtas capiendas.

Mormyram ad robuſtum quiddam alligato, & Purpuras numero decem terito, modicoque muſco admixto, in petram exponito, & ſic prehendes. *Idem.*

Ad capiendos Melanuros, ex eodem.

Hepar caprinum accipe, eoque hamos tuos ineſca. Si verò aliam quandam prædam in mari reperimus. Itemque ad multos alios piſces. Ungulâ caprinâ, aut aſininâ pro eſca uteris.

Ad Gryten fluvialem capiendam.

Accipe Furfuris hordeacei minas duas, Lentis integræ chœnicem unam, miſce, & garo ſincero ſufficienti macera, & ſeſami chœnicem adde, indeque paululum diſperge, & circum circa objice. Simul enim ut diſperſeris, omnis tenuis Gryte adveniet, imò etiamſi ſtadiis quinque abſit in unum convenient omnes. Cæterùm magni piſces ab odore diffugient. Sic igitur utaris, & ſuccedet. *Idem.*

Ad Porcos capiendos.

Accipe Seſami drach. iv. capitum Alliorum drach. ij. Coturnicis ſalſæ carnis drach. ij. Opopanacis drachmam unam, excipe parietum gymnaſiorum ſtigmentis, & collyriis inde formatis, utitor. *Idem.*

Ad capiendas Anguillas.

Accipe Scolopendriæ marinæ drach. viij. Squillorum fluviatilium drach. vij. Seſami drach. j. excipe, utere. *Idem.*

Anguillæ ut reviviſcant.

Anguillæ defectu aquæ mortuæ reviviſcunt, ſi corpore integro exiſtente ponantur ſub fimo in aceto, & addatur de ſanguine Vulturis, poſt paucos dies omnes recuperant vitam. *Cornelius Agrippa.*

Cancri quomodo capiuntur.

Cancri capiuntur virgulis diviſis in ſummitate, quibus inteſtina aliqua, aut Ranarum corpora inſerta ſint, ordine diſpoſitis, juxta gurgites, aut loca quæ habitare ſolent, denis duodenisve: inde reticulo circumit piſcator virgas ſingulatim elevans, ſubjectoque reticulo, cùm cancer non adeò celeriter poſſit ſe explicare, decidit in reticulum, ita piſcator magna cum voluptate centum aut ducentos refert domum benè robuſtos, & vivaces ac magnos: nam parvi ad eſcam ſublimem non tam facilè accedunt, ſed & quæ avertant. *Cardanus.*

Ad Cancros capiendos.

Accipe Ranas, in partes diviſas, quas in plures immitte naſſas: colloca in loca, ubi cancri degere ſolent, & ingredientur naſſas. *A quodam piſcatore.*

Ad Ranas congregandas.

Referunt ſepulto Capræ felle, Ranas ad illum congregari. *Agrippa.*

Ad moleſtum Ranarum clamorem.

Ceſſabit Ranarum garrula coaxatio, ac nocturnus ululatus, & clamor pleriſque ingratus ac moleſtus, ſi lacuum, & fluminum ripis, ubi inhabitant, accenſa adhibeatur una lucerna, vel plures, pro loci amplitudine, & ranarum copia, quemadmodum *Aphricanus* in Geoponicis teſtatur, & nos Pariſienſi cuipiam præſidi de illarum moleſtia conquerenti, certo & optato experimento confirmavimus. *Mizald.*

DE

DE SECRETIS
ANIMALIUM AERIUM,
seu volatilium.
LIBER IIX.

- *Secreta animalium volatilium, in*
  - *Genere, Cap. I.*
  - *Specie vel*
    - *Integrorum*
      - *Terra contentorum*
        - *Domesticorum.*
          - *Majorum, videlicet*
            - Gallinarum, *Cap. II.*
            - Columbarum, *Cap. III.*
            - Pavonum, *Cap. IV.*
          - *Minorum, ut*
            - Hirundinum, *Cap. V.*
            - Vespertilionum, *Cap. VI.*
        - *Sylvestrium*
          - *Majorum: scilicet*
            - Phasianorum, *Cap. VII.*
            - Perdicum, *Cap. IIX.*
            - Turturum, *Cap. IX.*
            - Coturnicum, *Cap. X.*
            - Turdorum, *Cap. XI.*
            - Graculorum, *Cap. XII.*
          - *Minorum*, *Cap. XIII.*
      - *Amphibiorum: videlicet*
        - Anserum, *Cap. XIV.*
        - Anatum, *Cap. XV.*
    - *Insectorum, vide signum* A.

A. *Insectorum: ut*
- Apum, *Cap. XVI.*
- Fucorum, *Cap. XVII.*
- Vesparum, *Cap. XIIX.*
- Muscarum, *Cap. XIX.*
- Curculionum, *Cap. XX.*
- Locustarum, *Cap. XXI.*

DE SECRETIS ANIMALIUM volatilium in genere.

CAP. I.

Ad Aves congregandas.

VISCUM quercinum ſylphio conjunctum, & ad arborem quampiam cum hirundinis alâ ſuſpenſum, aves ad ſe congregat. *Albertus.*

Ut Aves manibus comprehendas.

Accipe grana quævis in fece vini; & ſucco cicutæ imbibita, & avibus objice: omnis avis, quæ inde guſtat, inebriatur, & perdit vires. *Idem.*

Avicularum jucunda educatio.

Docentur mirum in modum aviculæ canere, & maximè Cardueles. Filum pedi annectitur, ſicque alligatur ſemicirculo ligneo, ſemicirculus ſpeculi tabulæ intruditur, alius infrà ambitu majore, ita ut aſcendere deſcendereque poſſit: ludit cum propria imagine, ſibi ſimilem in ſpeculo eſſe exiſtimans, à lateribus ſuperioris circuli, duæ parvæ ſitellæ altera milio vel panico, vel nucibus: altera aquâ plena, eâque ratione conſtructæ, ut unâ dimiſsâ altera trahatur: miraberis aviculæ induſtriam, cùm nunquam aliàs hoc ſtudio opus fuerit ei. *Cardanus.*

Aves ut capiantur.

Veratrum album cum cibis avibus conſuetis mixtum, atque eo cibo aves paſtæ, moriuntur, & ſic capiuntur, & tamen tutò edi poſſunt. Certius, quòd aviculæ ſi panicum, aut milium cum auripigmento albo coquatur, ſtatim intereunt: & tum tutò eduntur; bis enim infringitur vis veneni. Sed experto crede Roberto.

Ad Aves à fructibus arcendas.

Allia arborum ramis ſuſpenſa, accedentes ad fructuum deprædationem aviculas longè arcent, ut in Græcorum georgicis adnotavit *Democritus.*

Ad Alites à ſemente fugandos.

Magi putant Rubetam fictili novo incluſam, medioque defoſſam agro, arcere alites à ſemente. Verùm inſtante meſſis tempore effodiendam eſſe volunt, & extra limites agri abjiciendam, ne fruges fiant amaræ. *Plin.*

Aves quomodo capiantur.

Nux vomica aves reddit attonitas, ſi cibis earum immiſceatur. Memini aliquando cornices manu cepiſſe, cùm inter carnes nucem illam tritam miſcuiſſem. Aviculæ ſi edant grana, quæ vel in fece vini cum Cicutæ ſucco, vel in aqua ardente, vel etiam in fece ſola potentioris vini, vel in decocto albi Ellebori cum felle antiqui bovis, attonitæ redduntur. Quæ verò gregatim incedunt, gregatim etiam capiuntur: ùt Perdices, magis his Anſeres, omnium maximè Anates. Cicuratas enim ex ſuo genere præciſis alis juxta aquas vallo circumducto alere oportet copioſo jucundiſſimoque illic cibo. Id Anatibus inter reliqua eſt Sorgum incoctum aquæ: nocte cùm cicures clamant, agreſtes deſcendunt ad cibum: nam animalia omnia conſenſum habent in quatuor vocibus, cibi, venereorum pugnæ ac timoris, ſeque mutuo intelligunt. Retibus igitur, quæ coopertoria vocant contractis, hærent enim palis involuta, clauduntur, ut quandoque mille uno impetu Anates captas referant. Et quanquam mirum videatur, certum tamen eſt, nullum eſſe felicius aucupium. Eliguntur verò è cicuribus, quæ colore agreſtibus ſint ſimillimæ. *Cardanus.*

Aves quomodo doceantur loqui.

Loqui docentur aves tenebris, ac lucernâ, fame, ac Vino, eligunturque juvenculæ, & linguâ latiore, & ex Pſittacis, qui quinos habent in pedibus digitos: aptiores enim hi ad ſermonem. Porrò fames præcipuum eſt neceſſitatis diſcendi vinculum, ut *Perſius* dixit:

Quis expedivit Pſittacum ſuum χαῖρε,
Picasque docuit noſtra verba conari?
Magiſter artis ingeniique largitor
Venter negatus, artifex edi voces.

Tenebræ aves magis reddunt ſolicitas, ac ſenſum & memoriam colligunt. Unde etiam homines meliùs in tenebris recordantur & cogitant atque deliberant. Lucerna verò adhibetur, quia in exquiſitis tenebris aves dormiunt, timentque, ut ſenſus excutiatur, non augeatur. Tenui igitur lucernâ opus eſt. *Idem.*

Ad Avium pediculos.

Si Aves pediculis detinentur, oleo lini illito, curantur. *Idem.*

Avium voces ut intelligantur.

Si vis Avium voces intelligere, aſſocia tecum duos ſocios in quinto Calendas Novembris, & vade in quoddam nemus cum canibus, quaſi ad venandum, & illam beſtiam, quam primò inveneris, defer tecum ad domum, & præpara cum corde vulpis, & ſtatim intelliges voces avium, vel beſtiarum, & ſi vis, ut aliquis intelligat, oſculare eum, & intelliget ſimiliter. *Albertus.*

Rapaces aves, ut pennas mutent.

Quòd ſi plumas mutare velis ac pennas, carnes Muris cum pulvere piſciculorum dato; vel carnes Gallinæ, Serpentum carnibus nutritæ. *Cardanus.*

DE SECRETIS ANIMALIUM volatilium in ſpecie.

DE SECRETIS GALLINARUM.

CAP. II.

GALLINAS ſic farcito. Gallinas teneras, quæ primùm parient, includas, polline vel farinâ hordeaceâ aquâ conſperſâ rotundos globulos facias, ſicces, hinc eos in aquam intingas, Gallinarum faucibus ingeras, paulatim quotidie addas; ex gula conſideres quod ſatis ſiet. Bis in die farcias, & meridie bibere des. *Cato.*

Gallinæ & Capones, ut pingueſcant.

In culina facias tibi fieri capſam, pluribus interſtinctam capſulis, ſingulis cum ſuis foraminibus, per quæ capita foràs extrudere poſſint Gallinæ, cibumque capere. His itaque capſulis Gallinæ juvenes, vel Pulli vel Capones incarcerentur ſingulis: cibuſque ſingulis horis offeratur, parum pro vice, potu interdicto. Cibus autem ſit Triticum in aqua modicè elixum. Oportet autem capſulas inferiùs eſſe pervias, ut excrementa permeare poſſint, quæ ſingulis diebus diligenter ſunt auferenda. Cæterùm ultra tres hebdomadas incluſas eſſe Gallinas non oportet: præ nimia enim pinguedine interirent. *A quodam Hollando.*

Gallinæ ut pingueſcant, aliter.

Pingueſcunt maximè Gallinæ, & craſſiſſimæ fiunt, in domo

mo tenebricoſa, & calida nutritæ, pennis præpetibus, quas Græci ὀκύπτερα vocant, evulſis, oblatoque cibo farinæ hordeaceæ, aquâ ſubactæ. Alii hordeaceâ & loliaceâ farinâ utuntur, aut Hordei & ſeminis Lini crudâ farinâ. Quidam etiam polentam admiſcent. Aliqui his & Vinum affundunt. Quidam panem frumentaceum bonum, madefactum præbent. Plurimi Milio enutriunt. *Florent.*

Ova ne comedant Gallinæ.

Ovi candidum evacuetur, ad vitellum autem, hoc eſt, croceum ovi gypſum liquidum infundatur, ut in teſtæ duritiem tranſeat. Etenim à guloſitate ſtimulabuntur, & ſi nihil ampliùs reperient, citò abſtinebunt ab ovorum comeſtione. *Florent.*

Gallinæ ut magna pariant ova.

Si cupias ut Gallinæ magna tibi pariant ova, Rubricam diſſolutam cibo earum admiſceto, & majora ova gignent. Item magna ova parient tibi gallinæ, ſi teſtam laconicam tuſam furfuribus & vino admiſcueris, & ſubacta gallinis objeceris. *Leont.*

Gallinæ quomodo ſine ſtrepitu capiantur.

Sunt, veluti mendici Ægyptii, qui Gallinas, Anates, Anſeres, Cuniculos hamo ſuffurantur, dum ſtatim trahunt: neque enim concutiendo aut voce furtum prodere poſſunt, dum ſenſim ac celeriter ad ſe trahunt. *Cardanus.*

Gallinæ ut à Pulicibus defendantur.

In cubilibus cùm pepererunt Gallinæ, tollere ſubſtramen oportet, & recens aliud ſubjicere, ne Pulices, & cætera animalia naſcantur, quæ gallinam conquieſcere non patiuntur. *Varro.*

Gallinæ ut ſint à Vulpibus ſecuræ.

Referunt, decoctam Vulpem, & in fruſta diviſam, datamque in cibis Gallinis illas ſecuras reddere à Vulpibus per bimeſtre temporis ſpatium: idemque in Anatibus atque Anſeribus: Id verò expertum in valle Anguſciæ nomine Glemores in Scotia, cùm Vulpium maxima ſit copia. *Cardan.*

Gallina ut non ſit gravedinoſa.

Origanum madefacies, & cremorem in potu exhibebis aut

aut urinâ lavabis, aut allio nares illines, aut in aquam conjectum allium potandum præbebis. *Leontius.*

Gallinæ ut non abortiant.

Gallinas non abortire facies, ſi ovi candidum aſſatum, & Uvæ paſſæ toſtæ tantundem, ſimul triveris, & propoſueris ante alium cibum. *Pamphil.*

Gallinæ tenebris offuſis, ut fiant vertiginoſæ.

Laſer & Mel miſceto, & in ipſis frumentum macerato, idque gallinis objicito. *Berythius.*

Gallina ut à fele non lædatur.

Felis Gallinam non continget, ſi ſub Alam ipſius ruta ſylveſtris ſuſpendatur. Similiter autem neque Vulpes, neque aliud aliquod animal ipſas continget, & multò magis, ſi Vulpis aut Felis fel cibo admixtum exhibueris. *Africanus & Democritus.*

Ad vitia oculorum in Gallinis.

Oculum Gallinæ curabis muliebri Lacte, aut Portulacæ ſucco, oculis forinſecus illitis. Aut Salem Ammoniacum, & Cuminum, & Mel æquis portionibus contuſa ſimiliter illinito. Ipſas verò ſub umbram deducito. *Paxamus.*

Ad Gallinarum profluvium alvi.

Alvi profluvio medeberis, polentæ manus plenæ menſuræ, & ceræ pari copia, vino admixtis, & in maſſas coactis, ſi has ante reliquum cibum præbueris. Aut Malorum, ſive Cotoneorum decoctum in potu exhibueris. Eadem etiam aſſata proſunt. *Idem.*

Ad Gallinarum pediculos. Ejuſdem.

A morbo pediculari Gallinas liberabis Cumino toſto, & Staphiſagria paribus portionibus tuſis, illita inde gallina ex vino: & ſi lupinorum ſylveſtrium decoctorum aquâ ipſas prolueris.

Ad Gallorum gravedinem.

Gravedinem inducit eis ſordidus potus, quare potus puræ mundæque aquæ quotidie exhibeatur. Medeberis autem gravedini ſive muco, ac pituitæ, allio in fruſta conciſo, & in oleum fervens conjecto, ita ut perfrigerato oleo os eluatur. Quòd ſi etiam ederint Allium ipſum, magis ſanabuntur. Staphiſagria autem & per ſe, & Ervo ammixta pro-

prodeſt. Item Scilla purgata, & Aquâ macerata, deinde cum Polenta objecta. Quòd ſi graviùs infeſtet Gravedo, partes ſub genâ ferro lancinantur, & partes circa oculos exprimuntur, & Sale tenui confricantur ipſa ulcuſcula. Quidam Origanum & Hyſſopum, ac Thymum ſuffumigant, caputque Gallinæ ſupra vaporem detinent, roſtrum item Allio confricant. Alii in lotio hominis Allia coquunt, & roſtra quàm acutiſſimè defricant, ut oculos non contingant. *Paxamus.*

Gallus ut non calcet Gallinam.

Si quis inungat anum Galli oleo, non calcabit Gallinam, nec poterit. *Idem.*

Ut Gallus non vociferet.

Si quis vult ut Gallus non vociferet, caput ejus inungat oleo, & frontem. *Idem.*

Ut Pulli ſine Gallinæ fotu excreſcant.

Pulvinaria duo reple ſtercore Gallinorum tenuiſſimè trito, inde Plumas gallinarum annecte conſuendo utrique molles ac denſas, Ova verò capite, tenuiore ſupra extante, colloca ſuper alterum pulvinar, deinde reliquum ſuperpone in loco calido, permitteque immota duobus diebus, pòſt verò ad vigeſimam uſque diem illa ſic verte, ut undique æqualiter foveantur, inde ſtatâ die, quæ juxta vigeſimam primam eſt, Pipillantes jam ex Ovo ſenſim educito. Nec mirum, cùm Ariſtot. narret Syracuſis ſub terra foveri: in Ægypto verò nullo auxilio prorſus. Noſtrâ ætate compertum eſt, ſuppoſito igne levi atque fimo edi Pullos, ſed è pluribus tamen paucos. Supponunt ignem, ne fimus refrigeretur. *Cardanus ex Democrito.*

Ovorum excubatio citra Gallinam.

Ova tepido demergas fimo, ſeniſque diebus recens ſubjicito, ne ſeneſcat, ſed tempore ſuo foveat, & Gallinæ calorem imitetur, vertendo ſemper, donec excludant, qui quæruntur Pulli. Sic & tepente clibano. *Joan. Bapt. Port.*

Utrum ex Ovis mares, vel fœminæ ſint orituri, dignoſcendi ratio.

Si quis cognoſcere affectârit marem progigni, an fœminam, ſic cognoſcet. *Ariſtoteles* ait & probat *Avicenna*, ex

ex orbiculari breviqúe ovo mas; ex oblongis acutisque fœmina progignitur : ſuffragatur ratio ; nam virtutis perfectio in maſculis ovis æqualiter abit , & continet extrema : in oblongis à centro longiùs abit materia , in qua eſt vitalis calor. *Idem.*

Ut pullus fiat viſu jucundiſſimus.

Si palumbum marem cum gallina coire procurabis, aut Perdicem , vel Phaſianum , pullus emerget , non injucundus viſu. Et albam ſobolem dabunt Pavones, Phaſiani, Perdices & alites hujuſmodi , ſi aviaria vel caveas , quibus includuntur , congrediuntur , pariunt , incubant & excludunt , undiquaque & ex omni parte albis velaminibus obtenderis , & ornaveris. Artificium hoc acceptum fero Ornitotropho cujuſdam Principis viri , licèt etiam à multis deſcriptum fuerit , ſed neſcio an probatum. *Mizaldus.*

Ut Pullus quaternis pedibus & alis naſcatur.

Quònam fiat modo ut Pullus gallinaceus quaternis alis enaſcatur , quaternisque pedibus. Quod docet *Ariſtoteles.* Ova illa ſeligito, quæ bina comperies retinere boleta , pelliculâ quadam non tenui intercurſante , ſed albumina continuentur , quæ fœcundiores ſæpè gallinæ aſſolent parere , ex magnitudine cognoſces , patetque intuentibus Soli exponendo , exſuperante jam materiâ productum , ex plurium ſeminum commixtu , ſemenque habeat pullorum, glocienti gallinæ jam excubanda ſupponas , ut ſuo inſeſſu foveat ea , elapſo jam debito tempore , tales excludet fœtus pedibus , aliſque quaternis , curabisque ut commodè educentur. Si autem membrana diſterminabitur , gemini diſcreti pulli generantur , ſine ulla ſupervacua parte. Sic enim & biceps naſcetur ſerpens , & animal omne , quod ovo excluditur : ſi tale evenerit , non mediocris erit admirationis : ſæpiùs enim monſtra in prolificis animalibus & multiparis quàm in minùs fœcundis & imperfectioribus animalibus , in aliis verò facilitas generationis prævalet : unde in vilioribus animalibus faciliùs monſtra prodeunt, quàm in nobilibus. *Porta.*

Animal viſu & tactu inficiens.

Nec inficior artificio ingenioque enaſci poſſe animal viſu & tactu inficiens, ac ſi Regulus vel Catoblepa eſſet, ca-

veto-

vetoque, qui producere tentas, ne in te periculum recidat, quod facilè eventurum judico, ſi illicò nefanda lues in lucem prodiens, vi tabidi aëris matricem infecerit. Fœcunda mergito ova, ubi Arſenicum, vel Serpentum virus eliquaveris, venenaque cætera mala, per dies aliquos immorari ſinito: validiùs operatur intus, ſi ritè appoſueris, glocis ſubjicienda curato; manibus ne conquaſſes, ne inutile perdas, quod prævaliturum ſperas. Nec dabitur occaſio major monſtra producendi diverſa, quàm ovis: & hujuſmodi ſæpe gallinæ partus inter cætera efficiunt, atque etiam ex ſe fiunt: ideò *Leontius* ferri laminam aliquam, clavorum capita, laurique ramulos, ubi nidiculantur, afferre jubet, ne prodigioſos & monſtruoſos edant partus. Fimo commodè uti poſſumus; eſt enim naturali calori ſimillimus, nec ſpernendam retinet putrefactionis vim, mirabilium rerum parens: totque genera ex putrefactione animalium proveniunt, quot ea, quæ putrefiunt: quod ſi quis rectè conſideraverit, & mente perpenderit, non minimorum eliciet ſecretorum principia. *Joan. Baptiſta Porta.*

Caporum mores ut variè mutentur, & pingueſcant.

Capos & gallos referunt, & jure, edito Allio ferociores reddi ad pugnam. Capi etiam deplumati & urticâ tacti, pullos fovent, & curant: conſutis etiam oculis mirum in modum impinguantur. *Cardanus.*

Ut Pullus etiam jugulatus ſanguinem non mittat.

Referunt, collo pulli cinerem Bufonis ſuſpenſum efficere, ut jugulatus ſanguinem non mittat. *Idem.*

Ut Pullus in menſa ſaltet.

Si vis ut pullus ſaltet in diſco: Accipe Argentum vivum, & pulverem Calamenthæ, & mitte in ampullam vitream ſigillatam, & illam pone intra pullum calidum: cùm enim Argentum vivum incaleſcit, movet ſe, & faciet ipſum ſaltare. *Albertus Magnus.*

Ova ut ſerventur.

Ova ipſa ſervabis hyeme quidem in paleis, æſtate in furfuribus. Alii aquâ abluta ova ſale tenui integunt, & ſic conſervant. Quidam ad iij. aut iv. horas in muriam tepidam mer-

mergunt, deinde extracta in furfures, aut paleas deponunt. *Leontius.*

An Ova ſint plena, vel vacua dignoſcendi modus.

Cæterùm plenum Ovum, aut non plenum, cognoſces ex immiſſu in aquam, defectuoſum enim innatabit; plenum deorſum demergetur. *Idem.*

Ovorum excubatio citra Gallinam.

At ſi defecerit matrix, ſic dabitur Ovorum excubatio citra Gallinam, ut docet *Democritus*: Gallinarum vel columbarum ſtercore tuſo, atque in cerniculo ſubtiliter ſuccreto obruantur Ova, non irrita tamen, ne ſimul collidantur, ſubſtratis eorum pennis, & circumpoſitis cubilia extruantur: turbinatior ovorum pars ſurſum vergat, & vicenis quaternisque horis, alternis vicibus innovato circumvolvendo, ut æquabiliter concalefiant, ſic effœtæ efficere ſunt ſolitæ, loco calido, & tepente ſerventur: ubi bis deni dies elapſi, & completi fœtus, & Pulli roſtris Ova percutere incœperint, auſculta num pipiant: ſæpe enim propter eorum putaminum craſſitudinem erumpere nequeunt, vel rimis fatiſcunt teſta tollito, & gallinam inducito. Et ſi collibuerit aliter potes: Ova tepido demergas fimo, ſenisque diebus recens ſubjicito, ne ſeneſcat, ſed tempore ſuo foveat, & gallinæ calorem imitetur, vertendo ſemper donec excludant, qui quæruntur pulli. Sic & tepente clibano. *Joan. Bapt. Porta.*

Ova ut molleſcant, & ampullis includantur.

Ova acri Aceto infunde tamdiu, donec cortex eorum molleſcat, deinde cùm in anguſtum urceum fuerint immiſſa aqua frigida ſuperinfundatur, & priſtinam duritiem acquirunt. Acetum enim emollit ovi corticem, ut in anguſtum urceum immitti poſſit: aqua verò dureſcit. *Cardanus.*

Ova ut inſcripta facies.

Gallas & Alumen cum Aceto terito, donec Atramenti ſpiſſitudinem habeant, & ex hoc quicquid libuerit, Ovo inſcribito, & poſtquam Scriptura in Sole fuerit exiccata, Ovum in muriam acrem demittito, & reſiccatum coquito, & decorticato, & reperies inſcriptionem. Si verò cerâ inte-

intexeris ovum, & ſtylo inſcripſeris, donec teſta apparuerit literas exarando, deinde permiſeris aceto macerari per noctem, & ſequenti die ceram abſtuleris, reperies literarum figuram de aceto conſpicuam, & tranſparentem redditam. *Africanus.*

Ovum ut hominis caput magnitudine ſuperet.

Decem vel plura boleta & albumina invicem ſeparabis, boleta leviter commiſceto, & in veſicam immittito, rotundamque ligando imitaberis figuram, in ollam aquæ plenam immittas, & cùm bullis intumeſcere cernis, vel cùm duritiem traxerint, exime, & albumina addito, accommodando ut in medio inſideant, & iterum coqui ſinas, ſi corticibus enudatum habebis, quas ſic effinges. Ovorum cortices albos & elotos conteres, ut in tenuiſſimum pulviſculum volent, forti aceto, vel deſtillato emacerari ſinito, dum molleſcant: nam ſi ovum in aceto diutiùs fuerit appoſitum, cortex ejus diſſolvitur, & tenereſcit, ut facilè per ſtrictum os phialæ (ut antea dictum) poſſit immitti: ubi fuerit intromiſſum, clarâ aquâ in priſtinam redit duritiem, ut demirari contingat. Cortices cùm unguenti formam præ ſe tulerint diſſolutæ, penicillo aliquo ſuper excoctum ovum corticem inducas, & clarâ dureſcit aquâ, tunc verum & naturale habebis ovum. *Joan. Bapt. Porta.*

Ovum ut in aërem aſcendat.

In Majo menſe Ovi corticem vacuum rore impleto, Solique in meridie apponito, & ab eo elevabitur: & ſi difficilis aliquando fuerit aſcenſus, baculi vel tabulæ adminiculo dum aſcendere incipiat faciliùs elevabitur. *Idem.*

DE SECRETIS COLUMBARUM.

CAP. III.

Ut Columbæ non fugiant, ſed ſobolem amore complectantur.

JANUAS & feneſtras, & angulos columbarii oleo Balſamino illine, & manebunt. Non fugient Columbæ, ſi Cuminum & Lentem in aqua mulſa macerata objeceris. Et ſi aquam mulſam dederis in potu, aut Lenticulam per ſe paſſo coctam edendam præbueris, amorem prolis in ipſis excitabit. *Didymus.*

Columbarum philtrum, ut non fugiant.

Præparatur, ut Columbæ non fugiant, ejuſmodi philtrum. Teſtæ tuſæ, ac cribratæ, & Coſtus, & Vinum vetus odoratum ſimul mixta exhibentur prodituris ad paſcua; Quidam farinam hordeaceam coctam ficubus aridis admiſcent, & additâ Mellis parte proponunt. Alii Cuminum ad paſcua ituris offerunt. Columbæ permanent, ſi Veſpertilionis caput ſupra turrem poſueris, aut Vitis ſylveſtris ramos unà cum floribus pro temporis occaſione in columbarium depoſueris. *Idem.*

Eſca ad alliciendas Columbas, ut alias ſecum ducant ad columbarium.

Rec. Argillæ antiquiſſimæ & in furno piſtoris uſque ad rubedinem combuſtæ, vel Luti antiqui ex furno unc. j.

Verbenæ fœminæ unc. ſem.

Tritici in vino ſublimato macerati & triti drach. iij.

Cardopatiæ drach. vj.

Camphoræ drach. ſem.

Cumini drach. iij.

Vini ſublimati unc. j. ſem.

Mellis quantum ſatis ad formandas pilulas ad magnitudinem piſorum, quæ inter Columbarum edulia ponantur. Quidam addunt Urinam & Sanguinem humanum: deinde recipe herbæ Verbenæ quantum volueris, & impendatur in domicilio columbino. *David Vezelius Pharmacopœus Colmarienſis.*

Ut multiplicentur Columbæ.

Si Cranium hominis ſenis in periſterotrophio, ſeu columbario ſuſpendatur, multiplicabuntur ibi Columbæ, ac quietè vivent. Idem præſtabit lac mulieris puellam à bimatu lactantis, ſi in vitreo vaſe ibidem ſuſpendatur. *Albertus.*

Columbæ ut ad columbaria trahantur.

Columbæ alliciuntur hoc paſtillo: Maizi, ſeu Sorgi lib. 40. Cymini lib. vj. Mellis lib. x. Coſti lib. j. ſeminis Viticis lib. v. Coquantur omnia in aqua ad illius conſumtionem, inde additur Vini odorati optimi quantum ſufficit, cum lib. xv. cæmenti vetuſti, & fiat tumulus in columbarii medio: Columbæ aliæ cùm odorem ſenſerint, ad locum veniunt:

niunt: ſentiunt enim, & cum ipſis commiſcentur indigenis columbis: cùm ſemel adierint locum, relinquere nequeunt, ſuavitate cibi allectæ. *Cardanus.*

Columbæ ut maneant, & alias peregrinas ſecum adducant.

Si unguento illeveris Columbas, & alias externas inducent. Si verò Cuminum objeceris ad paſcua exituris, tum ipſas retinebis, atque alias multas cum ipſis venire facies, unguenti odore ductas. Si verò Viticis ſemen acceperis, & vino veteri per triduum maceraveris, deinde autem Ervum vino illo rigaveris, & Columbis objeceris, ipſasque ſtatim evolare permiſeris, externæ Columbæ ſpiritûs fragrantiâ perceptâ, omnes in columbarium venient. Citiùs autem ingredientur, ſi Salviam cum Thure in columbario ſuffumigaveris. *Didymus.*

Feles ut Columbas non infeſtent.

In feneſtras & ingreſſus, aliosque plures columbarii locos Rutæ ramulos deponito, & ſuſpendito. Habet enim Ruta naturalem quandam contrarietatem adversùs beſtias. *Idem.*

Serpens ut non accedat ad columbarium.

Serpentes non infeſtabunt columbarium, ſi in quatuor angulos columbarii inſcripſeris Adam. Quòd ſi feneſtras habuerit, etiam in ipſis ſcribes. Serpentes autem eliminabuntur Peucedani ſuffitu. *Democritus.*

Feles ut Columbas non lædant.

Neque feles, neque aliud animal Columbis inſidias ſtruere poteſt, aut eas aggredi, cùm non ſint domus in propinquo, è quibus inſidiari queant. *Quintil.*

Reptilia ut columbarium intrare non poſſint.

Neque poſſibile eſt reptilia per columnas aſcendere poſſe, cùm ſint valdè diligenter oblitæ, tectorioque inducto explanatæ. *Quintiliorum.*

Columbæ ut conſerventur adverſùs noxia animalia.

Lupi caput ſeu odore ſeu ſpecie creditur ſuſpenſum in columbario arcere Viverras & Muſtelas. *Card. & Agrip.*

Palumbum recentem ſic farcito.

Palumbo recenti, cùm prenſus erit, fabam coctam toſtam primùm dato, ex ore in ejus os flato item aquam, hoc dies ſeptem facito. Poſtea Fabam freſam puram, & far purum facito, & fabæ tertia pars, ut inferveſcat, cùm far inſipiat, puriter facito, & coquito benè. Id ubi coxeris, depſito benè, oleo manum ungito. Primùm puſillum, poſtea magis depſes, oleo tangito depſitoque, dum poteris facere rotundas. Ex aqua dato eſcam, & temperato. *M. Cato.*

DE SECRETIS PAVONUM.

CAP. IV.

Pavones reliquiq; pulli ut albi generentur.

PAVONES reliquique pulli albi generantur, ſi aviaria vel caveas, quibus includuntur, eorumque cubilia tectorio inalbentur opere, vel albis linteis & velaminibus protegantur & exiguis cancellis præpediantur, quò minùs iis locis fugiant: rectè pavimenta ſunt everrenda, ne niſi alba penitus conſpiciant: cùm coitum ineunt, excubant, ovaque fovent, ſic albicantem dabunt ſobolem: idem in aliis facito. *Joan. Bapt. Porta.* Cæterùm natis Pavonibus biduo cibus non eſt dandus. Tertiâ verò ex hordei farina vino ſubacta, & tritico pinſito, Zea pinſita, in aqua pura macerata, cibantur, & nutriuntur. *Didymus.*

DE SECRETIS HIRUNDINUM.

CAP. V.

Hirundinum pulli ut albeſcant.

OVA Hirundinum oleo illita, cum quindecim diebus jam cubaverit Hirundo, pullos edere albos: qui tamen proceſſu temporis, mutatâ plumâ, more aliarum hirundinum nigreſcunt. *Cardanus.*

DE SECRETIS VESPERTILIONUM.

CAP. VI.

Ad Veſpertiliones.

IN viis publicis Platani folia ſuſpendas, & Veſpertiliones non

non ingredientur. Occidit quoque ipſas Hedera ſuffumigata. *Africanus.*

DE SECRETIS PHASIANORUM.

CAP. VII.

Phaſiani ut fiant pingues.

PINGUESCUNT incluſi, ita ut primâ die accipiant cibos, ſequenti verò aqua mulſa, aut vinum potens apponatur. Cibus ſit cruda hordeacea farina, quâ ſubactâ, particulatim autem apponatur, & paulatim, deinde Faba freſa molita, & Ptiſana, & Milium integrum, & ſemen Lini coctum, & ſiccum crudâ hordeaceâ farinâ mixtum detur. His etiam oleum adjicere potes, maſſasque ex ipſis facere, easque cibi loco offerre, ut inde ſaturentur. Quidam etiam Fœnum græcum ad dies quinque aut ſex objiciunt, bilem purgare ex volucribus his cupientes. Pingueſcunt utplurimum diebus ſexaginta. Curantur autem & hæc gallinarum genera, medelis ac remediis domeſticis gallinis datis. *Varro.*

DE SECRETIS PERDICUM.

CAP. IIX.

Ad Perdices capiendas.

PERDICES naturâ calidiſſimæ, ad coitum ferventiſſimæ exiſtunt: unde mares ipſarum zelotypiâ moti inter ſe decertant. Quandocunque igitur fœminis præſentibus duo mares reperiuntur, ſtatim ad pugnam deveniunt, neque priùs certamen diſſolvitur, quàm alter ipſorum ſuperatus ſecedat. Qui igitur ſuperior apparuit, hunc omnes fœminæ de cætero ſequuntur, atque hic ſuperbiens victam velut fœminam ſalit, & de cætero ille in fœminarum ordinem redactus ſequitur victorem. Perdices facilè venaberis, ſi farinam vino madefactam objeceris. *Berytius.*

DE SECRETIS TURTURUM.

CAP. IX.

Ad impinguandum Turtures.

PINGUESCUNT quidem Turtures Milio & Panico, itemque largo potu. Gaudent autem & Tritico, & purâ aquâ. *Didymus.*

DE SECRETIS COTURNICUM.

CAP. X.

Coturnices ut pingues fiant.

COTURNICES Milio, Frumento, Lolio & aquâ purâ ſaginantur. Quandoquidem verò Coturnices Veratro veſcentes non tutè ſatis in cibo accipiuntur, quia earum eſus, & diſtenſionem, & vertiginem inducit, eâ ſanè gratiâ Milium cum ipſis coquere convenit. Si verò quis ab earum eſu jam prehenſus ſit his affectionibus, Milii decoctum commodè biberit: eandem verò vim & Myrti baccæ habent, quæ etiam in lethalibus fungis acceptis magnificè proſunt. Verùm Milium quoque aliam quandam virtutem habet naturalem. Si quis enim panem miliarem comedit, nunquam à veneno noxam incurret. *Idem.*

DE SECRETIS TURTURUM.

CAP. XI.

Turdi quomodo impinguentur.

TURDI in calida domo nutriuntur, Perticis domunculæ ejus partibus infixis, & Lauri ramulis, aut etiam aliis in angulos poſitis. Verùm in pavimento puro cibus objiciatur, hoc eſt, Ficus aridæ aquâ maceratæ & expreſſæ, tuſæque, & farinæ triticeæ aut hordeaceæ admixtæ. Myrti etiam baccæ & Lentiſci, & Hederæ fructus, itemque Lauri & Oleæ, & quæcunque ejuſmodi. Pinguiores autem ipſos reddet Milium, & Panicum, & puriſſima aqua. *Idem.*

DE SECRETIS GRACULORUM.

CAP. XII.

Ad Graculos fugandos.

GRACULOS fugabis, ſi unum captum ſuſpenderis: reliqui enim eo viſo fugient, laqueis in poſſeſſione eum teneri, putantes. Graculos, omnemque aliam avem prohibebis accedere, ſi Veratrum nigrum madefactum unà cum Hordeo objeceris. Rectè facies, ſi priuſquàm deſidant Graculi in arvo, ipſos ſtrepitu quodam propulſaveris. Sufficiens eſt autem ex crepitaculis & taurino tergore ſtrepitus ad has aves perterrefaciendas atque abigendas. *Leontius.*

Acci-

Accipitres quomodo capiantur.

Accipitres columbarii interficere ſolent duabus virgis viſcatis defixis in terram, inter ſe curvatis, cùm inter eas poſuerint obligatum animal, quod idem petere ſolent accipitres, qui ita decipiuntur, cùm ſe obſeverint viſco. *Varro.*

DE SECRETIS PARVARUM avium. CAP. XIII.

Aviculæ ut pingueſcant.

PARVÆ aviculæ milio & panico gaudent. Avicularum præcipuè Philomelarum, & melanocephalarum cibus medicinalis, *Paſton* Italicè dictus, Cicerum excorticatorum & ſubtiliſſimum in pulverem redactorum, lib. ij. Butyri unc. v. Mellis unc. iij. Amygdalarum unc. vj. Croci dimidium quadrantis: ſunt qui cum Ovorum luteo conficiant. Si ægrotent, abſciſſâ puſtulâ, quæ ſuper caudam jacet: ſi intumuerit, effluente ſanie, cibum oblatum capiunt, debent autem loco ſatis libero, & calido emitti: ſic ſæpè ſum expertus. Calidum enim omnibus parvis animalibus ſanguineis, & præcipuè avibus utile. *Cardanus.*

DE SECRETIS ANSERUM. CAP. XIV.

Anſeres quomodo ſaginentur.

Anſeres ipſi pingueſcunt in domibus calidis Polentæ partibus duabus, & Furfurum partibus quatuor aquâ calidâ ſubactis, & objectis, ut inde, quantum velint edant. Ter autem in die cibum ſumunt, & circa mediam noctem. Bibunt largiter. Verùm poſtquam magni evaſerunt, Caricas ſiccas in tenuia ſegmenta conciſas, & aquâ ſubactas, per dies viginti in potu exhibe, ut magnum faciant hepar, indeque fiat Anſer pinguis ac nutriens: incluſis nimirum frumentum maceratum objiciunt, aut hordeum eodem modo; Frumentum enim citò pinguefacit, Hordeum verò carnem albam facit. Paſcantur autem prædictis ſpeciebus ſingulatim, aut etiam utriſque, ad dies viginti quinque, bis per diem oblatis, & collyriis inde factis, ita ut ſeptem collyria ſingulis primis quinque diebus offerantur, conſe-

quenterque paulatim numerus augeatur uſque ad dies viginti quinque, ut ſint dies ex toto triginta. Quibus impletis Malvas fervefacias, & decocto iſto adhuc calido fermentum madefactum exhibebis, atque id facies per quatriduum. Iiſdem etiam diebus aquam mulſam offeres, ter ſingulis diebus ipſam permutans, & non eâdem utens, & ſic in ſequentibus uſque ad ſexaginta dies. Aridis Ficubus contuſis cum prædicto fermento utaris in eorum alimentum; contingetque tibi poſt dies ſexaginta, & ipſo Anſere, & hepate ejus tenero ac albo uti, quod ſanè exemtum in vas amplum mittendum eſt, in quo calida ſit aqua, quæ etiam iterum atque iterum eſt permutanda. Præſtant autem fœminarum tum corpora, tum jecinora. Sint verò Anſeres non anniculi, ſed duorum annorum uſque ad quatuor. Porrò ſtatim ut ex ovis prodeunt pulli, Polenta & Frumentum madefactum cibi loco objiciantur, & Naſturtium viride. *Quintilii.*

Anſerum ſaginatio.

Eodem modo Anſerem, quo Gallinam farcito, niſi priùs dato bibere, & bis in die, ſicut bis eſcam. *Cato.*

Ad ſaginandum eligunt Pullos anſerinos, circiter ſeſquimenſem qui ſint nati: eos includunt ſaginario, ibique Polentam, & Pollinem aquâ madefactum dant pro cibo, ita ut perinde ſe ſaturent. Poſt Cibum, largè ut bibant, faciunt poteſtatem. Sic curati duobus circiter menſibus fiunt pingues. Quotieſcunque autem ſumſerunt, locus ſolet purgari, quòd ipſi ament locum purum, neque tamen ullum, ubi fuerint, relinquant purum. *Varro.*

Anſer vivus excoctus.

Anſer, vel Anas, vel aliud vivacius animal (ſed in hoc Anſer omnibus anteſtat) ſit toto corpore implume, capite colloque relicto, ſit hinc inde obvallatus igne, & circumſeptus non arctè, ne ſuffocetur fumo, néve igne torreatur citiùs: non largè, ne impunis evadat: intus paſſim pocilla & ollulas aquâ plenas, cui ſal & mel adjicias, ibique lances elixatis malis ſint plenæ, & teſſellatim diſco conciſis, ipſe cùm eſt totus liquamine obductus & laridatus, ut eſculentior ſit, & faciliùs decoquatur, ignem admove. Feſtinare nolito, ubi calore effervere cœperit, circumambulando & fugiendo præſepit ignis, & iter includit, ſic improbus aquam abſorbendo com-

compeſcitur, cor, cæteraque membra refrigerando, medicamenti vi laxat alvum, abſtergit, & exinanitur: & ubi inferbuerit, interiora decoquet, ſpongiâ continuò cerebrum, & cor humectato: ubi verò inſaniâ ferri, & ceſpitare conſpexeris, deficit cordi humidum: remove hinc, convivis appone, evulſis ſemper partibus vociferantem, ut ferè priùs comeſſatus, quàm mortuus videatur. *Joan. Bapt. Port.*

DE SECRETIS ANATUM.
CAP. XV.

PINGUESCUNT Anates largiore alimento, quemadmodum pleraque volucrum genera, Frumento, aut Milio, aut Hordeo. Cæterùm aliqui magis cicures habere Anates volentes, ova ipſarum circa ſtagna perquirunt eaque Gallinis ſupponunt, excluſosque pullos educant, & manſuetos habent. *Didymus.*

Anates ut manibus facilè capiantur.

Si quis locum obſervet, ex quo potum ſumunt Anates, & everſa aqua vinum nigrum immittat, ubi id hauſerint, cadent, & prehendi facilè poſſunt. Idem & vini fex facit. *Idem.*

DE SECRETIS APUM.
CAP. XVI.

De Apibus, & morborum earum medelis.

LOCUS in quo Apes futuræ ſunt, ad hybernum, aut vernum Solis exortum converſus eſſe debet, quo & hyeme & æſtate calefiant, & auræ inſpirantes ipſas recreent. Aqua optima Apum examinibus eſt, quæ per aſperos calculos defluit, incorruptaque ac minimè turbida exiſtit. Nam & ſanitatem, & bonum Mel facit. Verùm petrarum ſaxa, itemque ligna collocare oportet, aquæ paululum ſupereminentia, quibus inſidentes abſque labore bibant. Si verò non ſit fluens à terra aqua, à puteo exhauriatur, aut è fonte, & per canales inducatur. Sint autem hi prope Apes, ne ex aquæ geſtatione ægrotent. Pabulo Thymi maximè gaudent, & ex eo abundè paſtæ, & plurimum Mel conficiunt & ſobolem pariunt. Salvia quoque & Thymbra, ac Cytiſus, jucundiſſima ſunt apibus pabula, & recentia exami-

na Cytiſo maximè adhærent, eoque minore labore fruuntur. At verò clauſtra, hoc eſt, vaſa, quibus excipiuntur, optima ſunt ex tabulis oxineis, aut ficulneis, ſimiliter & ex pineis, aut fagineis. Latitudo ſit cubitalis: longitudo duorum cubitorum. Forinſecus autem calce, & bubuli ſtercoris tectorio oblinantur: minùs enim ſic putreſcent. Perforantur ea ipſa obliquè, quò venti leniter inſpirantes, tum aranearum telas, tum alia marceſcentia reſiccent, & perfrigerent. Gaudet maximè quiete hoc animal, & ægrè fert hominum acceſſum. Quare oportet Apum cuſtodem murum circum extruere ex raris lapidibus: quo ipſæ per cavernas involantes, tum aves inſidiantes, tum rorem effugere poſſint. Amant conſueta paſcua, & ſi habitationes innovent ac mutent, non volentes ad pabulum exeunt, & ob id in regione ipſas ſervare oportet. Porro Tithymalum depaſtæ, & ſucco guſtato ex alvi profluvio laborant. Quare ſi quis in vicinia naſcatur, extirpandus & evellendus eſt, ipſæque curandæ Mali punici tegmine, hoc eſt, cortice tuſo, & tenui cribro excuſſo, admixto Melle, ac Vino auſtero. Pedunculos autem ipſarum curabis, ramulis Mali arboris & Caprifici incenſis ac ſuffumigatis. Hebetudinem verò videndi ſanabis foliorum Origani ſuffitu. *Florentinus.*

Apium comparandarum formula.

Cùm Apum examen exiturum eſt (quod fieri ſolet cùm adnatæ proſperæ ſunt multæ, ac progeniem veteres emittere volunt in coloniam: ut olim crebrò Sabini factitaverunt propter multitudinem liberorum) hujus quòd duo ſolent præire ſigna, ſcitur. Unum, quòd præcedentibus horis dierum maximè veſpertinis, Apes multæ ante foramen, ut uvæ, aliæ ex aliis pendent conglobatæ. Alterum, quòd cùm jam evolaturæ ſunt, aut etiam interceperunt, conſonant vehementer, perinde ut milites faciunt, cùm caſtra movent. Quæ primò tum exierunt, in conſpectu volitant, reliquas, quæ nondum congregatæ ſunt, reſpectantes dum conveniant. Cum à mellario id feciſſe ſunt animadverſæ jaciundo in eas pulverem, & circum tinniendo ære perterrefaciet eas & manere coget, præprimis ſi non longè ab hinc ramum, vel quid aliud oblinunt Erithace, atque Apiaſtro, cæterisque rebus, quibus apes delectantur. Ubi conſederunt, afferunt alveum propè eiſdem illiciis illitum intus,

in

in quem propè appoſitum fumo levi circumeundo cogunt eas intrare, tanquam in novam coloniam: cùm introierunt, permanent adeò libenter, ut etiam ſi proximam poſueris illi alveo, unde exierunt, tamen novo domicilio potiùs ſint contentæ. *M. Varro.*

Apes quomodo transferendæ.

Si emptori cuipiam, aut etiam ob aliam cauſam neceſſe ſit apes transferre, noctu ante diem & placidè, obligatis cum pellibus vaſis, eas tollat. Hac enim fallaciâ neque favos perturbabis, neque animalia contriſtabis, ipſa moleſtando. *Florent.*

Apes ut non fugiant.

Apes non fugient, ſi Vituli recens nati ſtercus loculorum oſculis obleveris. Fixo autem, inhabitante adhuc examine regem leviter alis prehendito, ejuſque extrema infringito. Ipſo enim intus manente, non diſcedent. Non fugient apes, ſi ſylveſtris & ſativæ Oleæ folia ſimul trita alvearibus ad veſperam illeveris, aut aquâ mulſâ parietes & alvearia obleveris. Recens porrò editis, cibum in pelvibus apponere oportet, Vinum mulſum, in quo ſint Thymi, & Thymbræ multum floridæ, ne ſuffocentur. Alii ex Uvis paſſis contuſis, & modica Thymbra admixta, maſſas faciunt, eiſque examina optimè enutriunt, quum propter Hyemem, aut æſtum domi manentes famelicæ ſunt, prætergreſſis autem decem diebus vernis, fimi bubuli aridi fumo ipſas ad paſcua expelles, & purgabis atque evertes ipſa vaſa. Stercoris enim fœtor ſegnitiem eis inducit, & Aranearum caſſes ipſas impediunt. Si verò multæ favorum ſtructuræ in vaſis fuerint, deteriores eximere oportet, ne ob loci anguſtiam ægrotent. Favos autem ex uno vaſe plures quàm duos auferre non oportet. Macilentæ enim & debiles evaderent. *Didymus.*

Quo tempore Apum mel in alvearia congeſtum eximere liceat.

Optimum tempus vindemiæ Mellis & favorum eſt Pleiadum ortus, ſecundùm Romanos verò menſis Maji principium. Secunda vindemia eſt incipiente Autumno. Tertia Pleia-

Pleiadibus occidentibus circa Octobrem menſem. Non tamen definitis, ac certis diebus, ſed juxta favorum perfectionem. Si enim antequam perfectè concepti ſunt favi, mella eximantur, ægrè ferunt, & ceſſant præ ſiti. Idem faciunt etiam ſi avarior omnem fructum ademeris, & alvearia penitus evacuâris. Oportet enim decimam partem ipſis relinquere tum vere, tum æſtate: hyeme verò duabus relictis ipſis partibus, tertia tantùm eſt auferenda. Sic enim neque præ triſtitia animum deſpondebunt, & alimentum abundè ſuppetet. Cæterùm bubuli fimi fumo ipſas expellere oportet, aut Malvæ ſylveſtris maſculæ ſuffitu, quam *Dendromalachen* Græci appellant. Ejuſdem ſucco vindemiatorem illini oportet, ob ipſarum morſus. Prodeſt & *Melitteon*, quæ & *Molittena*, & *Meliſſophyllon* vocatur, illita, & flos Lentiſci. *Idem.*

Ne Mellis vindemiator ab apibus pungatur.

Ad farinam Fœnigræci torrefacti Malvæ ſylveſtris ſuccum affundito cum Oleo, factaque Mellis ſpiſſitudine, faciem & nudas corporis partes largiter illine. Indidem etiam ſorbeto, & in alvearia ter aut quater inſufflato. Fimum item bubulum aridum in ollula accendito, & admotum feneſtellæ alvearii fumum ad dimidiam horam irrumpere ſinito, & poſtea elevatam ollam foris teneto, quò fumus foris redundet, atque ſic vindemiam perfice. Similiter autem & fucorum nidos ac cellas extirpabis, ſi ad bubulum fimum farinam fabaceam admiſeris. *Paxamus.*

An Mel ſit adulteratum, dignoſcendi ratio.

An adulteratum, aut integrum ſit Mel, ipſo accenſo cognoſces. Quod enim adulteratum non eſt, purè ardebit. *Diophanes.*

DE SECRETIS FUCORUM.

CAP. XVII.

Ad tollendos Fucos.

SI Fucos tollere libeat, veſperâ incipiente opercula vaſorum intrinſecus aquâ irrorato, & circa diluculum vaſa aperito, invenieſque fucos guttis operculorum inſidentes.

dentes. Semper enim Melle repleti ſiticuloſi ſunt, & aquæ appetentiâ inſatiabili ab humore operculorum non diſcedunt. Quare poſſibile fuerit ipſos omnes diſperdere, ita ut ne unus quidem aufugiat. Sunt autem magni, aculeoque carentes, & ignavi. *Democritus.*

DE SECRETIS VESPARUM.

CAP. XVIII.

A Veſpis ne impetaris.

MALVÆ ſylveſtris ſucco adversùs veſparum impetum illinaris. *Paxamus.*

Ne quis à Veſpis pungatur.

Si quis ſylveſtris Malvæ ſucco perunctus erit cum Oleo, vel plantam ipſam ſecum habebit, à Veſpis non pungetur. Quòd ſi recenter punctus fuerit, etiam infixo aculeo, idem opitulabitur ſuccus, aut oleum ſimplex. *Mizaldus.*

DE SECRETIS MUSCARUM.

CAP. XIX.

Ad Muſcas.

MUSCAS *Berytius Græcus* hoc flagello procul arcere docuit. Si Veratrum (inquit) addito Auripigmento cum lacte maceraveris, & illius rore ac imbre locum à Muſcis obſeſſum reſperſeris, omnes vel fugabis, vel perimes. Quod etiam præſtabit Alumen cum Origano, & Lacte tritum, quâ miſcelâ quæcunque illita fuerint, à Muſcis non contingentur. Prodeſt etiam Laurus, cum nigro Veratro tuſa, & in lacte, aut aquâ mulsâ macerata: ejus enim aſpergine, ceu quodam toxico necantur, aut nunquam redituræ aliò confeſtim evolant.

Generalis ratio fugandorum, & arcendorum Inſectorum.

In univerſum Inſecta omnia quinque modis arcentur: aut prohibendo generationem; ſic in Locuſtis ova conterere ſolemus: aut ad ventum, locis concluſis, clauſis feneſtris, quoniam Muſcæ obſcuro loco non volant, ut ab earum tædio

tædio ſimus tuti. Quædam apertè Inſecta pellunt, & occidunt, ut duo extrema illa, ignis & præſertim flamma, ac immenſum frigus. Inde ſapor acris, & amariſſimus, velut Acetum, Fel tauri, decoctum Cucumeris aſinini, Ellebori albi, Colocynthidis, Lupinorum. Quædam odoris propriâ quadam vi, ut Sulphuris, Atramenti, Calcanthive, florum & foliorum Sambuci, utriuſque Coriandri, Cornuum & Ungularum. Quædam multiplici genere incommodi illa afficiunt: ut Ruta, Ærugo. Antiqui verò duobus maximè, quorum nunc obliti ſunt homines commodiſſimè ad omnia ſervanda utebantur, Pice atque Amurcâ olei. Pix ab aëre tutatur, Amurca ab animalibus. Invenio inter odorata Styracem ſuffitu omnia fermè Inſecta animalia pellere. *Card.*

Ad Muſcas congregandas.

Si Muſcas in unum locum congregare velis, ſcrobem facito, & Rhododaphnes contuſas in ipſum mittito, iſticque univerſas congregabis. *Anatolius.*

Ad Muſcas, Araneas, Scorpiones, aliaq; ſimilia ædibus expellenda.

Pennas Upupæ quot volueris in cubiculo accendito, ita ut fumum ſentiant. Quæcunque enim fumum percipient, effugient, & nunquam redibunt. *Alex.*

Contra Muſcas.

Si vis ne approximent Muſcæ domui, miſce decoctum Hyoſcyami, Colocynthidos, vel Centaurii minoris cum Calce, & inde albifica domum, ſic non ingredientur Muſcæ.

Ne Muſcæ Boves infeſtent.

Muſcæ non infeſtabunt Boves, ſi Lauri fructum oleo incoquas, & hinc ipſos illinas. Ex toto autem Brutis non inſidebunt, ſi Leonino adipe illinantur. *Anatolius.*

Ad perimendas Muſcas.

Veratrum cum Lacte, aut Sapa, Auripigmento addito, maceratum & reſperſum, Muſcas perimit. Si verò Alumen, & Origanum trita illeveris, non inſidebunt. *Idem.*

Ne Muſcæ Equos & Mulos moleſtent.

Si quis ſucco foliorum Cucurbitæ, Mulorum aut Equorum pilos intinxerit æſtate mediâ, non parvo rei miraculo Muſcarum moleſtiâ immunis erit. *Cardan.*

Ut

Ut Muſcæ congregentur ac moriantur.

Arſenicum pulveriſatum in Aquâ ſolvatur, & hæc aqua Melle ulteriùs edulcoretur, hincque exponatur in apertis vitris hinc inde per conclavia, ſic bibent omnes Muſcæ de hâc aquâ & morientur.

Vel Bacillos viſco illitos expande ſuper ollam Aquâ ad medium repletam, hanc verò in Cubiculum ſepone, ita videbis paulatim muſcas numerosè advolantes, ipſique viſco adhærentes, è quo ſeſe extricare ampliùs nequeunt.

Ad Culices.

Cuminum manſum probè in ore, ſuccum gignit, quo ſi facies, manus, totumque corpus (ſiquidem fieri poteſt) inunctum fuerit, minimè tibi moleſti erunt. Nam hujuſmodi odor eis valdè adverſus eſt. Cæterum, ſi Vino, in quod Cuminum contritum injectum ſit, feneſtræ, vel cubiculorum portæ, atque etiam parietes aſperſi fuerint, cubicula minimè introibunt, odorem, ut antea dictum, vitantes. Quòd ſi Muſcas quoque è domo depellere voles, ſumito Saturegiæ, foliorum Sambuci, Cumini ſing. quantum ſatis eſt, miſceantur & coquantur in aqua, quâ, cùm domus, vel cubicula aliquantulum madefacta fuerint, Muſcæ omnes evolabunt. Verùm nihil cibi eis permittendum, ne eo allectæ odorem alterum contemnant. *Alex.*

Ad Culices.

Si Cannabis humidæ ramum florentem juxta te pones dormiturus, Culices te non contingent. *Democritus.*

Ad Culices.

Culices perdit pilus equinus extenſus juxta januam, & per mediam domum, & non permittit ipſis introire. Expellit eoſdem Calcanthum & Nigella ſuffitu. Si ſpongiam acri Aceto imbutam de capite ſuſpenderis, & ſub pedes, Culices te non contingent. Fugabis eoſdem ſi Rutæ vel Conyzæ decocto parietes domûs & lectorum reſperſeris: vel ſi Galbani, Sulphuris aut Cumini ſuffitu eoſdem imbueris. Fugantur item Aceti ſimplicis, & Origani vapore ac nidore. Stercus bubulum vel muris illitum vel ſuffitu admotum Culices eliminat. Idem continget ſi Muricum uſtorum Bdellii, vel Sagapeni pulvere amicula fuffumigaveris.

Spon-

Spongia aceto imbuta ſi ex faſtigio domûs ſuſpendatur, omnes Culices illic congregabit. Culices moleſti non erunt ei, qui Cannabem in lecto ſubſtratum habet. *Democritus.*

Muſcæ & Apes ſubmerſæ, ut reviviſcant.

Muſcæ ſubmerſæ ſi ponantur in cineribus tepidis, reviviſcunt: & Apes ſubmerſæ ſimiliter vitam recuperant in ſucco Nepetæ. *Corn. Agrip.*

DE SECRETIS CURCULIONUM.

CAP. XX.

Ad Curculiones perimendos, expertum.

ACCIPE Salſuginis, Allii ſingul. quantum ſatis eſt, coquantur ſimul, & hac ſalſugine pavimenta ac parietes irrigentur. *Alex.*

Aliud, Ejuſdem.

Accipe Sagapeni, Amurcæ, Caſtorei, Sabinæ, Sulphuris, Cornu cervini, Hederæ, Galbani, ſingulorum quantum ſufficit, miſce & contunde in pulverem, cujus ſuffitus Curculiones fugabit.

Frumento ne Curculio noceat, néve Mures tangant.

Lutum de Amurca facito, Palearum parum addito, ſinito ut marceſcant benè, & ſubigito, eo granarium totum oblinito craſſo luto, poſtea conſpergito Amurcâ benè omne quod lutaveris. Ubi aruerit, eo frumentum refrigeratum condito. *Cato.*

DE SECRETIS LOCUSTARUM.

CAP. XXI.

Adversùs Locuſtas.

SI quaſi nebula Locuſtarum accedat, vel omnes in terrâ manebunt deliteſcentes, vel præteribunt regionem, & nihil attingent depaſcentve, ſi Lupinis amaris, aut Cucumeribus ſylveſtribus in muria fervefactis conſpergantur, è veſtigio enim morientur. Similiter præteribunt

ſub

ſubjectam regionem, ſi captas Veſpertiliones, è ſublimibus regionis arboribus ſuſpenderis. Si autem captas Locuſtas exuſſeris, ab odore vertigine afficiuntur reliquæ & partim morientur, partim demiſſis alis venatorem expectant, & à Sole corrumpuntur. Fugabis Locuſtas, ſi confecto ex ipſis garo ſcrobes effoderis, eosque garo reſperſeris, ac madefeceris. Antequam enim præterierit dies, ſi acceſſeris, reperies ipſas in ſcrobibus ſomno aggravatas, quomodo verò ipſas perimas, tuæ curæ relinquo. Nihil omninò eorum contingent Locuſtæ quæ Abſynthio, aut Porro, aut Centaureâ, aquâ tritis reſperſeris. *Democritus.*

DE SECRETIS PLANTARUM.

LIBER IX.

- *Secreta plantarum tum in*
  - *Genere.* De his agit, Cap. I.
  - *Specie vel*
    - *Integrarum*
      - *Arborum: in*
        - *Genere.* Cap. II.
        - *Specie*
          - Hortenſium, Cap. III.
          - Sylveſtrium, Cap. IV.
      - Fruticum, Cap. V.
    - *Partium videlicet:* vide ſignum A.

A. *Partium videlicet:*
- Radicum, Cap. VI.
- Foliorum, in
  - *Genere*, Cap. VII.
  - *Specie*, Cap. IIX.
- Florum, in
  - *Genere*, Cap. IX.
  - *Specie*, Cap. X.
- Fructuum in
  - *Genere*, Cap. XI.
  - *Specie: tam*
    - Arborum, Cap. XII.
    - Fruticum, Cap. XIII.
    - Herbarum, Cap. XIV.
- Seminum in
  - *Genere*, Cap. XV.
  - *Specie*, Cap. XVI.
- Lignorum, Cap. XVII.

DE SECRETIS PLANTARUM in genere. CAP. I.

Plantæ ut majores evadant.

GENERALITER ſata ſemina Lunâ creſcente robuſtiores plantas, & inſipidiores generant: ſicut contrà Lunæ Lumine deficiente; id eſt, ab oppoſitione, tenuiores, & acriores proferunt. Hinc natum exiſtimo, cur magni fructus, aut radices, ſeu herbæ, rarò odore & ſapore præſtent. *Cardanus de varietate rerum.*

Plantæ ſteriles quomodo fructiferæ reddantur.

Si omninò ſterilis planta ſit, *Ariſtot.* conſulit, ut diviſæ radici lapis interponatur. Nam ſi denſus ſit Cortex plantæ, temperato calore fructifera redditur.

Plantas ut à rubigine tuearis.

Cornu & ſtercus bubulum crematum tuetur (ut dicunt) plantas à rubigine. *Cardan. de ſubtilit.*

Plan-

Plantæ ut à Vermibus tutæ maneant.

Si plantæ Vermibus laborent, æneo clavo purgandæ: Æs amarorem firmum in planta relinquit, ſimiliter Fel bubulum ſuper radices ſparſum: vermes enim dulci aluntur, fel autem illud amariſſimum. *Idem Cardanus de Varietate.*

Quæ plantas emori faciant.

Referunt Nucis florentem ramum, dentibus morſum ab eo, qui priùs lentes manderit, totam arborem interimere. Cujus rei non alia eſt ratio, quàm quòd his temporibus tota planta violetur, aut cortex medullave ejus vehementiùs lædatur. Evidentior tamen cauſa eſt, cur viva calx radicis trunco principaliori infixa mortem plantæ inducat. Sunt qui Fabarum putamina juxta radicem ſparſa, interitum arboribus pleriſque parere exiſtiment. Cæterùm arbores ſeu plantas occides, ſi terebrâ ſub diebus caniculæ ad medullam perforaveris, Petroleumque cum Sulphure, aut Argentum vivum injeceris: nam æſtu ſauciæ faciliùs pereunt: quamobrem & cortice circumſecto, vel ſerrâ circumcirca diviſo, ſimiliter ſub eodem tempore intereunt. Certum eſt enim, animam plantæ vel in cortice, vel in medulla contineri: hæc autem utraque, & in trunco, & in ramis, & in radice. Si etiam alias herbas vulneraveris magis ſylveſtres ac inutiles his temporibus, ſulphurque ac cinerem inſperſeris, ſimiliter morientur. *Idem.*

Ut Planta fiat Draconi ſimilis.

Lini ſemen radicibus Raphani immiſſum, & mox terræ optimæ ſtercoratæ mandatum, plantam Draconi ſimilem producit. Cujus guſtus acetum & ſalem præ ſe fert, & ob id mirè expetitur in acetariis. Nam eâ præſente nec aceto, nec ſale opus eſt: quemadmodum mihi retulit Regiorum hortorum Præfectus quidam. *Mizaldus.*

DE SECRETIS ARBORUM IN genere. CAP. II.

Arbores ut citò creſcant.

CIRCUM arbores, quas plantaveris, quotis menſibus, uſque dum trimæ erunt, fodere oportet, ſi voles ut citò creſcant. *Cato.*

Arbores ut reddantur fœcundæ.

Semina Roſæ, cum ſeminibus Sinapis & pede Muſtelæ, ſuſpenſa inter ramos infœcundæ & parum feracis arboris, illam mirum in modum recreare, ac fœcundare traduntur. *Mizaldus.*

Ut omnes Arbores fructus multò majores ſolito ferant.

Sumito bracteam antiquam, & æruginoſam, hancque in cornu Bovis effigiem conformato, ita ut, quâ in acumen deſinit, parvum foramen habeat. Ea ergo Bractea cùm intrinſecus muriâ lota fuerit, vel Mali, vel Pyri, vel Perſici, vel alterius fructûs ſemen immittito, ſed ita, ut ea pars ſeminis, quâ germinare incipit, ad foramen tendat. Deinde alteram bracteæ extremitatem ampliorem aliâ bracteâ optimè claudito, ne alia ex parte, quàm parvo foramine exhalare queat. Quibus factis, forinſecus quoque eadem muriâ irrigetur: deinde Septembri, vel Octobri plantetur, ut terra interim aliquo modo ferrum bracteæ exedere poſſit: cùm enim ſemina incluſa humiditatem percipere incipiunt, ac deinde ſatis humectata fuerint: foris emittunt germina & radices, hinc inde per bracteam repentes ac flectentes tamdiu, donec ipſam permeent. Quoniam radices naturâ duræ & acutæ hinc inde repentes pungunt, donec (adjuvante etiam terrâ, quæ exedendo perforat, attenuatque) foramina aliquot, per quæ radices erumpunt, effecerint. Germen autem creſcendo, & circumoberrando ſaporem muriæ, tum etiam colorem ferri in ſe recipit. Cæterùm cùm germina egredi coguntur, ſimul in unum coeant, & agglutinentur neceſſe eſt, & ex pluribus unum germen efficiatur maximum, & per conſequens fructus ſuos multò majores ſolitis proferat, quod viſu pulcherrimum erit. *Alexius.*

Ut Arbores feraces fiant meliores.

Amurcâ cum aqua mixtâ Arbores feraces circumfundito, & meliores fient. *Cato.*

De Arborum inſitione, quæ fit ſub cortice & in trunco.

Tres ſunt modi Inſitionis, & unus quidem ex eis propriè *Inſitio* appellatur: alter verò *Infoliatio:* tertius denique *Inoculatio.*

culatio. Arbores igitur craſſi corticis, & humiditatè refer, tas, quarum cortex multam humiditatem ex terra haurit- qualis eſt Ficus & Ceraſus, & Oleæ planta, juxta corti- cem inſerere convenit. Oportet autem ante inſitionem pa- xillum ex forti ligno præparatum habere, ut eum inter corticem & lignum paulatim demittamus, & ita infractus permaneat cortex. Hoc enim maximè obſervare neceſſe eſt, deinde ſenſim ablato paxillo, ſurculum ſtatim adhibe- re. Vocatur autem hic modus *Inſoliatio.* In arboribus ve- rò tenuis corticis, & ſiccis, nimirum quæ non in cortice, ſed intra medullam humiditatem habent, qualis eſt Citrus & Vitis, & quæcunque ejuſmodi, ipſam partem ſucculen- tam mediam findunt, & ſurculos immittunt. Appellatur- que hic modus *Inſitio.* In utriſque autem prædictis modis compendiariam Inſitionem facere oportet, ne ſurculus, qui inſerendus eſt, dilatione factâ, reſiccetur. Oportet autem ſurculos ex generoſis, & vigoroſis, ac fructuoſis arboribus, acutis falcibus auferre, idque à partibus Boream ſpectanti- bus, ſintque teneri, & leves, & denſis oculis, tria cacumi- na habentes, aut duo: ad fundum verò unimembres, ha- beantque craſſitudinem digiti parvi, & ſint duorum annorum: anniculi enim promtè quidem excurrunt, verùm ſunt infru- ctuoſi. Acuantur autem ſurculi acutâ falce ex una parte ad medullam uſque, quemadmodum ſcriptorium calamum exa- cuere ſolemus, cavendo tamen, ne medullæ imminutio contingat. Adhibere autem ſurculum oportet eâ figurâ, ut lignoſum quidem ad lignum, corticoſum verò ad corti- cem vergat. Sitque deraſus & exacutus ſurculus paris ma- gnitudinis ad fiſſuram, & cavitatem, in quam eſt immit- tendus. Sit igitur deraſus ad digitos duos. Poſt inſitionem verò nihil de ſurculo auferendum eſt, ſed ſinendum, quic- quid habet. Locus inſitionis dein luto infracto argilloſo in- tegatur. Fulva enim terra ad hanc rem inepta eſt, truncos quippe exurit. In tantùm verò utilis eſt Inſitio, ut etiam ſi quis ipſas plantas in ſe ipſas inſerat, habitiores, & præſtan- tiores fiant. Cæterùm ſurculi deſinente Lunâ accipiendi ſunt, decem aut pluribus diebus ante inſitionem, deponendique in vaſe cooperto, ac probè munito, ne perflentur & tranſ- pirent. Oportet enim ſurculos acceptos concluſos eſſe per aliquot dies, arbuſculam verò in quâ inſitio fit, jam ad germinationem feſtinare. Cauſam verò, ob quam non ſtatim, ut accepti ſunt ſurculi, ipſos inſerimus, diſcere

convenit. Si enim adhuc fervens, & tumidus ſurculus, ſtatim in id, quod eum ſuſcipiet, immittatur, hinc neceſſe eſt, antequam unitio fiat, parum quid de ſurculo marceſcere, & laxationem fieri inter immiſſum & ſuſcipiens lignum: & de cætero aër in locos intermedios cavos ingrediens, concretionem fieri non permittit. Si verò ad dies aliquot ſurculi in vaſe quopiam antea deponantur, tum in ipſo vaſe ſuſtinent, quod aliàs paſſuri erant poſt citam nimis inſitionem; & de cætero, ubi tardiùs inſiti ſunt, neque amplius laxatio fiet vinculorum, neque aër ingredietur, ſed citò & faciliter coaleſcent. Surculi præterea non Boreâ ſpirante inſerendi ſunt, ſed Auſtro. Atque illud prorſus manifeſtum eſt, quòd imber inſitioni quidem commodus eſt, Infoliationi autem inutilis. Noſſe item expedit, quòd poſt Æquinoctium autumnale, uſque ad Solſtitium hyemale, Inſitio ritè fieri poteſt: item poſt Favonii flatum, hoc eſt à ſeptima Februarii menſis die, uſque ad Solſtitium vernum. Quidam verò optimum tempus Inſitionis eſſe ajunt, ſtatim poſt Caniculæ ortum, & rurſus in æſtate poſt ſubcaniculares æſtus. At verò ſi ex longinqua aliqua diſtantia locorum afferantur ſurculi, portentur ſanè in vaſe aliquo in lutum infixi, ipſumque vas diligenter oblinatur, ne perflentur, & tranſpirent dum apportantur. *Florentinus.*

De Inſitione, quæ fit per Inoculationem, ſeu Emplaſtrationem.

Inoculatio ante Solſtitium æſtivum commodè, & oportunè perficitur. Ego verò etiam circa Æquinoctium vernum in die ſerena, cùm in principio germinationis eſſent arbores, inoculavi, & vehementer ſucceſſit res. Purganda eſt arbor, in quam Inoculatio fit, à ſobole, hoc eſt, propaginibus, & comâ, relictis perfectioribus & adultioribus ramis, in quos infoliaturus eris; deinde accipienda arboris fructuoſæ progenies, & anniculum germen, ex eoque oculus inſerendus juxta exactam ſcalpturam præparati trunci. Ipſum autem corticem purum exactè excoriare oportet: lignoſum verò integrum, & intactum ſinere, ac ſervare, hoc enim valdè neceſſarium habetur. Præſtat autem oculum, qui eſt in immittendo germine, in oculum, qui eſt in trunco, incidere. In ipſum enim poſitus omnino coaleſcit.

leſcit. Licet etiam citra oculum in alteram trunci partem in loco levi Infoliationem facere. Oportet autem & cortices utrorumque truncorum æqualis craſſitudinis eſſe. Factâ autem concretione, ſtatim quod ſupra commiſſuram eſt, reſcindo, ne in hoc ipſum alimentum edat, ſed in id, quod eſt coaptatum. At verò ubi ſurculi inſiti tria folia adepti fuerint, vincula diſſolùta auferantur. Ego verò ſæpenumerò non ipſum oculum ex anniculo germine acceptum ipſum per ſe ipſum infoliavi, ſed relicto oculo in ipſo germine illæſo, & parte retro oculum ſitâ corticem deraſi, & conſpicuâ ligni parte, quemadmodum in calamo ſcriptorio fieri ſolet, ſculptâ, ſic oculum cum parte ligni reſiduâ infoliavi, & generoſiorem ex hujuſmodi Inſitione arborem adeptus ſum. Cæterùm, ſi ſiniſtræ ramorum partes Inoculationem ſuſceperunt, duplum fructum producent. *Didymus.*

Ad transferendas & tranſplantandas Arbores.

Quod ad Arborum poſitionem attinet, raris intervallis ponendæ ſunt arbores, ac plantandæ: ut cùm creverint, ſpatium habeant, quo ramos extendant. Nam ſi ſpiſsè poſueris, nec infra ſerere quid poteris, nec ipſæ fructuoſæ erunt, niſi intervulſeris. Dum transferre volueris, antequam id aggrediaris, ſedulò tibi notandum erit, quibus ventis expoſitæ erant, ut ſimili ſitu illas componas, & implantes. Quod dum facis, in imum uſque ſcrobem ſarmentorum faſciculos craſſitudine brachii debes demittere, ita ut ſupra terram paululum extent. Nam æſtate parvo labore aquam radicibus per illos ſubminiſtrare poteris. Sed optimum erit medium, antè quàm plantare voles, ſcrobem fodere, ut terra Sole & pluviis opportunè maceretur, & quod poſitum eſt, citò comprehendat. Quòd ſi eodem anno & ſcrobem facere, & arbores ſerere voles, minimum ante menſes duos ſcrobem fodies, poſtea ſtramentis incenſis calefacies. Quem ſi latiorem patentioremque feceris, lætiores uberioresque fructus percipies. Scrobem verò clibano ſimilem aperies: cujus imum ſummo patentius ſit, ut latiùs radices vagentur, ac minus frigoris hyeme, minusque æſtate calidi vaporis per os anguſtum penetret. Generatim autem ſic arbuſculas, & arbores diſpones, ne imbecilla à valentiore prematur: quia nec viribus, nec magnitudine par eſſe poteſt, imparique temporis ſpatio adoleſcit. Porrò ſummè cavendum eſt, ne poſt rigidas tempeſtates, & violentas

cœli injurias, arbores ferro vulneres, & amputes, præſertim quæ fructiferæ ſunt. Cavendum præterea, ne una arbor alterius ſtillicidium quatiente vento excipiat, præſertim ſi diverſæ fuerint genere. Adhæc ne æſtate radices contra Solem nudentur, ut ab eo feriantur, & ne hominis manu cacumina duriter tractentur: aut à pecoribus prærodantur: nam in poſterum capere incrementum nequeunt, maximè ſi tenellæ fuerint. Arbuſculæ omnes priusquàm transferantur, rubricâ ſunt notandæ, ut cùm transponentur, eaſdem cœli partes aſpiciant, quas in ſuo ſeminario videbant: alioqui frigore, vel calore laborabunt ab his partibus, quas præter conſuetudinem, ſub alio tractu expoſitas habuerint. Erit ergo plaga cœli in translatis ſimilis retinenda, ne aquiloniæ partes Meridianis oppoſitæ Solibus findantur, aut algeant meridianæ aquilonibus obverſæ. Plerique arborem nec minorem bimâ, nec majorem trimâ transferri præcipiunt, cenſentque non negligendum ne radices morâ inareſcant: néve à Septentrionibus, aut ab ea parte cœli uſque ad exortum brumalem, vento flante, effodiantur arbores: aut iis ventis radices exponantur: nam ita emoriuntur, ignaris cauſæ agricolis. Proderit etiam quàm plurimùm terræ, in qua vixerint arbores, radicibus cohærere, ac totas ceſpite circumligari. Rigari debebunt, quoties cœleſtis imbris negabitur arroſio, & ingens æſtus perſeveraverit: nam ita majoris incrementi fructus dabunt, ac vegetiores, lætioresque evadunt. *Mizaldus ex Columella, Catone & Plinio.*

Ad inſtantem Arborum Rubiginem & Pruinam.

Si inſtanti & prævisæ Rubigini, ac Pruinæ obviam ire voles, paleas multas, ſi adſunt, aut horti, vel agri evulſas herbas, frutices, & ſpineta, pluribus locis combures: maximè quâ parte ventus ſpirabit: ita enim impendens malum averti ſcripſit *Diophanes*. Berytius in Græca Geoponicon Schola celebris, ubi illam in aëre congregari animadvertebat, Bovis cornu ſiniſtrum cum bubulo ſtercore illicò incendebat, & fumum multum per horti vel agri ambitum excitabat, ventoque opponebat. *Apulejus* fumum trium Cancrorum uſtorum cum bubulo vel caprino ſtercore, aut paleis, auxilium præſentiſſimum eſſe ſcripſit. Quòd ſi illa anticipaverit, rubigo inquam, damnum hoc modo reſarcies, ut tradit *Berytius*. Cucumerum ſylveſtrium, aut Colocynthidis radices, vel folia contunde, &

aquâ

aquâ macera: indeque à rubigine prehenſa vegetabilia ante Solis exortum irrora, ac reſperge. Idem aſſequeris ficulneo aut quercino cinere, aquæ infuſo, & quo dictum eſt modo, aſperſo. Proderit (eodem *Apulejo* teſte) ramos Lauri multos per hortum, vel agrum defigere, ac plantare: nam in illos, ſicuti & plurivariam obſervavi, rubiginis noxa omnis tranſit, & abit. Quæ frequentiſſima ſolet eſſe in roſcido tractu, convallibusque ac locis perflatum neſcientibus. *Mizaldus.*

Adversùs Carbunculum & Pruinam arborum.

Adversùs Carbunculum, qui Vitibus peculiaris eſſe ſolet, *Plinius* tres Cancros vivos cremari jubet, Vitibus aut arboribus appenſos. Græci contra Pruinam in horto, vel agris fabas intus & extra ſerunt. *Idem.*

Ad Arbores ægrotantes.

Quòd ſi ægra fuerit arbor quævis, illius radicibus affundi debet Amurca aquæ remiſta æqualiter: item ſummum præſidium eſſe ajunt, fecem Vini aut aquam Lupini decocti circumfundere, vel Lupinum ipſum circa radices ſerere. *Didymus & Plin.*

Ad Arbores emaciatas & languidas.

Si emaciata fuerit arbor, & languida, habitior fiet, ſi radices circumfoſſas, & item truncum, veteri urinâ humanâ, eaque virili, vel pecorum lotio, imbueris. *Paxamus.*

Ut Arbor ſtet illæſa.

Illæſam, & à vitiis arborariis immunem habebis Arborem quamvis, ſi Bubulo, Taurinóve felle radices illius perfuderis, aut Fabarum, vel aliorum leguminum paleis circumpoſitis, aceribúsve frumenti reſperſis, eaſdem radices veſtiveris & regeſtâ terrâ adjuveris. *Mizaldus.*

Adversùs Caniculæ æſtum, & ſiderationem.

Si Caniculæ æſtu fatigatur arbor, & ob id ſiderari periclitatur, trium fontium ſingulos ſextarios poſt ſolis occaſum radicibus jube influere: ſed ita, ne remedium Luna deprehendat. Vel herbam Symphoniacam, (quæ *Apulejo* eadem eſt cum Apollinari, & Hyoſcyamo) circa truncum arboris, coronæ modo intorque. Vel ex ea juxta imum caudicem cubile facito. Si fuerit ſiderata arbor, & veluti tabe ægrotans, unguento delibutam, quaſi reviviſcere obſervabis, ut ſcripſit Democritus. *Idem.*

Aves ne arborem impetant.

Arbor ab Alitibus non impetitur, quæ Alliorum faſciculum ſuſpenſum habet: aut falce putatoriâ Allio perlitâ, expurgata eſt. *Democritus.*

Ad Arbores infrugiferas.

Si florum largo proventu luxuriando Arbor nullum ferat fructum, querno, vel fagineo palo radicum foramini impacto, & terrâ occultato, velut inita fœcundabitur. Proſunt & fabaceæ paleæ trunco radicis circumjectæ, ut ſcripſit *Zoroaſter. Columella* arborem terebrare præcipit, & in foramen viridem Oleaſtri taleam demitti: nam ita arbor velut inita fœcundo ſemine fertilior evadet. *M. Cato* Amurcam æquis partibus cum Aqua remiſcendam cenſet, deinde arbori circumfundendam. Quæ ſi maxima erit, commiſti amphora una ſufficiet: ſi minor, pro ratione fundendum erit. Si arbores etiam feraces fuerint, hac miſcella meliores quoque fient. *Africanus* Portulacam & Tithymalum probè contuſa, & miſta, arborum truncis illinebat, ut fœcundiores adoleſcerent: hisque Columbinum fimum nonnunquam addebat. *Mizaldus.*

Ad Arbores habentes fructus defluos.

Arbores ſi veluti ægrotantes, fructum defluentem habebant, nec retinere poterant, *Sotion*, Græcorum hortulanus diligens & peritus, Lolium, quod zizaniorum nomine venit, cum radicibus evulſum in coronæ figuram efformabat, & arboris trunco circumdabat: vel marinos Cancros, Paguros nuncupatos, eidem circumligabat: aut plumbeâ eundem coronâ amplexabatur. Præterea radicem ablaqueabat, eamque perforabat, & cuneum ex Corno immittebat, terrâ circumaggeſtâ. Quidam nudatas radices aliquot craſſiores ac majores findunt, & fiſſuræ Silicis fragmentum immittunt; deinde ligant, & accumulatâ terrâ rurſus adobruunt. *Palladius* Rubricâ, aut Amurcâ inſulsâ, aquæ remiſtâ arborem illinit. Vel Cancrum fluvialem cum Rutæ ramo, aut Lupinorum faſciculum eidem ſuſpendit. *Idem.*

Ad Arbores, quæ deciduos flores vel folia habent.

Arboribus ſi Flores, aut Folia decidant, hunc in modum auxi-

auxiliaberis ex Quintiliorum Græcis Georgicis. Circumfossis radicibus, palearum fabearum, aquâ temperatarum, & maceratarum mensuram magnam magnæ arbori, parvam verò parvæ circumpones, & ita defluvio laborantem curabis. *Idem.*

Adversùs Vermes arborum.

Si à Vermibus infestabitur arbor, *Florentis* consilio sic illam defendes: Lemniam terram, quam sigillatam vocant, & Origanum cum aqua tere, eâque miscellâ radices illine, aut Scillam in circuitu planta. Si verò piceos paxillos circa arborem defixeris, tabescent vermes, ac decident. A quibus etiam Suillum stercus vino dilutum illæsam servabit, sicut scripsit in suis Græcis Georgicis *Didymus*, modò illud circa arborem frequenter injiciatur, quod etiam præstare potest Columbinum stercus, nudatis radicibus circumpositum. Adhæc Taurinum fel, iisdem frequenter ingestum: nam ita neque citò senescet arbor, neque vermes facilè producet. *Palladius* feces veteris Vini per triduum affundit. *Hæc ex Anton. Mizaldo. Auxilia verò contra arborum vitia lib. 6. alia videbis.*

Arbores ne à Jumentis lædantur.

Cancros & fortè etiam Gammaros, Salicibus suspensos, tum etiam aliis arboribus, jumenta ab illarum injuria arcere, pro constanti traditum est: id verò contingit partim formæ absurditate, partim odoris fœditate: nam jumenta odorem omnem animalis mortui, plerunque etiam viventis, si ejusdem speciei, refugiunt. *Cardanus.*

Ad Arbores necandas.

Arbores necare si volumus, Corticem in orbem detrahamus, cortice enim spoliata, interit omnis arbor, sed tardiùs & celeriùs: ut Tilia, & Robur ociùs, tardiùs autem infirmiores. Refert quoque quibus fiat anni temporibus: Martio & Februario statim emoriuntur: hyeme autem robustis arboribus diuturnior est interitus. At Subere corticem detrahere oportet, ne deterior fiat. Sic Pastinacæ marinæ radius omnium caudici præfixus occidit. Et menstruatus pannus radicibus admotus, præsertim Juglandi Nuci, ut placet Democrito. *Porta.*

Ad

Ad Arbores extirpandas.

In trajectam terebro arborem Puerile lotium, vel Cepa, vel cuneus myrtæus immittatur, præſertim dum floret: vel radici ablaqueatæ Dictamnus, Faba vel pannus menſtruo muliebri imbutus admoveatur: nam ita arbor tabidâ ariditate conficietur. Sunt qui in terebratam medullam Vivum Argentum injiciant. Sylvæ extirpandæ rationem Democritus prodidit, Lupini flore in ſucco Cicutæ uno die macerato, & radicibus ablaqueatis reſperſo.

Arbores necare.

Oleum commune radicibus fundatur: & peribunt brevi. Vel fac foramen uſque ad medietatem, ſeu medullam, in quo infundatur Argentum vivum & Oleum, & obturetur cerâ & cretâ, brevi temporis ſpatio ſiccabitur. *Fallopius.*

Arbores ne à Pecoribus lædantur.

Cancros, hoc eſt, Paguros fluviales, aut marinos, non pauciores quàm decem in aquam conjectos ad dies octo ſinito, & concluſos ſub dio exponito, ut ad dies decem inſolentur, & aquam hanc inſtillato ſuper ea, quæ illæſa manere velis, ad dies octo, & admiraberis efficaciam. Idem facit Caninum ſtercus urinâ putridiſſimâ mixtum, & circumſperſum. *Democritus.*

DE SECRETIS ARBORUM HORTENSIUM. CAP. III.

Adverſus Vermes arboris Mali.

MALUS omnium maximè vermiculationem ſentit, hoc eſt, vermium eroſionem. A quibus immunis erit, ſi Scilla circumpoſita fuerit. Quos ſi hæreditarios habuerit, felle Bubulo vel Suillo ſtercore miſto Humanæ urinæ, & radicibus affuſo extinguentur. Si verò negotium exhibere perrexerint, cortex æreo clavo, vel ſcalpro fodicandus, atque vellicandus, donec mucrone vermes tacti radantur, & deturbentur: ſed ulceratum locum Bubulo ſtercore obducere licebit. Porrò ſi generoſiſſimæ quæque Malorum plantulæ Taurino felle radicibus admoto, ita ſcrobibus imponantur, ut Cacumen tantùm ſuper terram extet,

à ver-

à vermibus immunes prorſus erunt, cum fructibus, qui inde naſcentur. *Mizaldus ex Palladio, & Anatolio.*

Ut Malus ſobolem proferat numeroſam.

Si fructum multum eam parere cupis, & ſobolem numeroſam proferre, ſectum plumbei tubi ſeu canalis os patulum, ſic ut circulum ducat, caudici altitudine pedis à terra circumducito: & cùm Mala cœperint adoleſcere, vel arbor ipſa floreſcere, torquem illum, & circulum eximito: idque quotannis facito, ut fœcunditatem arbor concipiat. *Mizaldus.*

Ne Pomifera Arbor rumpatur pondere gravata.

Quia Pomiferis arboribus, uti etiam aliis, frequenter uſu evenire ſolet, ut degravatæ fœtuum pondere, laborare videantur, adeò ut nonnunquam rumpantur incurvati rami, furcis ſuppoſitis oneri portando impares fulciendæ erunt. *Idem.*

Ad Mala caduca.

Si caduca fuerint Mala, fiſſæ radici lapis impactus illa retinebit.

Ad Pyros ſteriles.

Si ſterilis fuerit Pyrus & languida, fœcundabitur eo artificio, quod ſuperiùs expreſſimus. Plerique ubi adoleverit arbuſcula, altè ſolent ablaqueare, & juxta radicem truncum findere, ac fiſſuræ cuneum Tedæ pineæ, aut ex Fago, vel Quercu adigere, atque ita obruere. *Idem.*

Ne lapidoſos fructus pariat Pyrus.

Si lapidoſos fructus emittit Pyrus, jubet *Quintilius* agricultura arborem ad imas uſque radices retegi, & quicquid lapidoſum invenitur, ſecerni ac excludi: alterâ terrâ cribro excretâ, alterius loco ſuffuſâ, & addito ſtercore repoſitâ, quod ſummè proderit, ſi rigare non ceſſaveris. *Idem.*

Ut Pyrus copioſum & dulcem ferat fructum.

Si dulciora & copioſiora Pyra arborem tibi exhibere voles, trunco proximè radicem terebrato, cuneum ex Fago, vel Quercu, ut ſcripſit *Diophanes*, defiges, aut Vini fecem nudatis radicibus inſtillabis.

Reme-

Remedium ægrotantis Pyri in flore aut à Vermibus infeſtatæ.

Si dum floret ægrotabit Pyrus, curabis fece Vini veteris affuſâ radicibus ablaqueatis per triduum: regeſtatum demum terra. Si à Vermibus infeſtentur arbor & fructus, radicibus felle Bubulo, vel Taurino frequenter imbutis & perunctis morientur omnes, ac in poſterum gigni prohibebuntur. *Mizaldus.*

Remedium pro ægra aut ſterili arbore Cotonei, vel aliter laborante.

Si ægra fuerit arbor Cotoneorum, Amurca æqualiter aquæ remiſſa, radicibus affundatur. Aut Calx Viva cum creta & aqua temperetur, arboriſque trunco illinatur. Si ſterilis fuerit, infœcunda, vermiculoſa, aut aliter laborans, recurre ad ea, quæ ſuperiùs tam generali, quàm particulari ſecreto ſcripſimus.

Pruni languidæ, & minus feracis remedium.

Si languida fuerit Prunus, & minus ferax, Amurca æqualiter cum aqua temperata radicibus infundi debet. Vel Bubulum lotium ſolum, aut Humanum, idque vetus, miſtum æquis partibus aquæ. Vel cineres è furno, maximè ſarmentorum. *Palladius.*

Adversùs vermes Prunum infeſtantes.

Prunus ſi à Vermibus vel Formicis infeſtatur, Rubricâ & Pice liquidâ illini debet.

Ceraſi putreſcentis remedium.

Quòd ſi humore nimio concepto putreſcere obſervabitur, foramen in trunco excavari debet, quo ille poſſit educi. Si Formicas patitur, ſuccum Portulacæ licebit affundere, cum Aceti media parte miſtum: aut fecibus Vini truncum florentis arboris illinere. *Pallad.*

Ceraſa ut fiant præcocia.

Præcoces fructus dabit, ſi ante florum exortum Calx viva radicibus circumponatur, aut aqua calida ſæpiùs infundatur: ſed poſtea parvo temporis tractu inareſcit.

Ceraſus ut Uvas ferat.

Si quis Ceraſo nigram Vitem inſerat, verno tempore uvas proferet. *Florentinus.*

Morus

Morus ut fiat feracior, & candidos ferat fructus.

Nonnulli ſcripſerunt arborem Mori feraciorem & proceriorem fieri, ſi forato prorſus trunco, cunei inſerantur Terebinthi hinc inde, vel Lentiſci. Eadem ſi Populo albæ inſeratur, vel inoculetur, candida mora proferet. *Berytius.*

Perſica Malus, ut lætior evadat.

Habitu multò lætior evadet, ſi ſimul atque poma Perſica ederimus, illorum oſſa ponamus, & conſeramus, carnis parte aliquâ in eis relictâ. *Florent.*

Languidæ & tabeſcentis Perſicæ remedium.

Perſica ſi languida videbitur, veteris Vini feces aquæ miſtas oportebit infundere: & frequenti aggeſtione cumulare, veſpertinoque humore juvare, ac objectis umbraculis defendere, ſi ardore Solis ſiccata contabeſcat. In quam rem etiam proderit ſerpentis ſpolium appendere. Si Vermibus infeſtatur, cinere Amurcæ miſto extinguentur: vel Bovis urina cum Aceti tertia parte confuſa. Si à Pruinis periclitatur, ſtercus illi ingeratur, vel Vini feces cum aqua permiſtæ. Vel quod magis prodeſt, aqua, in qua Faba fuerit incocta. Contra vitia omnia proſpicit Spartum alligatum: vel ſuſpenſa ramis ſpartea. *Mizaldus.*

Ne caduca & deflua ſint Perſica.

Si caduca & deflua fuerint Perſica, nudatis radicibus cunei lentiſci vel terebinthi adigantur: aut arbori terebratæ in medio talea ſalicis imprimatur. *Idem.*

Ut è Perſico, & Nuciperſico Malum componas.

E Perſico & Nuciperſico Malum componere benè per Inſitionem poteris, quam *Emplaſtrationem* vocant agricolæ, ut ſi è Perſico, & Nuciperſico ramos abſtuleris novellos feraces, & qui adoleſcendi, magnumque germinandi præſagium dabunt, ipſis duobus digitis circumſignatis, gemmæ ut in medio collocentur, ſic cortices acuto ſcalpro à ligno leniter, ne lædantur, evellas: has per medium findito, ut ſimul compactæ ritè coaleſcant, & cicatricis locus non appareat, ſed gemma una videatur, alterutrum inſerere ex ea arboris parte, quæ maximè nitida, ac præcipuè hilaris conſpicitur, reliquis amputatis, ne alimentum ſurripiant,

piant, ut omne inſito ſerviat: corticem aperi, ne ligno ferrum inferat plagam, ac circumcidito ejuſdem gemmæ quantitates, ac ita gemmam aptato, ut circumciſæ parti par ſit: circa eam vincito, ne lædas: ac luto munire plagam oportet, ſupra aliquid imponendo, ne pluvia dilabatur, ſic germinabit, & ſobolem dabit mediam retinens ab utroque genitore naturam, quam nunquam arbores peperêre: erit enim Malum perſicum, & Nuciperſicum æmula facilè repræſentans. Sic Mala Punica ex uno dulcia, ex alio latere acida videntur. Et Mala Pyris odoratis comprehendi jubet *Diophanes* & ea *Mirapidia* nominari. Et Mala cotoneis miſceri obſervantur, & pulcherrima eveniunt Mala, apud Athenienſes *Melimela* vocata, ut *Diophanes* quoque ſcriptum reliquit. Et invicem diverſis generibus commixta, Citromala Limonibus, & Medica mala cum Acidis, ſic ſemiacida, & ſemidulcia. Perſicum ex ſanguineo, & albo ſic mellita mala, & reliqua multivario proventu éveniſſe conſtat. *Joan. Bapt. Porta.*

Amygdalo-perſicum.

Exoritur ſumma quoque cum diligentia Malum, quod foris Perſicum æmulabitur, intus verò dulcem mentitur Amygdalam, quod rectè nominare poſſumus Amygdaloperſicum. E Perſico arbore decerpas ſurculum, quem ſi dulci Amygdalæ inſerueris, inde enatum germen, denuò inſerueris alteri, idque ter, quatérve effeceris, Malum dabit intus dulcem nucleum continens, pleraque poterit ingenioſus artifex componere: mihi viam oſtendiſſe ſufficiat. *Idem.*

Meſpilus quomodo à Vermibus ſit expurganda.

Vermibus in ſenecta crebrò infeſtatur Meſpili arbor: qui prægrandes, & majores, quàm in cæteris arboribus diverſis cernuntur: purgandi æreo ſtylo, atque Amurcâ, vel Humanâ urinâ veteri, aut vivâ Calce perfundendi, ſed parciùs, propter arboris noxam. In quam rem plurimùm etiam proderit decocti Lupini aqua. *Mizaldus ex Palladio.*

Ne labantur poma Meſpili & moleſtæ ſint Formicæ.

Si labuntur poma Meſpili, fruſtum de ejus radice præciſum in media trunci parte figatur. Si moleſtæ ſunt Formicæ,

micæ, Rubricâ cum Aceto, & Cinere temperatâ necabuntur. *Idem.*

Quomodo nuciferæ arbori, quæ ætatem tulit, ſuccurratur.

Quòd ſi Nuciferæ arbori, quæ ætatem tulit, voles ſuccurrere, eamque fertiliorem reddere, lixivio per annum continuum ter in menſe rigabis. *Idem.*

Quomodo ex amaris dulces fiant Amygdalæ.

Theophraſtus tradit, & poſt illum *Plinius*, ex amaris dulces fieri amygdalas, ſi ſtipite circumfoſſo, & ab ima parte perforato, defluens undique pituita detergatur. Quod *Africanus* in ſuis Georgicis Græcis etiam monuiſſe videtur, hunc in modum ſcribens: Ex amaris dulces fient Amygdalæ, ſi circumfoſſo ſtipite quatuor digitis à radice cavernula imprimatur, per quam lachryma quotannis effluat, donec dulceſcat fructus.

Ut fructum copioſum ferat Amygdalus.

Quòd ſi Amygdalus perſeveraverit folia ferre, fructum verò nullum dare, partem trunci juxta terram forato, vel potiùs radicem, & pinguis tedæ cuneum in foramen transfigito, Humanaque urinâ affuſâ obruito: aut ſilicem ſic inſere, ut libro tegendo claudatur. Item copioſorem fructum dabit, ſi ferreus palus arbori adigatur, impreſſoque foramini querneus inſeratur paxillus. *Mizaldus ex Palladio & Theophraſto.*

Adversùs pruinam Amygdali.

Ubi à pruina metus erit, antequam floreat Amygdalus, radices nudentur, & albi lapides minutiſſimi, arenis remiſti congerantur: atque ubi jam tempus videbitur, ut debeat germinare, effoſſi ſubmoveantur. *Idem.*

Ficus ne fructus amittat.

Arietis cornua circa radices obturentur. Vel truncus ipſius arboris, quâ parte turget, ſcarificabitur, ut poſſit humor effluere. *Idem.*

Adversùs vermes Ficuum.

Si vermibus laboraverit Ficus, ramum Terebinthi, vel Lentiſci taleam cum plantis Fici, cacumine inverſo ponemus. Perdentur verò Calce vivâ radicibus inſperſâ, vel in

cavas trunci partes miſſa. Sunt qui æreis uncinis illos tollant. Alii Amurcam, alii veterem Urinam ablaqueatis radicibus miſcent; vel etiam Bitumen & Oleum. *Idem.*

Fici ut groſſos teneant.

Fici ut groſſos teneant, facito omnia quo modo in Oleâ dicetur, & hoc amplius: cùm ver appetet, terram adaggerato benè, & groſſi non cadent, & Fici ſcabræ non fient, & multò feraciores erunt. *Cato.*

Olea ut fructum ferat.

Oleam ſi fructum non feret, ablaqueato. Poſtea ſtramentum circumponito. Ad hæc Amurcam cum aqua commiſceto æquis partibus. Deinde ad Oleam circumfodito, ad arborem maximam urna commixti ſat eſt. Ad minores arbores pro ratione indito. Et idem hoc ſi facies ad arbores feraces, eæ quoque meliores fient. Ad eas ſtramenta ne addideris. *M. Cato.*

DE SECRETIS ARBORUM Sylveſtrium. CAP. IV.

Ad Arbores ſylveſtres extirpandas.

LUPINI florem in ſucco Cicutæ uno die macerato, & ablaqueatis radicibus reſpergito. Vel ſub diebus caniculæ illas ad medullam perforato, & Petroleum cum Sulphure injicito. *Democrit. & Plin.*

DE SECRETIS FRUTICUM. CAP. V.

De Vitium inſitione.

QUI Vitem inſerere velit, craſſum truncum deligat, qui unum atque alterum ſarmentum ſuſcipere queat. Quidam in terra inſerunt, ad ſemipedis altitudinem deſcendentes, & ferè in Vitis fundo inſitionem faciunt. Quidam in planicie inſerunt, id quod optimum exiſtit. Quod verò in alto inſerunt, difficulter coaleſcit, à ventis agitatum. Si autem neceſſitas cogat in alto Inſitionem facere, propter levitatem exiſtentem in profundo, præparatum palum habeto, cui alliges, quod in alto inſitum eſt, propter ventos. Quidam etiam in hume-

ros

ros trunci inſitionem faciunt. Quòd ſi in Ceraſum Vitem inſeras, valdè præcoces Uvas habebis. Quo tempore enim Ceraſus proprium fructum ferre ſolet, eodem & Uvas dabit, hoc eſt Vere. Tempus Inſitionis Ver eſt, glacie jam ceſſante, quando dum inciditur Vitis, humorem neque multum, neque aquoſum, ſed craſſum & glutinoſum remittit. Sarmenta ad Inſitionem accipienda ſunt rotunda, ſolida, denſis oculis, maximè è brachiis. Sufficiunt autem ſarmento oculi duo, aut tres. Si verò terra obruatur, tres aut quatuor. Cæterùm ab uno ſarmento plures quàm duos ſurculos ſecare ad Inſitionem non convenit. Quod enim poſt primos ſeptem oculos ſupereſt, ſterile & inutile exiſtit. At verò firmiùs coaleſcent nova ſarmenta periſyni ſarmenti partem habentia. Neque verò ſtatim, ut ablata ſunt à Vite ſarmenta, inſeremus, ſed poſt ſectionem obtectâ plagâ, in dolio deponemus, ne tranſpirent priuſquam tamen germen fundere incipiant, & dum adhuc clauſa ſint, inſeremus. Quæ igitur ad terram ad ipſum Vitis fundum inſerimus, firmiùs utique inſerentur, elevatâ ſimul terrâ ad ipſorum enutritionem, verùm fructum tardiorem reddent, velut alia in terra plantata ſarmenta. Quæ verò in altiore parte inſita ſunt, difficulter coaleſcent à ventis conquaſſata: citiùs tamen fructum producent. Oportet autem ea, quæ in alto inſeruntur, eſſe levia & plana, craſſitudine pollicari: aſpretudinem verò à ſerra, acutâ falce lævigare expedit. Porrò ſarmentum, quod inſerendum eſt, ad duorum & dimidii digiti longitudinem ex una parte detrahere oportet, quemadmodum videmus ſculptos, & formatos calamos, cum quibus ſcribimus, ita ut ex una parte medulla appareat illæſa, ex altera verò ipſe cortex. Deponendum eſt autem ſarmentum totum, quatenus deraſum eſt, ne, quod inter truncum & ſarmentum medium eſt, hiet, explendumque Calce, aut Argillâ. Prohibebitur enim ita ut humor effluat, & is, qui in ipſo eſt humor, cuſtodietur. Cæterùm pars trunci, quæ ad plagam ſpectat, vinculo liganda eſt, ſimplici quidem, ſed infracto, deinde luto glutinoſo illinenda. Quidam etiam Bubulum ſtercus ad lutum admiſcent. Quæ igitur hoc modo inſita ſunt, eorum vinculum aquâ per ſpongiam irrigamus, ſub crepuſculum veſpertinum in æſtatis maximè vigore. Ubi autem jam germinans quatuor digitorum fuerit, ridicam juxta defigere oportet,

tet, & alligare, ut à ventis ſit immunis. Quum verò germen auctum fuerit, vinculum falce diſſecare convenit, ut à coarctatione liberetur, & humor ex trunco in ſarmentum diſtribuatur. At verò Lunâ deficiente ſarmenta decidere oportet ad inſitionem. Ita enim robuſtiora erunt. Quidam non ſolùm Vere, ſed & poſt Vindemiam Inſitionem faciunt. Tunc enim Vitis intenſiorem impetum & concitatiorem habet. *Florentinus.*

De Inſitione per terebrationem.

Optima mihi eſſe videtur Inſitio per terebrationem. Neque enim Vitis, in qua Inſitio fit, interim ocioſa manet, ſed ſimiliter fert fructum: & ſarmentum coalitum ſimul augeſcit, Vite nihil offenſâ ex terebratione, neque compreſſâ ex coarctatione. Fit Inſitio per terebrationem hoc modo: Truncum Vitis terebrâ, gallica appellatâ, perforato & præſtantioris in proximo ſitæ Vitis ramum attractum in foramen immittito, non ab antiqua matre deciſum. Sic enim ſarmentum vivet, tum à veteri parente nutritum, tum Viti, quæ ipſum ſuſcepit, coalitum & concretum. Intra duorum verò annorum ſpatium unietur. Tunc igitur poſt cicatricem inductam, ſarmentum decidere oportet, quod adhuc ex veteri matre detinetur, & truncum Vitis, in quam Inſitio facta eſt, quantum ſupra terebrationem extat, ſerrâ deſecare. Et de cætero ſarmentum inſitum principalis Vitis pars exiſtet.

Ut idem Racemus diverſos habeat acinos, hoc eſt, ſingulares uvas, alios albos, alios nigros, aut fulvos.

Accipienda ſunt duo differentia diverſi generis ſarmenta, eaque findenda per medium, cum animadverſione, ne in oculos fiſſura perveniat, neque quicquam de medulla excidat, atque ita alteri alterum jungere oportet, & adglutinare ut oculi coincidant, & quantum poſſibile eſt ſe mutuò contingant, & duo oculi quaſi unus fiat. Inde verò validè conſtringere ſarmenta cum papyro oportet, & argillâ integere, aut glutinoſiſſimâ terrâ, atque ita plantare, & interjectis diebus tribus, aut quinque irrigare, uſque quò germen producant. *Didymus.*

Vitis ut ſerotinas uvas proferat.

Racemos qui primùm enati fuerint auferre oportet, rurſus

ſus enim alii pro ipſis naſcentur. Inſuper & plantæ multam curam habeto, iterumque racemos producet, hi verò maturi facti ſerotini erunt. Eos itaque racemos in vaſa fictilia infernè perforata imponito, & ſupernam partem diligenter contegito, ipſaque vaſa ad Vitem alligato, quò à ventis immota permaneant. *Tarentinus.*

Uva ut abſque vinaceis generetur.

Uvam abſque vinaceis quidam ſic faciunt: Sarmenti quod plantaturi ſunt tantam partem, quantam terrâ adoperire oportet, leviter ex æquo findunt, & auriſcalpro medullam omnem eximunt; deinde papyro humida obligatum ſarmentum deponunt. Præſtabilius tamen fuerit, totam ſarmenti partem, quæ in terram deponitur, Scillæ inſertam deponere. Scilla enim tum ad naſcendum, tum ad uniendum conducit. Alii ipſas vites jam fructiferas incidunt & ſarmenti fructiferi medullam auriſcalpro eradunt, quantum fieri poſſibile eſt, eam ex alto eximentes, ſarmento non fiſſo, velut eſt indicatum, ſed integro dimiſſo, & Laſeris Cyrenaici ſuccum aquâ diſſolutum, ad ſapæ ſpiſſitudinem coctum, infundunt, & erecta ſarmenta ad radices alligant, ne videlicet ſuccus effluere poſſit. Singulis autem deinde octonis diebus ſuccum eundem ſarmento infundunt, donec germen emittat. Idem facies & in Punica Malo, ac Ceraſo, ſiquidem & harum poma abſque granis ac nucleis naſci velis. *Democritus.*

De Vite Theriaca, & purgatoria.

Quòd ad multa conferat Vitis Theriaca manifeſtum eſt, & maximè ad Serpentium plagas. Modum autem quo paratur nunc dicemus. Ramuli Vitis, quem plantare volumus, inferiorem partem findimus ad trium aut quatuor digitorum menſuram, & exemtâ medullâ, Theriacam antidotum in ipſum ſarmentum indimus, deinde papyro obvolutam fiſſam partem plantamus. Qui diligentiores circa hanc parandam haberi volunt, etiam in radices antidotum diffundunt. Similiter autem & purgatoriam Vitem eodem modo faciemus. Veratrum videlicet in fiſſum ſarmentum ſubdentes. Verùm noſſe oportet, quòd ſarmentum à Theriaca Vite ad plantandum acceptum, non eandem vim habet. Elangueſcit enim tranſplantatum, aut translatum & inſitum, nimirum antidoto per tempus tran-

ſpirante. Quapropter convenit antidotum opportunè radicibus illinire. *Florentinus in ſuis Georgicis.*

Ut Vitis pedunculos aut Erucas non acquirat, neque à glacie affligatur.

Urſino adipe corticem illinito & vitis pedunculos non producet: aut adipe Urſino falces ungito, nemine ſciente, quibus videlicet vitem putaturus es, & neque pedunculi, neque glacies vitem injuriâ afficient. Aut falces oleo, in quo Allium contritum ſit, illinito. Si verò Erucas, quæ in Roſis reperiuntur, in oleo coxeris, & inde falces illeveris, neque ab alio animalculo, neque à pruina Vitis injuriam perpetietur. Aut adipe Hircino, aut ſanguine Ranarum falces ungito. Aut coticulâ cinere cum oleo prælitâ falces acuito. Vitis ſarmenta uſta, & vitis lachrymâ permixta, cum vino in mediam vineam deponito, & Vermes non enaſcentur. *Aphricanus.*

Vites, ut neque à pruina, neque à rubigine lædantur.

Stercus aridum per diverſa ſpatia in vinea deponito, ſecundùm vineti ventum: & ubi incumbentem Pruinam videris, ſtercus ſuccendito. Fumus inde elatus pruinam diſpergit. Quæ verò facilè à pruina aduruntur Vites, tardiùs putare oportet, quum ad germen fundendum concitantur. Sic enim tardiùs effloreſcent. Quemadmodum igitur & Hippuris Vitis credita eſt pruinam minùs curare, quòd ut opinor, tardè germinat calido jam Sole exiſtente. Quidam Fabam in vineta ſeminant, & vites à Pruina illæſas futuras credunt. *Diophanes.*

Adversùs pruinam Vitium, Ejuſdem.

Si contigerit Vites à Pruina lædi, & manifeſtum eſt fructum periiſſe, incidendæ ſunt, & valdè breviter præſecandæ, ut vis earum permaneat. Nam & ſequenti anno priorem fructum reddet. Quidam experientiâ in Bithynia edocti affirmant, quòd ubi ſuſpecta fuerit Pruina, conveniet Myricæ quidem maximè, aut ſi haberi non poſſit, cujuscunque tandem ligni cinerem in Vinea diventilare. Sic enim inſidens oculis Vitis cinis illabentem pruinam depellit.

Adversùs Rubiginem Vitium.

Simul ut videris Rubiginem in aëre congregari, ſtatim

Bovis

Bovis cornu ſiniſtrum unà cum Bubulo ſtercore urito, & fumum multum per ambitum arvi, ſecundùm ventum facito, quò ventus omnem fumum ad rubiginem ferat. Diſperget enim omne aëris vitium fumus. *Apulejus* tradit trium Cancrorum uſtorum cum bubulo ſtercore aut paleis, aut ſtercore caprino, fumum ſufficienter juvare. *Berytius.*

Ad Vites ſteriles.

Truncum ſcalpro, aut ſerrâ, aut quod melius eſt, cuneo quercino findito, & lapidem in fiſſura indito, ut partes trunci ab invicem diſparentur, & in ipſum urinam humanam veterem infundito, ad menſuram heminarum quatuor, ita ut eam ſenſim omni trunco circumfundas, ſic etiam radices inde perfuſæ in integrum reſtituentur. Deinde injice ſtercus terrâ mixtum. Oportet tamen eos, qui lapidem in truncum imponunt, defodere, & verrere ea, quæ ſunt circa radicem. Hanc verò curam Autumno facere oportunum eſt. *Democritus.*

Ad Vites ſideratas.

Sideratas vites cognoſces quidem ex eo quòd folia valdè ſubrubra habent. Curabis autem, ſi terebro truncum valdè perforaveris, & per foramen quernum paxillum indideris, aut ſi parum de radice abruperis, ſimiliterque palum intruſeris, & terram circumaggeſſeris. Atque ſic ſanè vitem curabis. Alii autem hujuſmodi Vites marinâ aquâ rigant: alii & has, & quæ à quocunque inſtrumento percuſſæ ſunt, Oleo cum Bitumine cocto oblinunt. Alii velut in Bithynia experimento deprehenderunt, quomodo ſideratis ſit ſubveniendum, clavo nimirum truncos penetrant. Alii verò urinam humanam trunco, & radicibus affundunt. *Caſſianus.*

Ad Vites ægrotantes.

Ægrotantem Vitem cinere ſarmentitio, aut quercino cum aceto mixto ad truncum conſperſo, curabis. Valdè prodeſt & Urina hominis radicibus affuſa. Quidam verò ægrotas Vites exſcindunt juxta terram, deinde leviter obruunt terrâ adjacente, modico ſtercore ipſi admixto, & quum turiones egerminaverint, debiles quidem extirpant, generoſos verò ſumunt, & rurſus ſequenti anno commodiorem ex relictis eligentes, reliquas tollunt. *Demageron.*

Ad Vites lachrymantes.

Vites multam lachrymam emittentes, quantum vix credi

par eſt, & in totum corpus Vitis non diſtributum abjiciunt. Falce igitur truncum incidemus, & exulcerabimus, ſinu videlicet in ipſo facto. Si verò nihil profuerit hoc factum, etiam radicum craſſitudinem exſculpemus, aut aliquo modo ulcerabimus, & Amurcâ ad medietatem coctâ, ac perfrigeratâ plagas illinemus, ſubjectum verò cæſuræ oculum foris inungemus, quod multò melius eſſe experimento conſtat. *Sotion.*

Ad Vites defluas, quas Rhyadas Græci appellant.

Vites Rhyadas, quæ latinis defluæ ſive fluxæ vocari poſſunt, ex foliis cognoſces ſubalbidis & ſubarefactis, ſed & ſarmentum latum, & inſtar lori tractile, ac molle habent. Medeberis igitur cinere Aceto acerrimo ſubacto illinens ſtirpes, & irrorans, quæ in ambitu ſunt trunci. Ipſæ etiam vites cinere liquido facto reſpergendæ ſunt. Quidam verò marinam aquam radicibus affundunt. Alii racemorum ſummas partes auferre, & impedire ſtudio habent. Vocatæ autem ſunt Rhyades fructum non continentes, à defluxu. *Idem.*

Ad Vites fructum putrefacientes.

Sunt quædam Vites, quæ fructum recens productum putrefaciunt, priuſquam racemi connutriantur, & matureſcant. Talibus igitur medeberis Portulacæ folio. Alii autem Polentam Portulacæ folio admixtam trunco circumlinunt. Alii Portulacâ dimidiam racemi partem illinunt. Quidam cineris veteris heminas quatuor radicibus injiciunt, aut etiam arenam. *Varro.*

Ad præſciendum, utrum Vini ubertas, & bonitas, aut contrà pravitas futura ſit.

Acinum, hoc eſt, uvam particularem de racemo leniter per digitos detrahito. Siquidem igitur quiddam exilierit. ubertatem oſtendit. Quidam ſi multum fermentum provenit, etiam liquidum fructum abundaturum pollicentur. Cæterùm vinum bonum & potens futurum conjectamus, ſi per vernum tempus imbres plures fiant. Idem futurum indicant imbres oborti quum Ervi magnitudinem Uva habet & adhuc acerba exiſtit. At verò quæ ad ipſum vindemiæ tempus oboritur pluvia, non ſolùm aquoſum, ſed & depravatum vinum ac vappam faciet. *Democritus.*

DE

DE SECRETIS RADICUM.

CAP. VI.

Rapæ ut maximæ fiant.

RAPÆ maximæ evadunt, ſi profunditate digiti germen eruatur, inde ſulcis rariores obruantur, atque terrâ injectâ calcabis. *Cardanus.*

Raphanus ut dulceſcat.

Si Raphanos dulces habere cupis, ſemina mulſo, vel paſſarum Uvarum ſucco, aut ſaccharatâ aquâ biduo præmacerare debes, & ſiccata terræ committere. *Florentinus.*

Raphani ut majores fiant.

Si Raphanos majores fieri peroptas, ſublatis foliis omnibus, ſolo caule tenui demiſſo, terrâ ſæpè operies. *Pallad.*

Ad agreſtes Pulices Raphanos infeſtantes.

Quia ab agreſtibus Pulicibus infeſtantur plurimùm Raphani, ne illis noceant, remedium eſt, Ervum interſerere. *Theophraſtus.*

Allium ut dulceſcat.

Allia dulciora fient, ſi in plantando Olivarum nuclei illis commiſceantur, & conſerantur: aut fractæ leniter Spicæ, terræ tradantur: vel in pangendo, Olearum fraces adhibeantur. *Sotion.*

Allium ut odoris virus deponat.

Si Allia terræ committantur, & ex eadem eruantur, Lunâ ſub horizonte latente, virus odoris exuent, & mandentium halitum nullo modo vitiabunt. *Sotion & Palladius.*

Tædium halitûs è manducatis Alliis conciliatum quomodo aboleatur.

Tædium halitûs à manducatis Alliis conciliatum, abolebitur, ſi cruda faba illis ſuperedatur. Alii Betæ radicem prunis toſtam ſupermanducant. *Didymus.*

Porrum ut ad prodigium usque excreſcat.

Si Porri caput acutâ arundine, vel ligneo ſtylo pupugeris, & Raporum, vel Cucumerum ſemen in foramine oc-

cultaveris, adeò intumeſcet Porri caput, ut prodigium videatur. *Mizaldus.*

Ad tetrum Porrorum odorem.

Qui Cuminum præguſtaverit, fœdum & tetrum Porrorum odorem nunquam exhalabit, etiamſi largâ manu Porrum ipſum manducaverit: nam ejus eſu gravis halitus extinguitur. *Sotion.*

Mandragoram fingere.

Factitiam illam, quæ ſæpè mulierculis ab impoſtoribus, & circulatoribus venditur, Bryoniæ radicem habeto ingentem, acutaque ſcalpri acie fœminam vel virum effingito, adjectis genitalibus, cùm abſolutam noveris, inguina, vel pilorum loca ſtylo perforato, ibi Milium, vel aliud condito, quod radiculas projiciens, pilos imitetur, brevique effoſſâ ſcrobe, tamdiu ibi ſinito, quamdiu & cortice quadam fuerit induta, & radiculas projecerit illa. *Joan. Baptiſta Porta.*

DE SECRETIS HERBARUM in genere. CAP. VII.

Herbæ ut à Pulicibus non corrodantur.

OLERA à Pulicibus non corrodentur, ſi ſeminibus ipſorum parum Ervi in ſeminando admiſcueris. Hæc verò vel maximè Raphanis & Rapis conveniens exiſtit. Alii magis naturali auxilio utuntur, Erucam ſimul ſerentes, aut plantantes, & præſertim cum Braſſicis. Hæ enim magis à Pulicibus infeſtantur. *Anatolius.*

Adversùs herbarum Erucas.

Cinerem vitigineum per triduum in aquam mittito, & olera inde aſpergito. Aut Bitumine & Sulphure vivo olera ſuffumigato. Similiter non erunt Erucæ, ſi ſemen in lixivium cineris ficulnei miſſum maceraveris, & ita ſeminaveris. Cæterùm Erucæ, quæ jam ſunt, perdentur Urinâ, & Amurcâ ex æquo mixtis, & igne fervefactis, deinde refrigeratis, & ſic oleribus adſperſis. Si verò etiam alterius horti Erucas acceperis, & in aqua cum Anetho coxeris, & refrigeratam aquam oleribus irroraveris, præſentes Erucas perdes. *Anatolius.*

Ad

Ad Herbas juvandas.

Omnia olera in univerſum juvantur, ſi Eruca juxta ipſa conſeratur. *Fronton.*

Ad Olera diſperdenda.

Anſerum ſtercus muriâ diſſolutum, oleribus aſpergito, Eſt enim Anſerum ſtercus oleribus nocivum. *Idem.*

DE SECRETIS HERBARUM in genere. CAP. IIX.

Lactuca ut lata fiat.

IN latitudinem ſeſe diffundet, ſi vel rarior pangatur, vel cùm caulem faciet, eo leniter inciſo, glebâ, aut teſtâ prematur, quò minùs in ſcapum erumpat. Nam eo ponduſculo velut coercita, cùm non poſſit in altum ſurgere, in latum perreptare, effundiqúe cogitur. *Mizaldus, Florent. & Columella.*

Lactuca ut fiat candida, & ſpecioſa.

Si Lactucas bonâ ſpecie velis habere, duobus diebus antea, quàm es ablaturus, comas ipſarum, hoc eſt, ſupernam partem ligato. Sic enim albæ & ſpecioſæ erunt. Inalbat ipſas etiam arena ſupernè infuſa. *Florentinus.*

Lactuca ut ſeſſilis ſeu pomata fiat.

Seſſilem facies, quæ in caulem pomat, ſed convolutis foliis in globum extuberet, vel in orbem circumagatur, (*Pomatam* noſtrates nuncupant) ſi translatæ radix, ubi in palmæ altitudinem adoleverit, ablaqueata, bubulo Fimo recenti oblinatur, & congeſto aggere irrigetur, dumque ad incrementum venerit erumpens germen, ferri acie præſcindatur: & ei fictilis teſta non picata, imponatur, ne longitudinis, ſed latitudinis augmentum capeſcat. *Idem.*

Lactuca ut fiat ſuavis.

Suaviores habebis Lactucas, ſi coercitis caulibus, reſtibili pullulatu prodire compuleris. *Idem.*

Lactuca ut fiat odorata.

Odoratæ naſcentur Lactucæ, ſi illarum ſemen in Citri ſemen imponatur, & ita terræ committatur. Quam rem etiam præſtabit lactucarium ſemen diebus aliquot in aqua odorata maceratum. *Florentinus & Mizaldus.*

Lactu-

Lactuca ut ſapore & formâ multiplici fiat.

Caprinum aut ovillum ſtercus accipito, & quantumvis parvum ſit, perforato, & induſtriè evacuato, ſemenque Lactucæ, Naſturtii, Ocymi, Erucæ, Raphani aut quæcunque velis in evacuatam partem densè indito, & in profunditatem non minorem duorum palmorum parvorum deponito, ſtercore tenero ac raro præſubſtrato, deinde tenui terrâ aggeſtâ, ſenſim aquâ rigato, atque etiam ubi enatum fuerit ſemen, irrorato, aſſiduè ſtercus inſpergendo, & poſtquam in caulem excreverit, multò plus diligentiæ adhibeto, naſceturque Lactuca cum injectis ſimul ſeminibus concreta. Alii duas aut tres caprini aut ovilli ſtercoris pilulas confringunt, & ſemina ipſis admiſcent, eaque ſimul in linteolum mittunt, & rigata defodiunt, aliaque item curâ adhibitâ Lactucam multiplicem, & variarum ſpecierum habent. *Didymus.*

Lactucam ſeminibus multis conſitam naſci.

Si Lactucæ folia, quæ juxta radices ſunt, evellimus, ſingulisque gradibus ſemen condimus, Ocymi ſcilicet, Erucæ, Naſturtii, & ſimilium, admixtoque ſimo obruimus: enaſcetur ita ab omnibus coronatus Lactucæ thyrſus. *Joan. Bapt. Porta, ex Palladio.*

Beta ut albidior & major fiat.

Si majores & albidiores facere Betas velis, radices ipſarum ſimo Bubulo recenti intege, & quemadmodum in Porro, germen finde, & lapidem latum, aut teſtam impone. *Sotion.*

Braſſica ut fiat ſapore & magnitudine inſignis.

Braſſicam & ſapore & magnitudine præcipuam reddes, ſi omnium primò cum Paſtinacâ ſeras: deinde ſi terram fugientes cauliculos ſeces & à terra proceritate luxurioſâ attollentes ſe, exaggerando aliam accumules: ita ne plus quàm cacumen emineat. Sæpius ſarrita, & ſtercorata meliùs convaleſcit, pleniorisque incrementi cauliculum facit, & cymam. *Mizaldus.*

Apium ut folii latiſſimi fiat, & criſpum.

Magnum evadet Apium, ſi ſeminis ejus, quantum tribus digitis apprehendi poteſt, in panniculum vetuſtum illigaveris: deinde ſtercore intectum ſtatim rigaveris. Similiter ma-

maximum erit Apium, ſi circumfoſſis radicibus paleas adjeceris, & rigaveris. Criſpum autem erit Apium, ſi ſemen ejus priuſquam plantetur, in pila leniter tundatur, atque cylindrus ipſi inducatur. *Florentinus.*

Apium hortenſe ocyſſimè producere.

Sint ſemina hornotina, ac æſtate ingruente, aceto immerge, ſine immorari aliquantiſper tepente loco, ſubinde ſemina, in ſolutam terram convolve, cui combuſtarum fabarum cinerem admiſce: ubi verò levi imbre ardentis aquæ irroraveris, etiam crebris irrigationibus panno operi, ne calor evaneſcat: ſic pauculo temporis curriculo, paucis elapſis horis terram diſcutiet: amove pannum, irriga, & caulis elongabitur, maximamque ſpectantibus admirationem ingeres. *Joan. Bapt. Porta.*

Aſparagi ut in magna copia proveniant.

Si velis Aſparagum multum provenire, Arietum ſylveſtrium cornua tenuiſſimè contuſa, ſulcis committito, & rigato. Quidam magis præter opinionem tradunt, quòd ſi integra Arietum cornua non in tenues partes tuſa & ſecta, perforentur, & pangantur, Aſparagum producent. *Didymus.*

Aſparagi ut toto anno edules inveniantur.

Si velis Aſparagum per totum annum habere, cùm fructum adimis, ſtatim ſarcito in ſuperficie radices. Sic enim tractata planta brevi Aſparagum rurſus emittet. *Idem.*

Convolvulus in vinea ne ſiet.

Convolvulus in vinea ne ſiet, Amurcam condito, puram benè facito, in ahenum indito congios duos, poſtea igne levi coquito, rudiculâ agitato crebrò, uſque adeò dum fiat tam craſſum, quàm mel. Poſtea ſumito Bituminis tertiarium, & Sulphuris quartarium. Conterito in mortario ſeorſum utrunque. Poſtea infriato quàm minutiſſimè in Amurcam calidam, ſimul rudiculâ miſceto, & denuò coquito ſub dio. Nam ſi ſub tecto coquas, cùm Bitumen & Sulphur additum eſt, excandeſcet. Ubi erit tam craſſum, quàm viſcum, ſinito refrigeſcat. Hoc Vitem circum caput, & ſub brachia ungito, Convolvulus non naſcetur. *M. Cato.*

Gramen

Gramen ne germinet.

Referunt, bidente cupreo extincto in ſanguine hirci, gramen erutum, non ampliùs repullulare. *Cardanus.*

DE SECRETIS FLORUM in genere. CAP. IX.

Flores & fructus temporiùs adducere.

ELIGE florem, quem vis: nam quod uni convenit, omnibus aliis credendum eſt convenire. Si autem Roſa fuerit, tempore anticipato circiter Octobrem, calcem inter fictilia vaſa in terram ſerito per cribrum tranſmiſſam, eamque pinguiorem mollioremque admixto ſtercore factam bis quotidie calidâ fovebis aquâ: & ſi aër vento exagitatus, vel immoderata pluvia erit, in contectam inferes domum, aliàs noctu ſub dio relinques. Ubi verò gelicidia, & hyberni temporis imbres ceſſavêre, atque hinc aëris moderata temperies redit, Solis radiis, ſi diei permittet apricitas, expones. Cumque primum ver affulſerit, & Roſarum calices germinare incipient, calidiore tum aquâ perfundes, jugi enim & lentâ ſcaturigine gaudent. Sic prima erumpet, quæ erat inter vernos flores noviſſima. Conſiderandum præterea, intempeſtivam fieri germinationem placidâ hyeme, auſtróve ſequente; non horridâ & nivali, uti è Theophraſto elicitur, cùm vis generandi, humorque fœcundus aggregatur, aliàs per ſe, aliàs ex parte reſidua humoris, quò fructus prodierant. *Porta.*

Flores ut vernos aut æſtivos ad brumam deferas.

Si florum plantulas cum radicibus, in vinaceis, quibus cortices ſunt exempti, ſepeliveris, aut in fimo equino identidem reparato, flores pulcherrimos tibi edent ſub brumam. *Mizaldus.*

DE SECRETIS FLORUM in ſpecie. CAP. X.

Ut Roſæ vegetæ ſerventur.

LEGANTUR Roſæ, reliquique flores, non tam ſativi, cùm jam patefacti perennant; ſed flore jam dehiſcente, cæſuram ſic liquidam in picem immergito, & arundine fiſſâ condantur, ritè picentur, & ſub dio obruantur

tur acclivi loco, ne labens aqua pluvia noxam afferat. Vel arundinem jam viridem findito, Roſam vel florem intus condito, & fiſſuram ut coeat, curato, ſic ovans habebis quod optas. Vel ſic aliter: Vas fiat quernum, floribus reple, & Roſis, quæ nondum oſcitant, benè operculato, & picato, ne intrò fortaſſe aqua permeet; hinc putei vel ciſternæ aquis immergito, vel currentibus, quò minùs putrefiant; ibique multum durabunt virides, occluſis. Cùm omnes dehiſcant velis, pediculum in Malum figito, aut aceto immergito, ſicque Soli exponito. *Joan. Bapt. Porta.*

Roſæ ut vegetæ ad annum uſque ſervari poſſint.

Roſas vegetas ſervabis hoc modo. Rec. Vini & Salis q. ſ. in ollam fundito, pòſt Roſis, quas ſervare vis, eam impleto: (oportet autem ut colligas Roſas adhuc clauſas) ollam operculo obturato, & in cellam reponito. Quibus cùm uti voles, eas vaſe detecto eximito, & ad Solem vel fornacem exponito, ut dehiſcant. Habebis autem Roſas tam pulchras & odoratas, quaſi recenter eſſent decerptæ. *Caſpar Schwenckfeld.*

Roſa ut odoratior fiat.

Roſæ odoratiores fiunt, ſi Allium juxta eas plantaveris: nam quæ ex frigiditate langueſcunt, calore exacui ſolent. *Didymus.*

Roſa ut præcox fiat.

Si præcoces Roſas habere velis, duabus palmis in gyrum effodies, & calidâ aquâ mane ac veſperi irrigabis. *Idem.*

Roſa ut omnibus menſibus comparetur.

Si menſibus omnibus Roſam tibi comparaturus es, menſibus omnibus plantare, ſtercorare & rigare debes. Verùm id in borealibus Regionibus haberi non poteſt. *Idem.*

Roſa præcox.

Præcoces Roſæ aliter fiunt, tum in cophinis, tum in fictilibus plantatæ, ſi eâdem curâ tractaveris, quâ præcoces Cucurbitas & Cucumeres ſuo loco tractari debere dicemus. *Idem.*

Roſæ ut recentes & virides ſerventur.

Conſervabis Roſas recentes, & in vigore, ſi ipſas in Amurcam

cam immiſeris, ita ut liquor eis ſupernatet. Alii herbidam adhuc Hordei ſegetem unà cum radicibus avulſam, in dolium non picatum mittunt, & Roſas clauſas adhuc imponunt, tegunt, ac conſervant. Alii viride Hordeum in pavimentum conſternunt, & Roſas ſuperinjiciunt. *Idem.*

Roſa ut Januario menſe fructum ferat.

Si Roſa in æſtate media bis per diem rigetur, Januario eam menſe fructum ferre, ait *Democritus.*

Roſa ut tempore Malorum fructum ferat.

Si Roſa cortici Mali inſeratur, & inoculetur, tempore Malorum Roſas naſci ait *Florentinus.*

Roſæ ut albæ fiant.

Roſas dum aperiri incipiunt, Sulphure ſuffimigabis, & candidas, ſed & mortuas è veſtigio habebis. *Didymus.*

Roſæ & Gelſemini ſive Jaſmini flores ut flaveſcant.

Inſitione doceamus, quomodo Roſa & Jaſminus flaveſcant: quia Geniſtæ flos inter cæteros maximè flavus enitet, nos cum Roſa & Jaſmino æmulari rem contendimus; & cùm Sociatio non ſit jugabilis per ſurculum, vel infoliationem, ideò Roſam juxta Geniſtam ſerimus, hinc eam cum genitali terra transferimus, libentiùs enim flores in ſinu parentis, quàm novercæ adoleſcunt: poſtea terebramus plantam, cumque plagam purgavimus, ipſam undique abraſam inſerimus, luto circumlinimus, & ligamus: mox ubi creſcentis trunci vi fuerit coercita, à radice ſeparamus, & ſupra inſitionem truncum reſcindimus; ſic Roſa non illepidâ venuſtate flaveſcet. Ita quoque Jaſminum apud nos adeò eleganti, lucentique colore lucet, ut oculorum aciem perſtringat, ac undique diverſis quibuslibet coloribus delectet, quibus ſcilicet adaptabitur. *Joan. Bapt. Porta.*

Roſa ut fiat viridis, lutea, & cærulea.

Nunc perſcrutemur, an fieri poſſit Roſa viridis, lutea, & cœrulea? Id ſic exequemur; foris caudicem Roſæ juxta radices, & ramos omnes findimus, & colore ubertim infarcimus, quem ſi deſideramus viridem, Ærugine, ſi cœruleum Indico, vel Lapide ſic dicto, ſi flavum Croco, priùs tamen in pollinem redactis, inſpergimus: præcave tamen,

ne

ne Auripigmenti, vel alterius rei hujuſmodi quidquam immiſceas, enecat enim virus plantam: mox ſtercore, & limo bonum quippe nutrimentum afferentibus plantam inficies.

Ad Roſas, vel Caryophyllos, vario colore brevi tempore tingendos.

Sumito terræ pinguiſſimæ quantum volueris: ſiccetur ad Solem probè, donec in pulverem tenuiſſimum redigi queat, deinde cùm in vas aliquod poſita fuerit, germen aliquod florum arborum implantetur. Verùm cavendum, ne terra aliâ aquâ, quàm ſequentibus madefiat. Itaque ſi ex albis floribus rubros efficere voles, ſumito ligni Braſilii minutim inciſi quantum ſufficiat, & coquatur in aqua, uſque ad conſumtionem tertiæ vel quartæ partis, & fiet aqua rubra; quâ refrigeratâ terra bis in die, manè ſcilicet & veſperi, paulatim humectetur. Hoc autem tamdiu faciendum, donec creſcere incipiat plantula; nempe per quindecim, aut viginti dies. Quòd ſi virides cupis, ſumito loco Braſilii Spinæ cervinæ acinos maturos: ſi flavos, Spinæ cervinæ acinos immaturos: ſi nigros, Gallas & Vitriolum, & coquantur in aqua, quâ terra, ut jam antea eſt dictum, madefiat. Cavendum autem ne ſub dio noctu relinquatur, propter rorem, quem facilè imbibit. Verùm undequaque flores non tinguntur, niſi partim naturali, partim eo colore quo inficiuntur, ita ut duobus coloribus immerſi videantur. Quòd ſi tribus coloribus eos tingi voles, manè altera pars terræ aquâ, colore aliquo infectâ, humectetur; veſperi verò altera pars eâdem aquâ: ſequenti verò die, manè, rurſus altera aquâ, alio quodam colore tinctâ madefiat: deinde altera veſperi, eadem idem ſic, ut manè & veſperi duobus coloribus madefiat, ſed ita, ut latera varientur: quod fiet, ſi quam tinctam, & manè poſitam, in eodem latere veſperi non ponas, ſed aliam, & ſic planta hæc, unà cum proprio ſuo colore tres acquiret colores: de qua deinde plurimæ aliæ poſſunt propagari. *Alexius Pedemontanus.*

Betonicæ coronariæ flos, ut in cæruleum commeet.

Intubum, vel Cyanum, ſed meliùs Intubum erraticum, antiquum, craſſum, & pollicarem excedens latitudinem, radicem tenus ſecamus, ac per medium findimus, ut in ex-

centriſmo, & ſobolem floris radice vulſam infigimus, vimine conſtringimus, ac terram putri fimo circumaggeramus, ſic florem pariet, qui cyaneo blandietur colore, quo gratius nil oculis viſitur. Sic ſi Anchuſæ radici album aliquem infiges, florem purpureum habebis, inde in puniceum vergentem. *Port.*

Betonica ſeu Vetonica ut hyeme floreat.

Si ad Calendas Octobris Vetonicæ, Violarum, & ſimilium plantulas cum radicibus, in vinaceis, quibus cortices ſint exempti ſepeliveris, aut in fimo equino identidem reparato, flores pulcherrimos tibi edent ſub brumam: atque ita de Fragis ac Melonibus ſe res habet. Sed à frigore externo ſervari debent, plurimum enim cum fœtibus emoriuntur. *Cardanus.*

Vetonica ut uno ramo diverſos flores emittat.

Vidimus ramum eundem niveum, purpureum, ac vermiculatum florem expromere. Quod culto ſtudio, aut ſoli commutati ubertate fieri ſolet. Quanquam multos id aſſecutos vidi, defixis in ovillam, aut caprinam baccam, vel cannulam fragilem, detritúmve linteolum, diverſis Vetonicæ ſeminibus arte compoſitis, & terrâ, ac ſtercore diligenter opertis. Nam ſemina illa in unam coaleſcent radicem, quæ ramos florum varietate illuſtres emittit. *Mizaldus.*

Unica Violarum planta ut omnium colores referat.

Si omnes omnium colores unam plantulam Violarum referre cupis, ſingularum ſemina confuſa, in tenuem cannulam, aut detritum linteolum include, & terræ optimè ſubactæ, ac ſtercoratæ, ut fieri ſolet, immitte. Experimentum mihi ſæpenumero probatum, ſumma cum voluptate, & pari admiratione miraberis. *Idem.*

Lilia ut fiant purpurea.

Si Lilia purpurea facere velis, dum florent, cauliculos ipſorum acceptos decem, aut duodecim ſimul colligato, & ſuper fumum ſuſpendito: remittunt enim ex caulibus radiculas parvas ſimilitudine bulborum. Ubi igitur plantandi tempus affuerit, cauliculos ipſos in fecem Vini nigri immiſ-

immiſſos macerato, donec purpurea, & probè tincta apparuerint tibi ipſa diſtrahenti. Deinde hoc modo illos plantato ſingulis fece ſufficiente affuſâ, hinc Lilia producta purpurea florebunt. *Anatol.*

Lilia rubra ut fiant.

Rubrum Lilium facies, ſi intra cortices Cinnabarim fundas, cavendo ne bulbos ſaucies. Si verò etiam alio colore ipſa oblinas, cujuſcunque coloris volueris Lilia gignentur. *Florentinus.*

Lilia ut per annum recentia permaneant.

Lilia per totum annum recentia permanebunt hoc modo: Auferunt ipſa unà cum ramulis nondum aperta, ſed adhuc concluſa, imponuntque in vaſa fictilia nova non picata, deinde vaſa cooperta reponunt, atque ſic recentia totum annum durant. Si quando autem medio tempore quis eis uti velit, Soli exponat, quo concalefacta aperientur. Quò verò alio atque alio tempore Lilia florem producant, dum bulbos ipſorum plantas, alios in altitudinem digitorum xij. alios iix. alios v. deponito & diu Lilia habebis. Idem etiam in aliis floribus facere licet. *Anatolius.*

DE SECRETIS FRUCTUUM in genere. CAP. XI.

Fructus ut habeas præcoces.

UT fructus habeas præcoces, irriga ſæpe calidâ aquâ, Soli expone, ſtercore columbino, equinoque fove, aut calce, quæ illam admittunt, ut Ceraſia & inutiles ramos ſenſim ac inutilia quæque præcide. *Cardanus.*

Fructus ut ſerotinos habeas.

At ſi ſerotina velis, contrariâ ratione ages, in umbra, & multis operta foliis ſinito, præcidito jam natos fructus cum ramis, antequam matureſcant; denuò enim florebunt, & alios fructus mittent: quos ut ad maturitatem deducas, hyeme vaſis fictilibus, quæ ex arbore pendeant, includito. *Idem.*

Fructus ut ſuaviores odoratioresq; fiant.

Semina vel grana triduo Mulſo, lacte Ovillo, vel Aquâ,

ubi Saccharum eliquaveris, quod veteres præſtare exiſtimarunt, ſunt maceranda, & inſolata ponenda, & majorem fructus contrahent ſuavitatem. Si odoratiores quæris: Semina Nardino oleo, ſucco vel ſtillatitio Roſarum liquore, aquâ diſſolutis in ea Moſcho & Zibetho appellatis, ubi aliquantulum madefeceris, jam ſiccata ſerito, & ſuaveolentes fructus, mirâ quidem illius odoris fragrantiâ delibuti orientur, cujus ſemina combiberint. Sed ſi ſeminum cacumina confringes, pauculo ibi morantur tempore. *Porta ex Florentino.*

Fructus omnes ut augeantur.

Si fructus velis fieri majores: Fictilis olla aquæ plena circa radices obruatur, in ea flos cum ramo ſequaci flexu imponatur annexus, néve dimoveatur, arctè ligetur: ollam in terram conjicies, & obteres circa ramum, ne extrinſecus afflet ſpiritus: ſic completis fructibus elapſo tempore miræ magnitudinis pomis exuperabit, & majoribus, quàm in arbore unquam pependerint, nimiâ corticis craſſitie: humorem enim, quem Sol & aër ab eo ſurripiunt, ſervat olla, & coercet, ſurgentesque vapores fructus incraſſant, & augeſcunt.

Fructus ut formam quam voles, aſſequantur.

Formam quam aſſequantur deſideras, finge in ligno magnitudine fructûs perfecti: huic circumpone gypſum aquâ diſſolutum craſſitudine digiti minimi, bifariam diviſam. Siccam hanc figuram (celeriter enim ſiccatur) auferes à ligno: id facilè fiet, ſi priùs lignum oleo illeveris. Detractam hanc formam cavam è gypſo bifariamque diviſam, fructui creſcenti, qui juſtæ magnitudinis medium exceſſerit, arctiſſimè circumligato, demittitoque donec fructus ad juſtam pervenerit magnitudinem. Habebis fructum formâ eâ, quâ lignum dedolatum erat, liceat & inſcribere quæcunque volueris: ut verè dicere poſſis:

Creſcite, & in titulos ſurgite ritè meos. Cardanus.

Fructus ut vim purgandi nanciſcantur.

Si ad radices Helleborum, aut Cucumerem ſylveſtrem, vel Scammoneam poſueris, Pruni aut Ceraſi, magis etiam Vitis cùm ablaqueatur, fient fructus illarum purgantes. *Cato.*

Fru-

Fructus è diverſis compoſitus, quomodo fiat.

In monſtrificis naturæ compoſitionibus, ac tranſmutationibus, haudquaquam meliore, quàm Inſitionis viâ proceditur. Atque ſuprà hanc ſatis laudavimus, longè ſecus laudaturi poſthac, mutuò poſtquam diverſorum complexu indiſſolubilem unum efficiat nexum, mirandiqúe præbeat rationem: & ſi Inſitiones laborioſas, ac impoſſibiles aliquis exiſtimabit, facilè convincetur eventu ſive effectu laboris. Quin imò ferè impoſſibiles inſitiones ſolerti emendabis curâ, nec te ab eo rudis agriculæ, & inſcii artificis dimoveant dicta in eo, quod demonſtratur experientiâ, ſed animo volve, quæ à priſcis memoriæ prodita ſunt, v. gr. Ficum Platano inſeri, & Moro, Morum Caſtaneæ, Terebintho, & albæ Populo, inde alba naſci Mora: Caſtaneas Nuci & Quercui. Punicam variis gaudere adulteriis, & omnibus immiſceri lætatur; Ceraſum Perſico, & Terebintho; ſicut viciſſim Ceraſo Terebinthum, & Perſicum. Cotonea oxyacanthæ: Vitem in Oleâ fructus dare, & Elæoſtaphylos appellari, quos *Olivam* latinè dicimus: Talem Florentinus ſe apud Marium Maximum vidiſſe perhibet, fructum guſtâſſe, & æſtimâſſe, quòd verè Acinum & Olei baccam ſimul guſtaret. Myrtum Salici inſertam, & Punica quoque retuliſſe mala ferunt, & cæteris, quas intueri par eſt, longè tamen noſtris difficiliores: & tandem omne genus ſurculi omnibus arboribus inſeri poſſe autumat *Columella*, docetque. Hinc omnis fructuum compoſitio, hinc omnis eorum adoptatio, hinc inſueti ſubinde producuntur per naturam arte mutatam fructus. *Joan. Bapt. Porta.*

Fructus creſcentes ut figuras omnes, vel impreſſiones ſumant.

Si Humanum caput, Equinum, aliorúmve animalium mentiri affectas, magnitudine perfecti fructûs Argillâ, Gypſo molli, ac ſicceſcente formabis, & ſtyli acie findito, ut archetypum ejicias, & iterum poſſit aptè conjungi. Si lignea erit perſona, ſit intus excavata, ſi ex argilla, ubi torrueris, & fructus validi ſint incrementi, fictilibus typis (aperto loco, quà petiolus intromittitur) claudantur, ac forti ligentur vimine, ne pomi auctu aperiantur, idque ab ipſis eorum incunabulis, & in eam adoleſcere, ubi impetrave-

ris, & ad debitam fructus fuerit reſtitutus magnitudinem, figuras, & effigies dabit, quas effingere placuit, valetque id maximè in Cucurbitis, Piris, Struthiis, ut placebat *Democrito*, Citreis, punicis, & Malis inſanis. Ex *Quintiliorum* placitis ſcriptum video: ſi arundine in longum fiſſâ excavabimus internodia, in ea nuper Cucumeris, vel oblongæ Cucurbitæ partus editi includantur, improbo creſcens auctu, arundinem implebit, in oblongam, & teretem figuram nimirum protenſus. Quòd ſi inter duos diſcos compreſſam appoſueris Cucurbitam, in orbem planum excreſcit, & maximè figuras præſtat omnes, quibus cogitur. Si in vitilem vaginam, poſtquam defloruerit, conjeceris revolutam oſtendet anguis figuram. *Joan. Bapt. Porta ex Aphricano & aliis priſcis.*

Fructus quomodo exos, & enucleatus evadat.

Vetus eſt Philoſophorum dictum, præcipuè qui ſelecta agriculturæ præcepta tradidere, ſi inſerendis ſurculis, vel vivis radicibus medullam auriſcalpro, vel oſſeo abſtuleris cultro, fructum exoſſem, ac ſine ligneis nucleorum putaminibus proditurum, ſiquidem altrix ipſa, ac parens eſt oſſeæ ſubſtantiæ. Arcades autem huic refragantur opinioni; omnis enim, ajunt, arbor, cui aliquatenus demta eſt, vivit: ſed omninò ſi medulla ſubtrahatur, non ſolùm non enucleatos fructus protuberare, ſed vitâ viduari, ac exareſcere penitus neceſſe eſt, ratione hac ſuffulti, cùm pars illa humidiſſima, maximeque vitalis ſit: alimentum enim quod à ſolo miniſtratur, tranſcurrit, dum ad omne alimentum viventis, quaſi quædam anima, per trunci medullam, veluti per ſiphonem hauritur: id monſtrat materies expers medullæ, quæ recurvatur, & in orbem redigitur, uſquequò omninò reſiccetur: idque priſci pertinaciter reformidârunt. Nobis autem, quos *Theophraſti* veritatis & experientiæ commovent placita, multum erit uſui, nec parum commoditatis affert. *Idem.*

DE SECRETIS FRUCTUUM in ſpecie. CAP. XII.

Poma ut in vigore diu maneant.

PRÆCOCIA Pyra, Mala, Cotonea, ſed muſtea ſpernenda,

da, Ficus, Tuberes, & Zizipha, cum ſuis frondibus legito, omnia immatura, non tamen percruda, caduca ſunt ſeparanda, undique diligenter inſpiciendo ſintne integra, nec manibus quaſſentur, inciſos eorum tenaces calidâ cures amburi pice, parum tangendo: nam faciliùs principium putrefactionis exhiberent, inde cannabi ſtupáve involvendo, ferventi cerâ circumline, & circumlita melle demergantur, ut ſint omnia ſubmerſa, & ſeparata cuſtodi, ne ſimul commiſceas, ne ſe mutuò contingant: alterum enim ab altero corrumpitur operculo impoſito, operculatumque vas pellicolato, & per annum viridia ſemper habebis: & ſic omne pomum in melle ſervari poteſt, quod in vetuſtatem reponitur. *Joan. Bapt. Porta.*

Mala ut diu conſerventur.

Mala in multum tempus durant, ſi in vigore ſunt decerpta, id quod manu faciendum eſt, & cautè, ne quaſſentur, ſingula verò in algas, hoc eſt, maris muſcum, ſeorſim involvantur, ut undiquaque ſint cooperta, & imponantur in ollas crudas, apponantur etiam algæ unà cum lignis Malorum, ut ſe mutuò non contingant: deinde ollis opercula obdantur, & deponantur in loco ſublimi perfrigerato, extra fumum, & omnem graveolentiam. Si algæ non ſint, in valde minutas ollulas crudas ſingula mala indantur & addito operculo reponantur. Quidam terrâ figulinâ ſingula mala oblinunt, ſiccant & reponunt. Servantur etiam integra mala, ſubſtratis ipſis nucum foliis. Melius autem feceris, ſi ſingula mala in folia nucis involuta repoſueris. Conſervabis etiam Mala, ſi in ollas intrinſecus inceratas repoſueris, & diligenter ipſas cooperueris. Imputrida perdurant Mala, ſi in Hordeum immittantur. Conſervabis eadem & hoc modo: Accipe vas fictile non picatum in fundo perforatum, idque Malis manu decerptis, incolumibus, non inveteratis exple, & vas Myacanthâ, aut aliquo alio ſecurè obtura, & in quacunque arbore ſuſpende & per totam hyemem ſine, & talia permanebunt, qualia ſunt injecta. Quod ipſum etiam experientiâ condidici. Servantur etiam Mala ſic: unumquodque Malum ficulneis foliis ſiccis involvito, inde luto vel argillâ albâ intege, & perfrigerata in Sole repone. Permanent etiam conſervata à vini fece, & ipſum quoque Vinum conſervabunt omnium

miraculo. Sed in ollam novam immiſſa, & olla in dolium vini immerſa, ita ut ei innatet, & dolium oblinatur, recentia erunt Mala, & Vinum ipſum odoratum. Quin & in ſinuoſas capſas componuntur cum tomentis puris, & conſervantur. Hyemalia Mala optimè in ſeminibus ſervantur. *Apulejus.*

Mala quomodo ſervanda & reponenda.

Mala circa autumnale æquinoctium ſunt legenda pro cœli, ſoli, & arboris cujuſque naturâ, nec ante xv. Lunam, ut ſcribit *Plinius*: idque cautâ manu, ne contuſione, aut vulnere aliquo lædantur, ſeparatis cadivis, putreſcentibus, ac vermiculoſis, à præſtantibus & generoſis. Servabuntur optimè tabulatis extra fumum, & graveolentiam in loco frigido, & ſeptentrionalibus feneſtris aperto: quæ ſereno die patentes lucem accipere debent, excluſis auſtris: nam aquilonibus multò nocentiores fructibus eſſe ſolent: à quibus poma quæque rugis deturpari certum eſt. Servantur præterea in frigido & arido loco ſupra paleas, ut ſcribit *Varro.* Ideò qui oporothecas faciunt, ad aquilonem, ut feneſtras habeant, & aëre perflentur ſummè curare debent. *Mizaldus.*

Poma ut in arbore diu immorentur.

Ramulos intorqueri jube, ne matureſcens humor in ipſa dilabatur, ea incolumia ſervabuntur contra æſtiva caloris blandimenta: tali maximè pacto Punica ſervantur, ne hiantia diſperdantur. *Joan. Bapt. Porta.*

Poma ut imaginem quamvis referant.

Gypſo, aut figulari luto, quamcunque voles inſculptam imaginem tege: & in duas partes apto inſtrumento, eâ induſtriâ ſeca, ut iterum illæ ritè conjungi poſſint ac committi. Deinde in figulina excoque: cumque Malum, ad dimidium peculiaris incrementi pervenerit, hiſce formulis include, validisque vinculis firmiter obſtringe, ne fictiles typi divellantur incremento obvoluti Mali. Quod ubi capacitatem illorum expleverit, tales animalium figuras repræſentabit, quorum & habitum & imaginem ibidem mentiri viſum tibi fuit. Quæ res in effingendis Malis non ſolùm locum habebit, ſed etiam in Pyris, Cotoneis, Perſicis, Citriis, Punicis, Aurantiis, & reliquis pomorum generibus. *Mizaldus ex Aphricano.*

Malis

Malis lineamenta imprimere.

Si ex cocto gypso, ac liquidiore aquâ redacto, supra Mali cortices, notas graphio descripseris, cùm ad debitam ipsa creverint crassitiem, atque decerpseris, graphidis vestigia depressa extabunt ac refricata nobis erunt perspicua. *Joan. Bapt. Porta.*

Mala ut fiant dulcia.

Si dulcia fieri desideras, stercus caprinum urinâ humanâ dissolutum cum veteris vini fece, radicibus infunde. *Mizaldus.*

Mala ne putrescant.

Si imputrida mala habere voles, felle viridis Lacertæ inungatur caudex: erit & hoc adversus Formicas remedium præstantissimum. *Idem.*

Mala ne caduca evadant.

Si caduca fuerint mala, fissæ radici lapis impactus, illa retinebit. *Aphricanus.*

Mala ut fiant rubra.

Arbor urinâ rigetur, & rubescet fructus. Quidam verò malorum fructus hoc modo rubicundos efficiunt. Palos in terram depangunt, & incurvatos ramos, qui fructum habent, citra conquassationem palis religant, & scrobes in propinquo ipsorum, aut alia vasa aquâ implent, conjectatione factâ, ut in meridie Solis splendor in aquam illabens, calidumque vaporem remittens, & per refractionem in fructum incidens, coloris bonitatem, & rubedinem operetur. Quidam rosas seminant sub plantas, hoc modo fructus rubicundos efficientes. *Berytius.*

Poma ut fiant rubra, Aliter.

Si Citri Mali vel Pyri surculum rubro inseramus Moro, inde enata rubra dabunt Poma. Sic Rhodacena insigni calore sanguinea ex Mori insitu evenisse constat. *Porta.*

Pyra quomodo fiant rubicunda, & effigiata.

Pyrus Moro insita, rubicunda Pyra feret, ut tradit *Tarentinus.* Modum effigiandi Pyri, in quas volueris formas, requires supra ex Pomis.

Pyra quomodo legenda, & custodienda.

Legenda sunt Pyra eo modo, quo Mala, eaque methodo,

nimirum die ſereno, & blandâ manu, ne vulnerentur, caducis & vitiatis, à ſanis & integris ſecluſis decreſcente Lunâ, & vegeto Solis calore. Quod ubi factum erit, in picato vaſe diligenter includentur: cujus os deorſum reclinabitur: atque brevi ſcrobe eo loco obruetur circa quem perennis aqua decurrit. Alii optimè ſervari affirmant, ſi illitis pice ſurculis vel pediculis ſuſpendantur. Alii Sapâ, vel Paſſo, aut dulci Vino merſa, vaſis plenis cuſtodiunt. Sunt qui inter ſcrobes obruant. Plerique ſiccatis frondibus juglandis involuta reponunt. Nonnulli in vinaceis diſcreta, ne ſe contingant, ſepeliunt. Ruſtici inter paleas, aut frumenta ſervant. Alii ſtatim lecta cum tenacibus ſuis picatis urceis condunt, & oribus vaſculorum gypſo, vel pice clauſis, ſub dio obruta, ſabulóve tegunt. Servantur omnium optimè, ut reliqui fructus, Melle, modò ſe non contingant. *Mizaldus ex Democrito & Palladio.*

Cotonea quomodo fiant effigiata.

Mala cotonea animalium ſpeciem præ ſe ferent, ſi in formas typorum indita augeſcere ipſis permiſeris. *Democritus.*

Cotonea quomodo legenda, & conſervanda.

Imprimis Cotonea mala quàm maturiſſima & integerrima, ſine macula, ſereno cœlo, ac decreſcente Lunâ colligere debes: & in lagena nova, quæ ſit patentiſſimi oris, deterſa, quâ caneſcunt lanugine latè ac leniter componere, ne collidi poſſint. Deinde cùm ad fauces uſque fuerint compoſita, vimineis ſurculis, aut circulis ſic erunt arctanda, ut modicè premantur, ne cùm humore fuerint imbuta, ſuſtollantur. Tum quàm optimo, & liquidiſſimo Melle vas uſque ad ſummum ita replebitur, ut Pomum quodvis ibi ſubmerſum videatur. Sed ſummoperè tibi cavendum erit, ne immaturum illud & crudum reponas, alioquin ita indureſcet, ut uſui eſſe non poſſit. Audio nonnullos Cotonea oſſeo aut ligneo cultro (quod ferrum metuunt) aperire priuſquam Melli ſervanda committant: adhæc ſemina eximere, à quibus Pomum vitiari putant. Res ridenda potiùs quàm audienda. Alii lecta Cotonea doliis muſti ad fecem uſque mergebant atque ita claudebant, vinum hinc odoratius reddi promittentes. Alii in novam ollam dolio vini innatantem illa recondunt, & dolium oblinunt. Sunt

qui

qui foliis Fici obvoluta cuſtodiant. Plerique ſtupis, tomentóve mundo veſtita, in ciſtis concinnant, & diſponunt. Multi in ſcrobe, vel Milio, Hordeo, aut Avena longo tempore incorrupta ſervant. Sed in domo nec ſunt condenda, nec reponenda, ubi reliqui fructus fugaces, vel alii quoque tenelli cuſtodiri ſolent. Nam illos ſuo acerrimo odore vitiant, ac labefactant. Non deſunt, qui Ficis, aut Nucis foliis involuta ſervent. Alii Cretâ figulinâ illinunt, ſiccataque in Sole, ſuſpendunt, & dum uſus poſtulaverit Cretam deluunt. Plerique arculis ligneis ſeparatim includunt, & in tabulato ſicciſſimo, ac frigidiſſimo loco, ubi neque fumus, neque teter ſit odor, collocant: ita ut floſculi ſurſum, pediculi verò deorſum ſpectent, nec alterum ab altero corrumpatur: deinde ſcobe populneâ vel abiegnâ interpoſitâ, luto paleato opercula munita ſuperponunt, ne introire poſſit ſpiritus. *Mizaldus ex Democrito, Catone, Varrone, Columella, Palladio & Plinio.*

Pruna ut ſine oſſiculis naſcantur.

Prunum abſque oſſiculis tibi comparabis, ſi tenellam arborem ad binos pedes reciſam uſque ad radicem findas, abraſâque & excavatâ ſcalpro utriuſque partis medullâ, confeſtim ſejunctas partes vinculo conſtringas, ſuperioremque partem ac diviſuras laterum fimo, vel argillâ, ceráve obducas, & chartâ madidâ munias: elapſo anno obfirmatâ cicatrice omnia coaluiſſe perſpicies. Hanc deinde arborem ſurculis, qui fructum non tulerunt inſeres, & ſine oſſiculis Poma proferet: ſive illa fuerint Pruna, ſive Ceraſia, Perſica, Meſpila, Palmulæ, lapidoſáve Corna. *Idem.*

Ceraſia quomodo oſſiculis carentia fiant.

Si exoſſata habere cupis Ceraſia, teneram adhuc arborem ad binos pedes recides, & uſque ad radices findes, abraſâque ferro partis utriuſque medullâ, illicò ſejunctas partes vinculo perſtringes: & ſummitatem ac diviſuras laterum fimo oblines: poſt annum ductâ cicatrice dum divortia coaleſcent: eidem arbori ſurculos, qui adhuc fructum non tulerunt, inſeres, & hinc ſine oſſibus Ceraſa recipies. *Idem.*

Mora ut fiant alba.

Mora ipſa ſi alba reddere optabis, in albam inſerantur Popu-

Populum, vel inoculentur, & albeſcentia dabunt Poma. *Berytius.*

Mora ut reponenda, & ſervanda.

Mora in vitreo vaſe diligenter condita plurimo tempore durant, proprio ipſorum juſculo, & vino demerſa, ac diligenter operta: modò non fuerint nimium matura, vieta, & flaccida ſeu languida. *Idem.*

Perſica ut inſcripta & figurata naſcantur.

Perſica inſcripta ſic faciemus. Poſtquàm Perſici fructum comederis, oſſiculum ad dies duos ſive tres aquâ macerato, & leniter aperito, & repertam intra os amygdalam ſive nucleum accipito, in ejusque cortice ſtylo æreo inſcribito, quicquid tandem libuerit, non profundè, deinde papyro involutum plantato. Quicquid ſanè in amygdalâ inſcripſeris, hoc ipſum dein in fructu reperies. Quidam etiam hoc ipſum in verâ amygdalâ faciunt eodem ſucceſſu. *Democr.*

Perſica ut fiant rubra.

Rubra facies Perſica Roſis ſub ipſas plantas conſitis. Facies & juxta alium modum rubicundum fructum. Si enim obrutum Perſici os poſt dies ſeptem detexeris. In his enim diebus ſua ſponte aperitur, & Cinnabarim intra oſſiculum infuderis, & hoc ipſum rurſus obrutum curâ & diligentiâ dignatus fueris, inde rubra Perſica habebis. Fortaſſis etiam alium colorem ſi infundere libuerit, eundem quoque ſimiliter fructui affricabis. *Idem.*

Perſica ut fiant miræ magnitudinis.

Ut Perſica miræ magnitudinis tibi compares, Amygdalas item & nuces, & ſimilia, accipies tres, vel quatuor nucleos ex illis, quos ita coaptabis, ut corpus unum conſtituere videantur. Hos junctos, & ſi opus fuerit, colligatos, in vas aliquod terrâ ſtercoratâ plenum immittes, plantabis, ac ſepelies: ſed ita ut vas illud foramen habeat in operculo, per quod nucleorum germen exire cogatur. Sic fiet, ut nuclei illi in unam coaleſcant arborem, quæ ſuo tempore fructus eximiæ magnitudinis ac pulchritudinis edet ac profert. Sunt qui nucleos non in vas, ſed fiſtulam, aut tubulum terrâ ſaturatum mittant. Sed id multò leviùs & faciliùs tibi ſi com-

ſi comparare ſtudes, diligenter interlegenda erunt Perſica illa, quæ parva & languida apparebunt, nimiaque ubertate matrem onerabunt: ut arboris ſuccus ad reliquorum nutrimenta convertatur. Sic enim ſalivæ copia in pauciores fœtus ſe conferens, illos altili ſaginabit incremento, ac majores reddet. *Mizaldus.*

Perſica ut ſine oſſe producantur.

Perſicum ſine oſſe producere poſſumus, novo inſitionis modo. Circa Salicem Perſici plantam ſerimus, loco riguo, humido, & ſuperfœtante: ſin minus aquationibus adjuva, ut lignum turgeſcat, & ſibi, & advenis ſurculis ſuccum porrigat ſuperfluentem. Si ſalix brachii magnitudine in medio terebretur, Perſici capite relicto, ramos omnes amputabimus, ac per foramen ſaligni trunci inducimus: foramen luto diligenter operimus, ac vinculis aſtringimus: anno ſubinde elapſo, ubi jam cohæſerunt, ut è duabus arboribus una fiat, quantum mox prominet ſupra terebrationem, & compagem, reſecamus, ne eò feratur alimentum: & ab Inſitionis coalitu ſuccus avocetur, & arbos alia gravata ſtirpe adaptatis frugibus incurvetur. Vel capite ſalicis in terram demerſo, in arcûs ſimilitudinem flectatur, & coalitis Perſica malus ſucciditur, transfertur, & in terra exaggeratur, ſic Perſicus Salici nupta, & maritata mirâ jucunditate ſine oſſibus fructus pariet. *Joan. Bapt. Porta.*

Perſica ut ſine oſſe proveniant, aliter.

Truncum arboris infernè perforabis, & medullâ exciſâ, Salicis aut Corni paxillum impinges. *Aphricanus.*

Nux ne lignoſum fructum progignat.

Si prædurum & lignoſum fructum nux progignat, cortex in orbem vulnerandus erit, ut noxii humoris vitium deducatur. Alii radicum ſumma præcidunt. Plerique terebratæ radici buxeum cuneum imponunt, aut cupreum, ferreúmve clavum. *Mizaldus.*

Nuces ut abſque putaminibus gignantur.

Nuces nudas ſine putaminibus facies, ſi contractâ nucis teſtâ, internoque nucleo illæſo conſervato, ei ipſi lanam, aut recentia vitis ſeu platani folia, ne nudus exiſtens fructus à formicis corrodatur, circumdederis & ſic plantaveris.

Idem

Idem in Amygdala *Florentinus* tradit, ſi cinis aſſiduè trunco & radicibus circumfundatur. Imò & in reliquis fructuum generibus, quæ teſtam forinſecus habent, ſi juxta eundem modum fuerint plantati. *Aphricanus.*

Aliter.

Loco, quo Juglandem plantare deſtinaveris ſcrobem defodito, & pulveratam imponito terram, ac Ferulæ ſemen pangito: cùm enata increverit, aperi, & in ejus medullam nudum Nucis nucleum cælato, & ſic habebis longo tempore præoptatos fructus. Sic poſſumus & Tarentinam efficere, alii *Moluſca* vocant: Nam & Tarentinam dicunt, quæ eſt molli ac fragili putamine, ac manibus attrectata facilè frangitur. Hanc lixivio per annum ſæpè irriga, & cinerem radicibus injice, ut prodidit *Damageron.* Et arborem quoque penitus perforando, duras & maſculas nuces friabiles facies. Sic de Avellana nuce, & Amygdala, antequam florem protruſerint ablaqueatis radicibus, per dies aliquot calida infundetur aqua, & teneras dabunt Nuces, ut *Africanus* ait: fit priori modo, ut nudum nucleum, & friabilem teſtam afferat, ut non putamine, ſed veriùs integatur cute adeò tenellâ, ut ſimul mandatur, & tandem de fructibus omnibus qui teſtâ integuntur. *Joan. Bapt. Porta.*

Amygdalæ amaræ ut fiant dulces.

Dulces autem facies amarulentas Amygdalas antea, ſi perforato trunco in quadrangulo palmi parvi altitudine lachrymam quotannis effluere ſinas, donec dulceſcant. Quidam melius faciunt, & circumfodiunt, ſuillum ſtercus apponentes, & urinam affundentes, deinde aggeſtâ terrâ rigant ſingulis annis, donec dulces fiant. Omnis autem truncus Amygdali exciſus fructum abjicit. Teneram verò & dulcem ex dura, & amara facies, ſi truncum uſque ad radices in ſuperficie exiſtentes nudaveris, & aquâ calidâ aſſiduè rigaveris, antequam flores emittant. *Aphricanus.*

Amygdalæ inſcriptæ ut fiant.

Amygdalæ teſtam induſtriè confringito, ita ut internum nucleum integrum conſerves, apertâque teſtâ in nucleum quicquid libuerit, ſcribito, rurſusque colligatam papyro plantato, lutoque circumlitam ac intectam ſtercore ſuillo aggeſto obruito. *Idem.*

Puni-

Punica mala ne hient.

Dum Punicam Malum plantas, Tilices in ſcrobem præmitte. Si verò priùs plantatæ fuerint, Scillas juxta plantato. Hæ enim contrarietate naturali ipſa Mala hiare non permittunt. Similiter autem ſi ſecundùm caput plantatæ fuerint, non hiant. *Aphricanus.*

Punica mala ut dulceſcant.

Radices arboris circumfodito, & ſtercus Suillum aggerito, & ſuperingeſta terra, cum Urina hominis rigato. Vel Mala ſic dulciorem efficiunt fructum, ſi Urinâ aſſiduè, Caprino ſtercore, & Vini veteris fece radices plantæ rigaveris. *Paxamus, & Anatolius.*

Malum punicum, ut ſine granis facias.

Si exemeris quemadmodum in Uva, conſpicuam medullæ partem, & fiſſum lignum obruas, & poſt tempus recideris ſupereminentem Plantæ partem, quæ jam germen emiſit, fructum ipſum ſine granis Punica Malus producet. *Aphricanus.*

Punica mala, ut fiant rubicundiora.

Si Punicum malum rubicundius efficere velis, plantam aquâ cum lixivio balnearum permixtâ rigabis. *Idem.*

Ut ſciatur, quot grana habeat Malum punicum.

Unum punicum Malum aperias, & numeres grana, & quot in ipſo grana reperies, tot in ſingulis eſſe judica. *Idem.*

Punici mali acinos augere.

Punici mali acinos augere ſic poſſumus, ut nimio videantur mirabiles incremento. Punicam juxta Cornum ſerito, Corniqúe truncum terebrato, ac per foramen immittito Punicam: ubi autem trimatum expleverit, è radicibus ſeparabis, inde Cornum juxta coalitum reſecabis, ne advenæ arbori ſuccum adimat, & evocare poſſit, ut ne cui magis, quàm inſito ſerviat: ſic enim fructum præbebit, cujus acini Corni fructus æmulabuntur, ſaporeque inſignes, ut ſpecioſiores videri nequeant. *Porta.*

Punica quomodo in miram magnitudinem excreſcant.

Tradunt, in miram magnitudinem Punica mala protuberare, ſi olla fictilis circa arborem ita aptetur, ut ramus cum flore in illa claudatur, ad palum, ne reſiliat, alligatus, ipſaque olla contra aquarum incurſus operta mu-

ta muniatur: nam ſuo tempore poma ejuſdem magnitudinis quâ fuerit, opportunè reddet: imò verò ad illius rei figuram efformata, quam ollæ aut vaſculo impreſſeris. *Mizaldus ex Gargilio Martiali.*

Punica, ut in arbore ſerventur viridia.

Cùm matura fuerint Punica, antequam rumpantur, petioli, quibus dependent ſunt intorquendi, toto anno viridia in arbore ſervantur. *Pallad. & Plin.*

Punicorum multitudo quomodo comparetur.

Punicorum multitudo comparabitur, ſi Tithymali & Portulacæ ſuccus æqualiter miſtus, trunco arboris, antequam germinet, illinatur. *Palladius.*

Punicorum acini, ut candidi fiant.

Candidi fient Punicorum acini, ſi argillæ & cretæ miſcueris quartam gypſi partem, & toto triennio hoc genus terræ radicibus inſperſeris. *Gargilius Mart.*

Punica ut ad hybernos uſus ſerventur.

Punica ad hybernos uſus ſervabuntur, ſi leni manu decerpſeris, ne tactu aſperiore vitientur, aut vulnus ſentiant, deinde pediculis in coctam & liquidam picem demerſeris, refrigerata ex ordine ſuſpenderis. Sunt qui tota in picem mergant, & ubi refrixerint, ſuſpendant. Item ſi integra collecta in aqua marina, vel fervente muria tamdiu demergantur, ut liquorem combibant, & madeſcant: deinde Sole triduo reſiccentur (ſed ita ut nocte ſub dio non maneant) poſtea loco frigido ſuſpenduntur: cùm volueris uti, aquâ dulci macerabis. Alii argillâ, vel figulari cretâ induunt, ſiccata, loco frigido ſuſpendunt: atque cùm uſus exegerit, in aquam demittunt, & cretam reſolvunt. Alii fœno, vel culmo ſingula involvunt, & inſuper luto paleato craſſè linunt: atque ita majoribus ramis alligant, ne vento commoveantur. Alii in ſiccam arenam diſtincta, & ſecreta deponunt: aut in frumentario acervo ad umbram, donec rugoſa fiunt, diligenter condunt. *Mizaldus ex Berytio, & aliis.*

Malum citrium, ut effigiatum naſcatur.

Citrii fructum ſimulachri formam reddere facies, vel humanæ faciei, vel alterius animalis, hoc modo. Gypſo aut luto quicquid voles integis, perfrigeratum in duas par-

partes inſtrumento quopiam acuto ſecas, ita ut anterior, & poſterior pars coaptari & committi queant, indeque ſiccatum in figulina torres. Quum verò fructus ad dimidiam partem ſui augmenti pervenerit, formas illas circumdatas vinculis diligenter munies, ne ab augmento ejus, quod circumdatum eſt, divellatur, & ſuſcipiet omnino circumdatas formas. *Aphricanus.*

Citria quomodo fiant rubra, & medium illorum dulce.

Si rubra Citri poma voles efficere, ſurculum Moro inſerito, & rubrum pomum dabit. Medium pomi dulce fiet, ut tradit *Palladius*, ſi truncus obliquo foramine ab imo terebretur, ut alterâ parte non exeat: ſic humor effluere permittetur, donec poma formentur: mox foramen luto replendum erit. Idem fieri affirmat, ſi ſemina, priuſquam ponantur, ovillo lacte, aut mellitâ vel ſaccharatâ aquâ maduerint. *Mizaldus.*

Citria mala quomodo conſervanda.

Si Citri fructum gypſo ſubacto probè illeveris, illæſum, & per totum annum integrum conſervabis. Citria in Hordeo occultata, & obruta non putreſcunt. *Sotion.*

Citria mala ut per totum annum habeas.

Citria ſi toto vis habere anno, eum ſervabis morem, qui in Aſſyria peculiaris, multisque etiam locis frequens eſt. Quum legendi tempus aderit, partem à genitali reſcindes ſtirpe, & luxuriem ferro corripies: partem relinques, qua parte ſtrinxeris genuina arboris ferocitate, alia ſubſtituet, eisque adultis, poterunt & priora illa decerpi, atque nova fœtura invitari. *Porta.*

Ficus ut inſcriptæ fiant.

Oculum Fici, quem infoliaturus es, inſcribito, quomodocunque velis, & Ficus inſcriptæ germinabunt. *Democritus.*

Ficus quomodo fiant præcoces.

Matureſcent Ficus ante tempus, ſi Columbæ ſtercus & Piper, & Oleum juxta adjeceris. *Idem.*

Ficus ut fiant purgatoriæ.

Quum Ficum plantas, ad ſummas radices Veratrum nigrum contuſum ſimul cum Tithymalo mittes, & habebis Ficus ventrem emollientes. *Idem.*

Ficus quomodo æquè alba, & nigra fiat.

Diverſa ſarmenta accipito, & priùs colligatos ramos ejuſdem temporis ac ætatis exiſtentes, in ſcrobe deponito, ſtercoratoque & rigato. Cùm verò germinaverint, rurſus utroſque oculos in idem colligato, quò in unum truncum coaleſcant, & poſt duos annos, ſi ita viſum fuerit, tranſplantato, & gemini coloris Ficus habebis. Quidam majori ſecuritate idem faciunt hoc modo: Duorum ficorum diverſorum ſemina ſive grana linteolo illigata plantant, & tranſplantant. *Leontius.*

Caricæ ut durent.

Ad multum tempus bonæ perdurant, ſi in ſportis in clibano ſuſpendantur, ubi panis eſt extractus, & in fictile novum non picatum indantur. Oportet autem Ficus decerpere unà cum fundo & pediculo, ex quo dependet, & muriam cum Oleo fervefactam in Sole irrorare, & in vas mittere, idque luto oblinere. Noctem tamen unam antea rori exponere, & poſtea vaſi committere. *Paxamus.*

Ficus ut virides ſerventur.

Ficus ſervari poſſunt virides, ſi in melle ita diſponantur, ut neque ſe invicem, neque vas contingant: quod operculo diligenter tegi debet. Idem continget, ſi ſingulæ intra cucurbitam viridem claudantur, loculis unicuique cavatis, & ſuſpensâ in umbroſo loco cucurbitâ, ubi nec ignis, nec fumus inſpiret. Verùm cum petiolis legi debent: nam ſic diutiùs integræ durant. *Aphricanus & Palladius.*

Olivæ ut dulceſcant.

Accipe Cineris quercini ſextarium unum: Calcis vivæ recentis tertiam ſextarii partem, miſceantur benè, addendo aliquantulum aquæ ut humectentur nonnihil, coeantque in unum: deinde cùm ſic per horas duas relictum fuerit, in vas aliquod ligneum cum foramine in fundo ponatur, ſubigendo benè, & ſuperinfundendo ſitulas tres, vel quatuor aquæ, & per foramen coletur lixivium. Quòd ſi ad duas ſitulas non pervenerit lixivium, alias duas aquæ ſuperinfundito, ut duas lixivii colligere queas. Quibus ſic ſe habentibus, olivas virides recentes, & incorruptas ſumito: deinde cum lixivio tamdiu, donec fundum petant, vel dentibus caro ab oſſibus flavis ſecernatur, in aquam frigidam injicito, mutando aquam ter quaterve. Cavendum

dum omninò, ne abſque aqua remaneant: quoniam ſubitò nigreſcunt, coloremque illum ſuum nativum cum ſapore amittunt. Præter naturam enim videtur, atque idcircò jucundiſſimum eſt videre, ut tam folia, quàm fructus, naturalem colorem conſervent. Cæterum per tres aut quatuor dies in aqua recenti ſinendæ ſunt. Quòd ſi autem aqua quotidie quater, aut quinquies mutetur, biduo dulces evadent, ita ut cum ſale & aceto edi queant. His peractis, muria erit ſuperinfundenda, & ſic quoque bidui ſpatio eſui erunt aptæ. Verùm hoc notandum, Olivas, quæ aquam non tetigerint, pelliculam tenuiorem obtinere, eſuique jucundiores eſſe. Si verò tetigerint, diutiùs erunt macerandæ, nec tamen unquam adeò erunt delicatæ, propterea quòd pelliculam ſive corticem habebunt aſperiorem, etiamſi virides pulchræque exiſtant. Porrò aliter etiam Olivæ parari poſſunt: Olivæ ſiccæ, aquam nunquam ingreſſæ, in muriam per menſem unum ponantur: deinde in aliam per dies xv. vel xx. poſtea rurſus in aliam efficaciorem, & erunt dulces: ſed modus hujuſmodi rarus eſt. *Alexius.*

DE SECRETIS FRUTICUM.

CAP. XIII.

Uvas Vere producere.

SI verno tempore Ceraſum arborem ſuos gerere fructus conſpicimus, nos tunc Uvas optamus, ſic non deerit copia, uti è *Tarentini & Pamphili* elicitur dictis. Quando ab iis gummi effluere deſiit, ne putreſcat, & vermiculetur, emuſcari jube lanuginem quandam, quæ obvallat arborem: officiet enim inſitis multum. Sit Inſitio, quam *Emphyliſmon* vocant: ſic enim faciliùs coaleſcit: Arboris inde cortex relaxetur, & tenuis, & validus cuneus inter lignum & librum adigatur, ſed ſenſim levi manûs libramento, ne corticis faſcia lædatur, cuneo ſubducto ſurculus præacutus nigræ, & feracis vitis immergatur: & ligetur: ſic Vere, conſueto Ceraſorum tempore, fœnerabitur Uvas, cùm cogatur ſubjecti trunci alimoniam ſurripere. *Joan. Baptiſta Porta ex Tarentino & Pamphilo.*

Uva vinaceis vacua.

Sarmentum & flagellum obruendum ex æquo diduci-

to, lapilloque diſcuneabis à ſummo capite; hinc inde medullam omnem oſſeo ſtylo eradendo in parte illa, vel quam abſcondet terra: vel quantum fieri poſſit altè excavato: ſubinde arcto vimine, vel papyro diligenter alligato humido, ac præpingui ſolo unam defodito ſcrobem, & deponito, illudque fixo ligetur calamo, ne poſſit intorqueri, ſic compages una, ut priùs coagmentatur: & præſtabilius fuerit, ſi quantum ſarmentum erit excavatum, in ſcillæ bulbum demerſeris: veluti enim glutino quodam adjungit, humore humectat, & calore fovet, ut Inſitio quædam. Vel idem etiamnum eveniet, ſi inſerendo ſurculo univerſa medulla ſubtrahatur. *Idem ex Democrito.*

Vitis ut Botryones albos afferat, & nigros Acinos.

Palmes idem, ut Uvam candidam ſimul, & nigram afferat, & in eadem uva, acina alia nigra, alia candida, & ea æquè diviſa appareant: Malleolos tres, quatuor, vel plures diverſorum generum & colorum ſumito, facileque auctiles, quos æqualiter compoſitos, atque arctiſſimè colligatos, in tubulum, vel arietinum cornu inſerito, ut ab utraque parte ſuperemineant, ſubter ſarmenta reſolvito, ac in ſcrobe ſtercoratâ terrâ obruito, dum germina agant, rigato: at biennio vel triennio exacto, cùm una compages ex illis coagmentata fuerit, tubulum frange, ſi cornu jam emarcuit: ubi maximè cohæſerunt, ſerrâ præcidito, ac pulveratam terram ſupra exaggerato, terraque pinguis truncum operiat, & cùm coles germinaverint, unum relinque, reliquos amputa, ne relictis omnibus, ſarmenta ſuccum miniſtrare nequeant: tunc ex compoſitarum virgarum coitu, arbor una exurgit, verſicolores uvas præbens. *Joan. Bapt. Porta.*

Aliter.

Sint ſarmenta, ut nigrum alterum, candicans verò alterum: & cùm putantur, per medium ſunt findenda, præcavendo, ne quicquam de medulla excidat, & ſic inter ſe junges diviſa, ut utriuſque oculos æquando coincidant, ut duo ferè unum fiant: inde arctiùs ligabis, & glutinoſâ terrâ adlinire curabis, terniſque diebus crebra ſibi ſuccedat irrigatio, donec ex utroque unicum erumpat germen, uvaſque

uvasque producat, in quibus diverſi generis, & coloris ſint acini. *Didymus.*

Uvæ ut ad Ver uſque ſerventur in vite.

Circa ipſam vitem, quæ fructu plena eſt, loco umbroſo ſcrobem fodies, altitudine trium pedum, latitudine duorum, & mittes arenam, & ibi calamos figes, in quibus recoques aſſiduè ſarmenta fructibus plena, & illæſis botryonibus alligabis, ut ſolum non contingant: etiam cooperies, ne imber eò penetrare poſſit. *Berytius.*

Uva ut fiat odorata.

Si odoratam Uvam facere volumus, Sarmentum obruendum ac odoriferum omne conjicimus, vel unguentum quo volumus Uvam olere, & aliquantulum maceratur ejuſdem odoris aqua, & Uvam dabit abſorpto humore olentem. *Paxam.*

Uvas ut ab avibus & gallinis tuearis.

Ut Gallinæ atque ejuſmodi aves Uvis abſtineant, Labruſcæ acinos edendos dato: idem enim fermè contingit, quod hominibus qui acerbos fructus devoraverint; obſtupeſcunt enim dentes. *Cardanus.*

Uvas & alios fructus ne Veſpæ contingant.

Oleum ſorbeto, & velut inſufflans ad Vites, & Uvas atque alios fructus accedito. *Democritus.*

DE SECRETIS FRUCTUUM herbarum. CAP. XIV.

Cucurbitæ quomodo fiant longæ & vaſtæ & craſſæ.

SEMINA de collo Cucurbitæ ſumta recto cacumine ſeres, ſtercorabis, ac rigabis. Si vaſtioris incrementi optas, de medio ventre extractum ſemen, inverſo cacumine, telluri depone. *Columella, Palladius & Plinius.*

Cucurbitæ ut latæ & amplæ fiant.

Si latas & amplas habere tibi cordi fuerit, ſemina quæ in fundo latitant, inverſis cacuminibus terræ mandabis. *Idem.*

Cucurbita ut ſine ſemine naſcatur.

Non habebunt ſemen Cucurbitæ intra ſe, hoc modo:

Sarmentum, aut virgultum primum, mox ubi increverit, cucurbitæ, ſive Cucumeris in terram defodito, quemadmodum Vitis ſarmenta ſolent, ut ſumma pars tantùm virgulti emineat, & poſtquam auctum fuerit, rurſus idem iterum ac tertiò defodito, & exortus juxta medium, & ſuper terram extantes ſecato, ſolumque poſtremum tertium videlicet relinquito, & habebis tum Cucurbitas, tum Cucumeres ſemine carentes. Similiter ſine ſemine eadem facies, ſi triduo antequam ſemines, ſemen ipſum oleo Seſamino maceraveris. *Quintilius.*

Cucurbitæ ut fiant præcoces.

Præcoces Cucurbitas & Cucumeres ſic reddes: In cophinos, aut in fictilia inutilia terram cribratam mittes, ſtercore admixto liquidiorem factam, & anticipato conſueto tempore. Vere videlicet inchoante ſemina implantabis, & cùm ſol fuerit, & calor, & moderata pluvia, cophinos ſub dio expones, circaque Solis occaſus eos in domum contectam inferes. Atque hoc aſſiduè facies, aquam irrorans, quando uſus poſtulârit. Poſtquàm verò perfectè ceſſabunt frigora, & glacies, cophinos, ſive dolia in locum ſubactum & excultum deportata defodies, ita ut labra æqualia ſint terræ, & deinde reliquam curam adhibebis. Si verò abſtuleris ipſorum virgulta, citiùs fructum producent. *Quintilius.*

Cucurbitæ, aut Cucumeri quomodo formæ variæ & characteres imprimantur.

Transfigurabuntur Cucurbitæ in quamcunque velis figuram, ſi teſtacea feceris vaſa, eaque parvis adhuc circumpoſueris, & obligaveris: formas enim & characteres implebunt. Quare & Arundine in longum ſectâ, excavatâque & compoſitâ, ac coarctatâ, ſi in eam Cucurbitam, aut Cucumerem, dum adhuc parva eſt, immiſeris, augeſcens per omnem longitudinem Arundinem explebit. *Quintilius.*

Cucurbitæ quomodo fiant purgatoriæ.

Purgatorias facies, & dejectorias, ut alia pleraque, ſi illarum ſemen noctem ac diem, cum Rhabarbaro, Agarico, Scammonia, Colocynthide, aut aliis purgantibus medicamentis ſimplicibus præmaceraveris, deinde ſeminaveris. *Idem.*

Cucurbitæ quomodo conſerventur.

Cucurbitas ſervabis ſic: Has teneras acceptas concide, deinde aquam fervefactam affunde, & per totam noctem ſub dio perfrigera, indeque muriæ acri impone, & diu permanebunt. Hodie per hybernos menſes omnes laquearibus & tabulatis ædium appenſæ, virides & cibis non ingratæ à noſtratibus ubique cuſtodiuntur: maximè quæ *Citrulli* nuncupantur. *Quintilius & Mizaldus.*

Cucumeres ocyſſimè producere.

Si eorum ſemina recentia, æſtivo tempore humano cruori immiſeris, non infirmi, ſed ſani, adulti, & fulvi fient, retinent enim in ſe calidiorem efficacioremque vim. Crebrò permuta, ne contabeſcant, ut autem immarcidi maneant, oportet remorentur per hebdomadam: ſic inſolata ſemina ſcrobiculis effoſſis, in fœcundam & pulveratam terram pangantur; & cave ne inverſa. Nec obfuerit, ſi viva Calx ſubſternatur: ſubinde calidâ aquâ, vel ardenti rigatus caulis foris emicabit: pannis tege, ne calor elatus evolet, eum ſerpere ſpectabis, ſi propiùs non admiſeris, cui caducus hæreat, & in immenſam monſtrificè creſcet magnitudinem: quamquam brevi temporis proceſſu vitam aſcititiam expirabit. Idem de Peponibus & Melonibus faciendum eſt. *Joan. Bapt. Port.*

Cucumeres & fructus omnes ſerotinos facere.

Si velimus Cucumeres & fructus omnes ſerotinos efficere: ſcimus eos maximè gelicidia, & imbres horrere ac frigora pertimeſcere: unde ſemina in æſtate plantabis lætamine circumaggerata, ſic frigori maximè obſtabunt, nec ab eo necabuntur. Aliter quoque vegetes perdurare valent, ſi apud puteum ſerantur, & tam tempeſtivos in puteos dimitte, ac ſuprà rectè operi, ne Sol, ventique noxam exſiccando deferant: juvant & aquæ ſurgentes vapores, ut diu viridi maneant habitu. Vel ſtercoroſo loco, & aprico, ubi ſemina poſiturus eris. Si rubros aut ferulas habere volumus poſt autumni æquinoctium his juxta terram reciſis, excavatis, & ligneo ſtylo inter medullas lætamen immittimus, atque Cucumeris ſemen addimus: hinc naſci apparet fructus, qui poſſint & inter frigora non necari. *Idem.*

Melones quomodo dulces & odoratos reddes.

Melones Roſarum fragrantiam ſpirare facies, ſi ſemen

ipſum cum Roſis aridis poſueris, & mixtim plantaveris. Dulces verò efficies, ſi ſemen ipſorum Lacte & Melle maceraveris, & refrigeratum ſeminaveris. *Florentinus.*

Cinara ne ſpinis horreat.

Cinaræ ſpinis non horrebunt, ſi pangendorum ſeminum lapidis attritu retundantur cacumina. Vel ſi Lactucam ſcindamus in partes, & ſingulis ſingula condantur, ſic non hiſpidæ naſcentur Cinaræ. *Varro.*

Cinaræ quomodo fiant odoratæ.

Suaves & odoratas habebis Cinaras, hac videlicet viâ ac modo: ſi ſemina in odorato liquore aliquo, aut ſucco triduo præmaceraveris, & ſiccata terræ commiſeris: nam ſaporem eum referent, cujus humorem combiberint. Unde Laurum redolebunt, ſi illa cum Lauri foliis maceraveris, aut in Lauream baccam intruſeris, & ita plantaveris. Simile erit experimentum in reliquis. *Mizaldus.*

Cinaræ quomodo fiant dulces.

Dulces provenient Cinaræ, ſi ſemina in Lacte, Melle aut Aqua ſaccharata, vel Vino aromatite maduerint, & ſiccam tellurem intraverint. *Idem.*

DE SECRETIS SEMINUM in genere. CAP. XV.

Semina quomodo à frigore, pruina, & ardore defendenda.

SI timor fuerit, ne frigoribus, pruinis, ardoribusve perurantur ſemina, paleis contegi poterunt: quibus transverſæ virgæ imponentur, & virgis arundines, aut ſarmenta. *Idem.*

Semina quomodo innoxia in terra ſerventur.

Si ſemina terræ mandanda ſucco Sempervivi paulò ante ſationem madefacta fuerint, ab avibus, formicis, agreſtibus muribus, & aliis hortorum prædonibus non ſolùm illæſa ſervabuntur, ſed quæ inde naſcentur, etiam præſtantiora evadent. *Aphricanus.*

Sata ut incolumia ſerventur.

Satis omnibus incolumitatem tueri licebit, ſi collecta fuligine, quæ ſupra focos hæret, pridie quàm ſatio fiat, cum ſeminibus miſceantur: vel Portulacæ aquâ ſemina ipſa

ipſa conſpergantur, ut totâ nocte ſuccum trahant, ac ebibant. *Mizaldus.*

Semina ne Aves depopulentur.

Ait *Plin.* eſſe Allium in arvis, *Alum* nuncupatum, quod adverſùs improbitatem Alitum ſemina eruentium ac depopulantium, coctum (ne poſſit renaſci) utiliter objicitur: Hoc quæ devoravére, ſtupentes manu capiuntur. *Aphricanus* ad eam rem modicum Frumentum, vel Hordeum vino incoctum, aut infuſum Veratro admiſcet, ac foris per arearum horti ambitum diſſeminat, ſata quævis ab Avium injuria hoc modo vindicans. Sed eas mortuas, vel inebriatas Arundini ex pedibus ſuſpendi jubet. Nec omittit Cancrorum fluvialium decoctum, quo ſi ſemina conſperſeris, ab Alitibus (res mira) nunquam aggredientur: imò verò quæ ex his naſcentur, durabunt ſalva & immunia ab omnibus beſtiolarum injuriis. Sunt qui plantas ſolâ decocti hujus aſpergine, felici ſucceſſu tantùm perfundunt. Quæ res mihi & amicis plus millies fuit probata, ſed certâ lunari periodo. *Mizaldus.*

Semina ut ab omni corroſione liberentur.

Nonnulli contuſa Cypariſſi folia ſeminibus remiſcent, eamque miſcellaneam ſubactæ & ſtercoratæ terræ committunt, & ita ab omni corroſione inde naſcentia liberant. Alii Cervi, aut Elephantis cornu ſiccum & conciſum, vel deraſum, aut limatum, ſeminibus remiſcent: vel aquâ madefactionis illorum ſpargenda ſemina imbuunt. Sunt qui Cucumeris ſylveſtris radices totam diem & noctem aquâ macerant, eamque ſeminibus, repetitâ aſpergine ſuffundunt, & poſtridie, pallio velata ſemina illa terræ committunt: hinc arbitrantes meliora evaſura, & à malis omnibus certò eripienda.

Sata ne à jumentis & pecore lædantur.

Paguros, ſeu Marinos cancros, vel fluviales, non pauciores quàm decem, in vas aliquod aquâ plenum miſſos, legito, & ſub dio exponito, ut diebus decem inſolentur: poſtea ſemina, quæ voles in terrâ illæſa permanere, aquâ illâ ad dies octo perfundito, idque octonis diebus peractis repetito, donec quæ optaveris ſolidi adoleſcant, experimentum miraberis. Nam ex ſeminibus illis quæcunque

naſcentur, non ſolùm à ſe jumenta & pecora arcebunt, ſed etiam beſtiolas quaſvis. *Mizaldus ex Palladio & Africano.*

Fertilitatis prædictio.

Quod attinet ad prognoſticon fertilitatis, aut ſterilitatis ſeminis cujuſque, tam ſati, quàm ſeminandi, hac viâ procedes ex Zoroaſtris, & veterum Ægyptiorum experimento. Diebus xx. aut xxx. ante Caniculæ exortum, in quopiam loco diligenter ſubacto, de unoquoque ſemine legitimo & recenti, probationis gratiâ, diviſis ſpaciis, ac ſignatis paululum ſeres, & ſi aëris urgebit incendium, opportunè rigabis: projectum in aridam commodiùs pullulabit, & ante coſmicum dicti ſideris exortum tempeſtivè ſe prodet. Hoc peracto, ſedulus obſervabis exorto Procyone, quodnam è jactis ſeminibus incolume, vegetum ac illæſum emerſerit, & duraverit: atque illud fertile ac fœcundum evaſurum prædices: reliquum verò, quod non prodiit, aut vietam, languidamque, & flaccidam plantulam emiſit, inutile ac ſterile futurum tibi perſuadebis. Nam certo certius eſt, inſanum & æſtuans Caniculæ ſidus per illa ſua canina incendia, quædam ſatorum lædere, alia minimè. Ex quo noxæ, vel beneficii indicium per annum futurum unicuique ſementis generi ſidus naturâ aridum ac fervens, præſenti exitio, vel ſalute nunciabit, ac prædicet. *Zoroaſter.*

Fertilitatis præſagium.

His utcunque poſitis non prætermittam pulcherrimum fertilitatis, vel ſterilitatis præſagium, & prognoſticon, quod ex nucis arbore *Virgilius* poſteritatem latere noluit; licèt Amygdalæ adſcribant:

Contemplator item [inquit] *cùm ſe nux plurima ſylvis*
Induet in florem, & ramos curvabit olenteis.
Si ſuperant fructus, pariter frumenta ſequentur
Magnaque cum magno veniet tritura calore.
At ſi luxuria foliorum exuberat umbra;
Nequicquam pingueis paleâ teret area culmos.

DE

DE SECRETIS SEMINUM in ſpecie. CAP. XVI.

Frumentum ut valdè excreſcat.

FRUMENTUM ſupra menſuram augmentum ſumet, hoc modo: Nitrum & ſpumam nitri terito, tenui terræ admiſceto, & ſic acervis adjicito. Eadem res etiam integrum & illæſum frumentum ſervabit. *Aphricanus.*

Farina ut incolumis ſervetur.

Farinæ incolumes perſeverant ad tempus, tædis pinguibus contuſis, & in ipſas injectis. Quidam verò Cuminum & ſalem ex æquo terentes, & maſſas aridas inde facientes, eas farinæ imponunt.

Hordeum quomodo incolume ſervetur.

Hordeum incolume ſervabunt Lauri fertilis folia ſicca, & omnis cinis, præſertim è Lauri ligno, impoſitus. Similiter ſervat Hordeum Sempervivum herba ſiccata cum Calamentha, & unà cum gypſo Hordeo admixta. Quidam vas aceto plenum & contectum operculo in medio Hordei ponunt. *Damageron.*

Faba ut incolumis ſervetur.

Fabæ marinâ aquâ rigatæ, & reſperſæ, integræ, & illæſæ permanebunt. *Didymus.*

Fabæ ut ad cocturam commodæ fiant.

Quò ad cocturam Fabæ commodæ fiant, pridie quàm conſeras ipſas, in aquâ nitroſâ macerato. *Idem.*

Cicera ut majora fiant.

Quorundam ſupervacanea cura eſt, qui majus Cicer eſſe volentes, cum corticibus ipſum ſimiliter præmaceratum addito Nitro in aquam ſerunt. *Florentinus.*

Cicer præcox.

Quòd ſi præcox Cicer habere velis, ipſum circa Hordei tempus ſeminato. *Idem.*

Lentes ut citiùs melioresq; naſcantur.

Lentes bubulo ſtercore arido ante ſementem oblitæ, meliores, & citiùs naſcentur. *Idem.*

Lentes

Lentes ut majores naſcantur.

Lenticula in vaginulis major fit, ſi aquâ tepidâ, addito Nitro, macerata ſeratur. *Idem.*

Lupini ut dulceſcant.

Lupinum dulce fit aquâ marinâ, & fluviali, ad triduum maceratum. Ubi verò cœperit dulceſcere, ſiccatur & deponitur, pecoribusque cum paleis pabuli loco exhibetur.

Legumina ut facilè coquantur.

In ſeminando unà cum ſtercore & Nitrum admiſcebis. Sic enim parata ipſa ad cocturam facies. Quod ſi non ſuccedat, ubi hoc feceris velisque legumina brevi percoqui, parum Sinapis in ollam injice, & ſtatim quæ coquentur, diſſolventur, ſive carnem, ſive legumina coxeris. Si verò ampliùs quid de Sinapi injeceris, penitus diſſoluta evaneſcent. *Democritus.*

DE SECRETIS LIGNORUM.

CAP. XVII.

Ne ligna igne ardeant.

LIGNA & tabulata Alumine illita, non ardeſcunt, ut nec poſtes, fores aut lacunaria Ære viridi imbuta, modò cruſta durior iis obducatur, & Alumen, Plumbique albi cineres, pigmentis copioſè miſceantur. Cujus rei ſpecimen edidit *Archelaus Mithridatis præfectus* in lignea turri contra Syllam, quam fruſtra incendere conabatur, eo modo quo Cæſar caſtellum ex larigna materia conſtructum circa Padum, ut tradit. *Plinius.*

Pulcherrima ratio ligna tingendi variè, quibus fabri lignarii utuntur ad menſas conficiendas variis teſſellis & figuris inſignes.

Manè ſumito ſtercoris equini recentis, & adhuc humidi, cum ſtramine, quantum ſatis eſt, ſupra quod ligna aliqua tranſverſa collocentur, cui ſubjicito vas aliquod, liquorem recipiens. Quòd ſi uno die tantum, quantum ſatis eſt, extrahi non poſſit, altero, & tertio, & quarto die colligas,

colligas, donec ſatis eſſe videatur: deinde coletur addaturque in ſingulas menſuras ejus liquoris, Aluminis, & gummi Arabici, ſingulorum fabæ inſtar. In eo liquore, quos voles, colores temperabis, variaque vaſa facies, ſi varios colores habere velis. His comparatis, fruſta lignorum in vaſis, ut lubet condes, eaque ad Solem, vel ignem pones: pòſt ubi uti voles, fruſta aliqua extrahito, reliqua ſinito. Nam quò diutiùs in vaſis manent, eò magis colorem mutant. Et ſic habebis ligna variè colorata, alia reliquis clariora & dilucidiora, alia magis fuſca, alia media, qui colores nullâ unquam elui ratione poſſunt. *Alexius.*

Modus conficiendi Hebeni, ut videatur naturalis.

Omnis generis ligna Hebeni formam acquirere poſſunt, præſertim dura, quæ ſunt lucidiora, ùt Buxus, Cedrus, Morus tam alba, quàm nigra: quæ ligna omnium ſunt ad hoc opus præſtantiſſima, quamvis nigra Morus aptior. Sumito itaque hujus generis ligna, atque in aqua aluminoſa per tres dies, vel ad Solem, vel propè ignem ponito, ut tantùm calefiat: deinde in oleo communi, vel Seſamino, in quo Vitrioli Romani, Sulphuris, ſingulorum tantum, quantum Avellanæ reſpondeat, ſit ſolutum, coquito aliquandiu: nam quò magis coquuntur, eò etiam nigriora fiunt, modò ne nimiùm coquantur: Nam tunc & ambuſta, & fragilia fiunt. Ritè autem cocta ſi fuerint, nihil pulchrius deſiderari poſſe videtur. *Idem.*

DE

DE SECRETIS
METALLORUM.
LIBER X.

- Metalla in
  - *Genere.* De quibus Cap. I.
  - *Specie: vel*
    - *Metalla verè: atque hæc vel*
      - *Liquida:* ut Argentum vivum, Cap. II.
      - *Dura & vel*
        - *Pura sive perfecta: ut*
          - Aurum, Cap. III.
          - Argentum, Cap. IV.
        - *Impura sive (vide A.)* — *Duriora: ut*
          - Æs, Cap. V.
          - Ferrum, Cap. VI.
    - *Metallica & hæc vel*
      - A. *Minus perfecta & vel*
        - *Molliora: ut*
          - Plumbum, Cap. VII.
          - Stannum, Cap. IIX.
          - Stybium, Cap. IX.
      - *Ardent: ut*
        - Sulphur, Cap. X.
        - Cinnabaris, Cap. XI.
        - Auripigmentum, Cap. XII.
      - *Non ardent: cujusmodi sunt*
        - Chrysocolla, Cap. XIII.
        - Sal, Cap. XIV.
        - Vitrum, Cap. XV.

DE

DE SECRETIS METALLORUM in genere. CAP. I.

Metalla ùt in calcem & aquam tranſmutantur.

QUÆ metalla in aquam tranſmutantur, primò in calcem reducta (deducuntur autem igne in fornacibus, ſola vel aceto ſuperinfuſo ardenti materiæ, vel ſale juncto, dum coquitur) inde aqua ſublato ſale, vel liquido æri trita, & infuſa, ſed & metalla ſale, & igne in calcem tranſeunt, vel aqua ſeparationis, vel attenuata, & Hydrargyro copulata, poſt trita cum ſale, inde igne ſublata Hydrargyro & ſale cum aqua. *Cardanus.*

Metallo quomodo friabilitas adimitur.

In calcem redigito, ſub fimo condito: poſt hæc facito, cùm incanduerit igne, ut reſtinguatur: vel liquatum projiciatur, ubi ardens aqua ſæpè purgata, Terebinthinâ reſinâ, ipſius Oleo, Cerâ, Sebo, Euphorbio, Myrrhâ, factitiâ Chryſocollâ, quâ utuntur Aurifabri, ut celeritatem dent fundendo, aurique ferrumini: nam ſi inhabile metallum fuerit tundendo, quia unctuoſa ſæpè corpora præmollire ſolent: Si omnibus, vel aliquibus iis liquore ſubacto in paſtillos digerimus, & ubi metallum vi follium ignibus cedit, intus projiciemus. Vel hæc limi modo craſſeſcant, & uti luculenta reddantur, metallum igni apponito, ut accenſis carbonibus igneſcat, & exemtum reſtinguatur, ac finito ſemiſſem horæ combibere. Vel canicula perungantur, illaque infundantur, & ſuppriment fragilitatis multum, & hujus adminiculo malleo cedunt, & ſub eo extenduntur, ubi priùs tacti in partes diſſiliunt multas. *Joan. Bapt. Porta.*

Metalla in corpus reducere.

At ſi volueris Metalla in corpus reducere, quia in calcem verſa, non denuo levi junguntur artificio, conſentaneum fore duximus id docere, cùm crebro in noſtris operationibus uſu veniat. Hæc hujuſmodi retinent vim: Chryſocolla, Tartarum, Alumen, ovorum Vitella, Sal Alcali, Ammoniacum, Salnitrum, & quem Saponem vocant, ex omnibus iis, vel eorum quibuſdam globulos effingimus, ac fuſorio in vaſe,

ubi

ubi calces liqueſcunt, igni injiciuntur, & in priſtinum revertuntur ſtatum: cùm hoc probè noveris, extrahito. Id tamen animadverſione dignum eſt, ſi calx Auri fuerit, cum Ovorum vitellis & ſimilibus: cum Albumine & Tartaro Argentum: Amurca verò olei maximè in hoc prævalet, id ne ex corporum reductione coloris nitore defraudentur, ſed magis concinnum præbeant. *Idem.*

Metallum nobilius in cutem trahere.

Nunc verò reliquum dicturus video, quonam modo poſſit quis nobilius metallum in cutim trahere, quod idiotæ dicunt Chymiſtæ: putant enim ſe partes in meditullio poſitas poſſe impoſturis foras elicere, ac extrahere, & internas partes ſolis vilioribus conflare. Sed à veritate diſcedunt, quia in ſuperficie tantùm remiſſiores exeunt partes, & aliquantulum vivum Argentum foras elicitur. Res enim corrodunt omnes, quæ medicamentum ſubintrant, duriores relinquuntur, expoliunt, & dealbant: antiquorum fortaſſe numiſmatum fide ducti, intus meracum Æs, foras autem ſimplex Argentum conſpicientes: ſed hæc ſimul ferruminata ſunt malleis tuſa, tum demum typis excuſa, id tamen artificio ſimili ſic fieri poſſe penitus eſt arduum, nec fieri poſſe judico. Quæ tamen expoliunt, hæc ſunt: communis Sal, Alumen, Calcanthum, Sulphur vivum, & pro Auro tantùm Ærugo, & Sal ammoniacum: cùm opus obeundum eſt, eorum partem in pulverem redigunt, & cum metallo vaſi alicui immittunt, fictili luto circumlito, & operculato, exili pervio ſpiramine lento igni accommodant, ac peruri permittunt, & ne Metallum liquetur, follibus ignem haud vexes: cùm pulveres peruſti reſident, quod fumo dignoſcunt, laxato obthuramento viſunt, ſed metallum igne accenditur, donec igneſcat, & ignitum iis immergunt. Vel aliter: Aceto metallum accommodant, dum ſtrigmentoſum fiat, & ubi circumlitum opus linteaminibus involveris, conjectum in fictile acetum continent, diu hinc decoquunt, extractum in urinam conjiciunt, Sale & Aceto ebullire ſinunt, donec nulla prorſus ſordes emergat, & fœdæ metallorum maculæ aboleantur: & ſi candidiſſimum non deprehenderis, idem munus rurſus obeas, dum perficitur. Vel ſic aliter ſerietim procedas: opus cum Sale, Alumine, & Tartaro ex aqua in olla ſinas ebullire, quum tota ſuperficies inalbuerit, finito

tri, Salis, æquis portionibus ebulliant tribus horis, ut in eorum pendeat medio, nec vaſis latera contingat, eximito: & cum arenula perfricabis, dum Sulphuris virus evanuerit: demum ut priùs ebullias denuò, & ſic inalbeſcit, ut ab igne ſe tueatur, nec uti vitioſum improbabitur: utile reperies, ſi ritè peregeris, & gaudebitis, niſi in veſtram perniciem eritis abuſuri. *Idem.*

Ad Metalla inauranda.

Aureum colorem Metallis ac Lapidibus ſic induces. Accipe Salis ammoniaci; Calcanthi albi, ſingulorum partes quatuor æquales, Salis lapidei, & Æruginis partes tres ex unoquoque. His in tenuiſſimum pulverem redactis, annulum, lapidem, aut metallum quodvis ita obrue, ut à dicto pulvere circumtegatur. Poſtea ſic in ignem per horam impone, & extractum recenti urinæ immerge, ablue & deterge. Ex cujuſdam ingenioſi artificis experimento. *Cardanus, & Mizaldus.*

Ceratum ſeu Elixir ad Metalla tranſmutanda.

Sume inprimis de Sulphure extracto à ſpecie, quam tu voles, albificato, vel rubificato, & tere ipſum benè in tabula vitrea die uno, aut duobus, & imbibe ipſum ex oleo illius ſpeciei deſtillato & albificato quatuor diebus vel quinque, cùm deſiccabitur: tere & imbibe ipſum, & aſſa inter duo vaſa; & ita facias donec fiat ſicut cera. Deinde ſume ipſum ſicut ceratum, & pone ſuper omnes duas partes ejus, & mediam, quatuor partes Argenti vivi de lapide, ex quo extraxiſti Sulphur, & fac unamquamque ſpeciem cum ſua ſpecie, & quodcunque genus cum ſuo genere, neque diverſifices ea; quoniam errabis. Tuum quoque Argentum vivum ſic congelatur cum Aqua lapidis: Ambo verò cerata ſimul junge, & tere benè imbibeque ex oleo, & diu tere, & aſſa ea cum igne parum fortiori, fient enim dura. Deinde tere rurſus ea benè, & pone ſuper ea Salem ammoniacum, qui fuit rubificatus cum igne lapidis, & imbibe poſtea benè, & renova quaque die ſtercus inhumando, ſolvetur enim, & fiet aqua rubicunda, ſicut ſanguis, fac ipſum congelari in vaſe vitreo cum tenui igne, & quum congelabitur, tere ipſum probeque imbibe ex aqua Sedinæ, hinc diſſolve & poſtea congela ipſum, & ita facias ter: proveniet enim tibi Ceratum, quod ſuper Lunam projice, quoniam ipſa fiet Sol,

aut projice ſuper duo Plumba aut ſuper Ferrum, & convertet ea in Solem. Et hæc quidem eſt via, quâ coloramus rubificando. Scias ipſum. Via autem quæ albificando colorat, eſt iſti oppoſita: Et hæc eſt, ut ſumas de ejus Argento vivo albo ſublimato quatuor partes, & de Sulphure albo partes tres, tere ea benè, & pone ſuper ea de Sale ammoniaco albo extracto ex lapide partes duas: iterum tere hoc totum benè, & imbibe ex aqua Salis ammoniaci probè ſoluti, & aſſa ipſum levi aſſatione, & hoc fac ter, ſed qualibet vice ſit aſſatio vehementior. Deinde poſt hæc tere illud denuò benè, & imbibe ex aqua ſalis ammoniaci, ſine ſtare cum ſuo humore, & pone in vaſe vitreo, pòſt inhuma & muta ſtercus quoque die, hocque age, donec ſolvatur. Poſtea tere ipſum & congela: ignis verò ſit tenuis, donec congeletur, & fiat album, ſive cineritii coloris. Et ſi color ille fuerit in eo, redi ad terendum, aſſandum, & congelandum, donec congeletur, & evadat album: priùs tamen ipſum ſolve, ut fiat aqua currens, & non ſit maſſa, neque turbidum, & egredietur ceratum multùm album. Cujus unam partem ſuper decem millia veneris rubeæ projice, & fiet Luna. Hæc eſt ſententia eorum, qui operati ſunt cum Argento vivo & Sulphure. Eorum verò, qui cum Argento vivo ſolùm operantur, operatio talis eſt, ut ſequitur. Sume de Argento vivo ſublimato fixo, & de Argento vivo ſoluto partes æquales, fixum verò tere, & imbibe ex ſoluto, hinc tere ipſum benè, & aſſa leviter: hoc fac, donec bibat illud ſolutum totum: deinde tere ipſum, & imbibe ex ſoluto terendo, donec fiat ſicut medulla, & tamdiu imbibas ipſum donec tantum bibat, quantum ipſe eſt, & aſſa ipſum inter duo vaſa cum igne forti: & ſi emiſerit fumum, redi ad terendum ipſum, & reduc ipſum ad opus ſublimationis, donec fundatur in vaſe inferiori: fiet enim rectum, & non emittet fumum. Ex ipſo projice, quoniam colorem bonum efficiet: poſtea imbibe ipſum etiam ex ſua aqua, tere benè, & ſolve. Solvetur parvo tempore, poſtea congela ipſum: & projice ex ipſo ſuper quodcunque corpus volueris: faciet enim mirabilia, & præcipuè ſuper Ferrum, utpote quod mollificabit & convertet in Lunam veram. Eorum verò, qui cum ſolo Sulphure operantur, operatio eſt talis: ſume de albificato & ſublimato quatuor partes, & imbibe ipſum ex ſua aqua, aut ex aqua Argenti vivi. Quòd ſi

volueris,

volueris, ut ipſum ſolum ſit ex ſua aqua ſolummodo : fac de ipſo ſicut feciſti, & non diverſifices : ipſum enim faciet Plumbum, Stannum, Æs, & Lunam : & ipſum ſimiliter facit Argentum vivum ac Lunam in ſua hora. Scias autem quòd Argentum vivum congelatur in duobus Plumbis, videlicet congelatur Sulphur præparatum in Ferro. Scias ergo quomodo, quia eſt magnum arcanum : modus autem operandi cum Sale ammoniaco eſt, ut ſumas ex eo deſtillato & Cerato partem unam, & imbibe ipſum ex ſua aqua fortiter terendo: ſolve ipſum, & ſi ejus ſolutio difficilis fuerit, imbibe ipſum ex ſua aqua, & tere benè : ſolvetur enim; & quum factum fuerit aqua clara, fac ipſum congelari in vaſe vitreo cum igne debili in Sole, aut cineribuc calidis, & hoc eſt maximum ſecretum. Et iſti ſunt quatuor modi albificandi. Quòd ſi rubificare volueris, ponas pro quaque re alba rem rubeam, terere verò & imbibere, & aſſare, & ſolvere, & congelare eſt in hoc unum, ut in alio. Et ſi conjunxeris Argentum vivum Sulphuri, & præparaveris ea cum Sale ammoniaco, erit optimum. Et iterum ſi conjunxeris Argentum vivum, ſulphur, atque Salem ammoniacum, & præparaveris cum ſuis aquis, erit bonum. Lauda ergo Deum. *Hæc Rhaſis in libro experimentorum.*

Ad quævis Metalla inauranda.

Accipe Vernicis liquidæ libram j. Terebinthinæ, olei Lini, ſingulorum unc. j. Miſceantur omnia optimè, & ſervetur ad uſum. *Alexius.*

Theſaurorum inventio.

Referunt, Candelam ex Sevo Humano accenſam, delatamque loco, ubi theſauri reconditi ſint, ſtrepitu illos detegere ; inde etiam dum proxima fuerit extingui. Quod ſi verum eſt, ex ſympathia contingit ; Sevum enim ex ſanguine, ſanguis autem ſedes animæ atque ſpirituum, quæ ambo cupiditate Auri & Argenti, dum homo vivit, tenentur, & ob id etiam ſanguinem perturbant. Itaque velut in corii Arietis atque Lupi antipathia viget, quanquam mortuis : ita hic ſympathia. Melius tamen Hiſpanus quidam abſque Candela Theſaurum reconditum invenit. Itaque nulla certior ratio rerum, quàm quæ principiis prudentiæ conſtat : proxima naturalibus longè petita : reliquæ, quæ à proprietate ſumuntur, aut falſæ omninò, aut raræ : velut illud, quòd

panis fruſtum in aquam projectum, è directo cadaveris humani conquieſcat, ſi id ſub aqua lateat. Sed ad priorem hiſtoriam redeamus. Oportet autem generali methodo perquirere veritatem. Si igitur Candela hæc ob Aurum Argentum & Gemmas ſepultas agitatur, par eſt etiam ab inſepultis hoc fieri, itaque hac ratione talia quærantur. Eſt autem Magnetis quoddam genus, quod Argentum trahit: ergo tenuis virgula argento eo infecta fuerit, ubi verſorium conſtiterit, Argentum, præſertim multum, licèt ſepultum, convertetur. Oportet autem optimum eſſe lapidem, qualem nondum vidi. Alius modus ſumitur à ſonitu. Subſidet enim plerunque, & maximè ubi vacuum relictum fuerit, reſonat. Et rurſus ubi murus plus æquo craſſus eſt: nam ibi abſconditum aliquid eſſe ſignificat: atque hoc facile animadvertentibus, aliis incomprehenſibile. Item terebris prælongis chalybeis loca prætentantur, talia candelæ præſtant. *Cardanus.*

Modus veræ Artis proplaſtices, ad Numiſmata, aliasq; omnis generis mediocriter extantes formas, ex Metallo quovis, aut etiam Cryſtallo, Vitro, Marmore, fingendas.

Ante omnia terram, in qua formæ imprimuntur, in promptu eſſe oportet: quæ cùm variè conficiatur, nos tantùm varia genera, eaque omnium optima ponemus: ut ſi unum haberi non poſſit, his quæ haberi poſſunt utamur. Illud tamen primùm ſciendum eſt, ex iis, quæ hic ponemus, ſingulis perſe, aut ex aliquot miſtis, aut omnibus ſimul, nos uti poſſe. Sunt enim omnes optimæ. Caput totius artis eſt, ut materia in qua formæ imprimuntur, ſit ſubtiliſſima, & ferè impalpabilis: quoniam effigies in ea exprimuntur nitidiùs: deinde etiam faciliùs in ſe omnis generis metalla recipit abſque corruptione, optimeque cum magiſtra permiſcetur: ita ut ſiccata durior evadat. Poteſt denique ad plurimas fuſiones ſufficere, ita ut non ſtatim à prima fuſione frangatur, ſitque alia materia paranda. Cæterùm ad plumbeas formas fingendas, quælibet terra commoda eſt: modò tenuiſſima, beneque cum magiſtra ſubacta ſit, ut dicetur.

Terra prima, in fundendis Metallis apta.

Accipe lapidis Smyris, quo omne armorum genus extergi-

tergitur, quantum ſatis eſt, conteratur optimè, & in igne candeat, ut inferiùs docebitur: deinde madefiat ad modum paſtæ, fiant typi ad fingenda Numiſmata. Poſſunt autem hi typi in multos annos incorrupti eſſe, ſi diligenter conſerventur: qui ſi tandem frangerentur, rurſus conteri debent atque cum magiſtra miſceri: eâ enim ratione ſubinde meliores evadunt.

Secunda.

Sumito fruſta vaſorum, ex Argilla Valentina, vel Treguendana, quibus vaſis Vitriarii vitrum liquefactum in fornace continere ſolent. Erit autem melius, ſi quis eorum vaſorum fundum, aut vas ipſum à medio ad fundum, abjecto tamen priùs vitro circumhærente ſumat: vel ſi hæc haberi non poſſint, ſumantur ea, quæ poſſunt. Sumito igitur Aurifícum crucibula nova, tot, ut eorum vaſorum, quæ dixi, fruſta, pondere æquent: hæc omnia ſimul in æneo mortario conterentur: deinde ſuper lapide Porphyrite, ut colores ſolent, cum aquâ molantur: ſubinde recoquendo attenuetur pulvis, ut infrà dicetur, ſervetur in ſcorteis ſacculis, aut ligneis arculis concluſis, ne ſuâ tenuitate in aërem volet.

Tertia.

R. Teſtarum tellinarum, vel Charmarum marinarum.
Corticum ovorum, ſing. part. æqual.

Accendantur & in igne candeant, & ut priùs dictum eſt, de alia argilla, terantur ſæpiùs, & eodem modo ſerventur.

Quarta.

Ferri ſcobem, aut ſquamam, aut utramque puram & mundam in ferrea caſſide, alióve firmo vaſe, ad ignem collocato, acetum optimum ſuperinfundito, ad ignem per horas octo habeto. Quo facto, rurſus acetum infundito, ignis ſubdatur ut incandeat, molatur pòſt, atque eadem iterentur, ut in aliis eſt dictum, & ſerventur.

Quinta.

R. Pumicis candentis, quaterque in aceto extincti, part. j. Scobis ferri part. ij. miſceantur, & igne candeſcant ut ſuprà: deinde trita aliquoties recondantur ut alia.

Sexta.

Sumito oſſa Vervecis, præſertim capitis, quæ meliora

ſunt, combuſta: deinde trita, & cribrata, quantum ſatis eſt, ponantur in vaſe aliquo ferreo ad ignem tamdiu, donec optimè candeſcant, tum addito tantum Sevi, quantum manu comprehendi poteſt: miſce benè ferro aliquo, ut Sevum unà cum pulvere comburatur: deinde ſic ad ignem relinquatur, per horam dimidiam. Quibus factis auferatur ab igne, conteratur, igne candidum fiat, humectetur-que, quibus ſæpiùs iteratis, ſubtiliſſima perfectiſſimaque evadet.

Septima.

Rec. Oſſium Sepiarum uſtorum, tritorum, & cribratorum, quantum ſatis eſt, & fiat modo quo jam dictum eſt, de Vervecis oſſibus. Fit præterea Argilla hæc, ex quadam terra, quæ Tripoli affertur: item ex Vitium cineribus, ex Charta combuſta, ex Equino ſtercore arido, atque uſto, ex Lateribus, Bolo armenâ, Terra rubra, atque hujuſmodi aliis, quæ nunquam igne liqueſcunt, neque diſſiliunt, neque ſquamas, ſive cruſtas faciunt, ſed perpulchrè quaſvis formas recipiunt.

Modus reducendi prædictas terras ad tantam ſubtilitatem ut fermè tactum ipſum non recipiant.

Sumito pulveres prædictos, ſive terras, quas primò optimè conterito, & cribrato; deinde in vaſe aliquo firmo ad ignem ponito, tamdiu donec candeſcant, rurſusque conterito ut priùs, cum aqua vel aceto. Quod cùm ſexies factum fuerit, ponatur in catino vitreato, ſuperinfundendo tantum aquæ, ut ad quatuor digitos emineat: miſceantur parum baculo aliquo mundo, ut turbida fiat aqua: deinde pauxillum ſic relicta, aqua auferatur ſenſim, ponaturque in alio vaſe mundo. Quo facto, recens aqua ſuper materiam infundatur, miſceaturque ut priùs, donec turbida reddatur: deinde cùm rurſus aliquantulum quieverit, ſenſim auferatur, priorique aquæ ablatæ addatur. Hoc autem tamdiu faciendum, donec tenuiores pulveris partes, aquâ fuerint omnes ablatæ. Quòd ſi quid in primo catino craſſioris pulveris fuerit relictum, conteratur rurſus, ut priùs, atque ſupra dictæ aquæ depoſitæ jam addatur. His omnibus factis, relinquantur aquæ tamdiu, donec ſcobem reſiduum fecerint: deinde aquâ ſenſim ablatâ ſiccetur pulvis, mox ſemel tantùm, ſed optimè conteratur, cribroque ſetaceo, vel etiam ſerico denſiſſimo transfundatur, & habebis pulverem

rem omnium ſubtiliſſimum, quem in vaſe aliquo optimè clauſo recondes; ne quo modo in auras evaneſcat.

Aqua, quam Magiſtram appellant, ad prædictos pulveres contemperandos.

Ut prædictæ Terræ formentur, & formatæ, ſiccatæ cohæreant, nec diſſiliant, aut reſolvantur in pulverem, talis aqua, quam Magiſtram vocant, componenda erit, quæ in hunc modum ſe habet:

R. Salis communis quantum ſatis eſt, eumque lineo panno, aquâ imbuto, involutum, vel in crucibulo inter carbones, vel in ollâ parvâ benè lutatâ, in loco, ubi follibus per horam ignis probè poſſit excitari, ponito: mox ubi refrixerit, teratur, tritum in ollâ vitreatâ collocetur, deſuperque tantum aquæ communis effundatur, ut ad quatuor, vel ſex digitos emineat, miſceaturque tamdiu ad ignem, quouſque diſſolutum & frigefactum eſt, coletur bis per pannum è lana, quem filtrum vocant, optimum. Hujus aquæ uſus eſt ad humectandum, tenacemque faciendam terram, ut inferiùs dicetur. Fiat quoque hujuſmodi aqua vel magiſtra, ex albumine Ovorum, ſiquidem optimè baculo aliquo ex Fici arbore concutiantur, donec ſpumam reddant: deinde cùm ſic per noctem unam ſteterint, coletur aqua ſub ſpuma contenta; ſervetur ad pulveres, in paſtæ formam redigendos. Eſt quidem hæc aqua melior: quoniam Argilla fit tenacior, & formæ expreſſiores, nitidioresque figentur. Unde quidam prædictæ aquæ, ex ſale confectæ, aliquantulum hujus aquæ addunt. Quidam verò aquam è Gummi addunt, prout judicio, & uſu edocti, magis expedire exiſtimant.

De rebus, quæ ad fundendi artem in promtu eſſe debent.

Cùm quodlibet boni Artificis opus abſque inſtrumentis ſuis propriis perfici nequeat, operæ pretium eſſe videtur, ut ea, quæ huic arti inſtrumenta ſunt neceſſaria, doceamus. Itaque primò diligentiam adhibere oportet, ut carbones ex lignis recentibus, duris, ſiccis habeantur, quemadmodum & crucibula abſque fractura neque alba, neque nigra, ſed cinericii coloris eſſe oportet. Præterea charta aliqua craſſior non deſit, ad ventilationem crucibulorum: ita quoque vacua arundo, ad exſufflandas ex crucibulis ſordes. In-

ſtrumentum quoque aduncum, ad extrahendos carbones ex crucibulis: & prælum quo formæ ipſæ, quas etiam ſtaſetas vocant, comprimentur, ut injici metalla fuſa commodiùs poſſint. Ad hæc tabulæ binæ, vel plures, politæ, & leves, ex Nuce, Robore, Buxo, vel ære, inter quas formæ conſtringantur, vertique valeant, item duæ aut plures plagæ laneæ ad manus ſint, quibus vacua illa ſpacia in comprimendis formis, impleantur. Opus præterea eſt circino, & regulâ ad partiendum, & ad certam menſuram, exigendas formas & canales per quos metalla decurrunt. Ferrum inſuper, ligonis formâ, ſed in acumen tendens, ac utrinque ſcindens, ut typorum viæ, per quas metalla fuſa ingrediuntur, expediantur: quòd ſi hoc deſit, fiat cultello aliquo, magna cum diligentia. Olei quoque & Terebinthinæ parum, quo charta, vel bombycis fila imbuta ſint & accenſa, ut intrinſecus ſiccati jam typi optimè fumo afflentur, & hinc metalla meliora fiant. Quoniam verò aliquando nimium loca cava fumo implentur, ita ut inæqualia reddantur, leporinus pes appoſitus erit, cùm ad alia, tum ad fuliginem detergendam. Duæ quoque ſcopæ, altera è filis æneis condenſatis, altera ex ſetis, cujuſmodi ſunt illæ, quibus ad pectines tergendos utuntur, quibus opus ante informationem, & pòſt, tanquam pectatur & extergatur.

Ratio Numiſmata conflandi, & exprimendi.

Primò ſumito Numiſma illud, quod exprimendum eſt, atque in aceto, cui aliquantulum ſalis, paleæque uſtæ additum fuerit, immittito: deinde lavato, fricatoque benè ſupradictis ſetaceis ſcopis, tum aquâ abluito, & panno aliquo mundo ſiccato. Quo facto alteram formæ partem, nempe fœminam, ſuper tabulam, vel è robore vel ex ære, ut diximus, collocato: atque ita, ut pars media, quæ ſcilicet alteri formæ conjungitur prona, deorſumque ſpectet, Numiſmata, aut quicquid fingere paras, priùs purgatum, ut eſt dictum ponito recto tramite ad viam, per quam metallum liquefactum decurrit, præſertim ſi unicum fuerit Numiſma. Quòd ſi duo ſint, ponantur ad alteram formam, ita ut iter in medio, per quod metalla fundi poſſint, relinquatur. Si verò numiſmata plura duobus fuerint, ſui ſint ſingulis canales, qui ab ore ſive medio canaliculo, metallum ad ſingula numiſmata deferant. Nam illud cavendum eſt, ne à Numiſmate in aliud Numiſma metallum tranſeat. Quibus factis,

factis, ſumito prædictæ terræ, optimè cribratæ, quantum volueris, ponatur in catinum maximum, ſuperinfundendo ſenſim aquam magiſtram, donec tantum humeſcat, ut inter manus compreſſa minimè adhæreat, ſed ſiccæ farinæ inſtar, pugno compreſſæ, remaneat. Hanc in hunc modum ſubactam, ſuper Numiſma in ipſis typis ponas, comprimendo optimè digitorum parte carnosâ, deinde manibus: id quod melius fiet, ſi alteram quoque tabulam ſuperimponas: deinde inſtrumento aliquo ſcindente & regulâ, terra circa formam adhærens, & redundans æqualiter diligenterque auferatur. Quo facto pannus è lana ſuperponendus, hinc tabula; & ſic ſtrictè ambabus manibus typi invertendi: inde ablatâ tabulâ ſuperiore, ſi quid adhæſerit, pede leporino, probè & leviter eximendum. Pòſt altera formæ pars ſumenda, atque eadem terrâ implenda, comprimenda optimè, ut priùs, ferroque ad æqualitatem reducenda. Poſtea ferri acumine ſuperior formæ pars, parùm attollatur, manibusque dextrè auferatur, ita ut Numiſma eximi poſſit. Quòd ſi facilè auferri non poſſit, ſubtili pennæ aculeo circum leviter attollatur, vel etiam cultelli acumine decuſſatim percutiatur, quo obverſo typo auferri queat. Si verò Numiſma perfectè expreſſum non videretur, rurſus ſub prælo inter duas tabulas, ut priùs, comprimatur. Quibus omnibus factis, ferro aliquo curvo ſcindente, circino & regulâ, canalibus diſpertitis, ad ignem ſiccentur, mox bombyce, oleo, & terebinthinâ imbutis, atque accenſis afflentur fumo: poſtea ſi quid fumi ſuperflui relictum ſit, leporino pede tollatur. Quòd ſi Metalla infundere voles, inter duas tabulas unà cum pannis ſub prælo ponito, comprimendo aliquantulum: deinde metallum liquatum injicito, ſi fuerit Argentum, vel Æs album, cognoſcitur ex ſuo ſplendore, & claritate: ſi verò Stannum, ſtuppa, vel charta injecta comburitur, optimè hinc inde fluet, niſi Stannum fuerit: tunc enim Sublimati centeſima, & Antimonii octava pars injicienda erit: ſic enim non ſolùm optimè fluet, ſed durius quoque metallum efficiet. Porrò frigefactis typis, Numiſma dextrè eximatur, ac ſervetur. Quòd ſi alia efficere voles, iterum formæ fumo erunt afflandæ: deinde ſub prælo comprimendæ, ut antea jam eſt dictum: hocque faciendum toties, quoties alia Numiſmata efficere voles. Cæterùm ſi formæ nondum videantur fatigatæ, ſed adhuc ad alia metalla infundenda aptæ, in

loco aliquo ſicco conſervari debent. Si verò fractæ, rurſus conteri, pulvisque melior, ut ſuperiùs eſt dictum, fiet. Porrò Numiſmata, ſive recentia, ſive vetera, tum coqui, tum in aqua alba poni debent: præſertim, ſi non fuerint ex ſtanno, ut infrà docebitur.

Ad Numiſmata ex cretâ liquidâ, penicillo formanda, quod multò facilius eſt, quàm typis ſuperioribus, ſed formæ ſemel tantùm utiles ſunt: nec res paulò ſubtiliores his effinguntur: quæque penicillo denuò tangi non poſſunt.

Sumito Numiſma nitidum, beneque ablutum & ſiccatum, ut priùs eſt dictum: deinde oleo illitum ſequenti ungito miſturâ, quæ ſic ſe habet: Recipe ſupradicti Luti ſapientiæ ad Solem, vel ad ignem ſiccati, atque in pulverem tenuiſſimum redacti, cribratique quantum ſatis eſſe videatur: quo deinde aquâ communi liquefacto, altera Numiſmatis pars illinatur: deinde ſiccata rurſus prædicto luto, ſed ſpiſſiore, inungatur, ſicceturque. Quod cùm quater vel ſæpiùs fuerit factum, altera ſimiliter pars oleo priùs illita inungatur, ita ut totum Numiſma luto obducatur, maximè ſi ad auferendum Numiſma per mediam formam ſcindere noles. Sin minùs, antequam altera Numiſmatis pars inungatur, priùs lutum Numiſmati adhærens contritis carbonibus aſpergendum, quo altera pars ſuperaddita minimè adhæreſcat, ſed facilè removeri poſſit. His factis, altera quoque Numiſmatis pars, ſupradicto luto humectato, penicillo illinatur, & iterum ſiccata, ſpiſſiore luto liniatur, & ſiccetur, hocque quater, vel, ut voles, quemadmodum feciſti, quum primam formâſti. Verùm antequam benè ſiccetur lutum, partes cultello aliquo ſemper oportet leviter redundantes reſecare, ne coaleſcant: ejus, inquam, partes, quæ carbone aſperſæ fuére. Cùm autem jam probè fuerit ſiccatum, commiſſuræ illæ cultello leviter tractentur attollendo, ut altera formæ pars à Numiſmate extrahi queat. Quâ ablatâ, altera quoque auferatur, quod fiet, ſi lutum modicè cultello percutiatur, Numiſmate deorſum tendente. Quibus omnibus factis, ſumito ambas luti partes, atque primo foramen, per quod liquefacta metalla decurrere debent, ad latera utraque fingito: deinde filo aliquo ferreo, partes ſimul colligato probè, coquitoque in fornace, vel ſub carbonibus accenſis, donec conſumen-

ſumentur carbones. Quòd ſi coquantur, antequam conjunctæ fuerint partes, non erit abſurdum, modò poſtea filo ritè colligentur. Cùm autem Metalla liquefacta infundere voles, inter duas tabulas, vel ſub prælo ponito, metallumque infundito: deinde frigidum exigito, & invenies Numiſma egregiè formatum. Verùm ſi ex Argento fuerit opus aliquod, erit dealbandum, ut deinceps dicetur. Si ex Stanno, dealbare nihil opus erit, ſi verò ex Auro, Æris flore & Urinâ eſt colorandum. Sed neque ex Argento, neque ex Auro Numiſmata, non in his cretaceis formis, ſed in ſuprà dictis fundenda ſunt. Hoc luto ſic parato, aliter & quidem faciliùs conflari Numiſmata poſſunt, nempe hoc modo. Sumatur id quod formandum eſt, atque id ex cera, & terebinthina commiſta conſtet: mox ea cera cretâ ſive luto congeratur, ut antè diximus: deinde foramen inducatur: pòſt ad ignem ponatur, ita ut foramen in ima ſit parte, per quod cera omnis liquefacta exeat. Quo facto metalla liquefacta infundantur. Illud ſemper tenendum eſt, ut formæ, quocunque modo ſint, cùm eſt fundendum, caleant.

Album ad Numiſmata, aliaq; opera dealbanda, argentea opera antiqua expolienda, & tanquam renovanda.

Sumito Numiſmata, vel aliud quodvis opus antiquum, vel novum, & ponito ſuper Carbones accenſos, tamdiu verſando, donec cineris colorem ſuſcipiant: deinde extergente ex æris filis ſcopâ, cùm optimè exterſum fuerit, in ſequentem ponatur aquam, quæ hujuſmodi eſt:

Rec. Aquæ marinæ, vel communis q. ſ. eſt.
Salis albi M. j.
Tartari,
Aluminis ſing. q. ſ. eſt.

Miſceantur & coquantur in vaſe aliquo vitreato. Quòd ſi opus ex ære, ſophiſticâ ratione dealbatum fuerit, ſumito Argenti, in tenuiſſimas bracteas deducti, ſive foliorum Argenti denarium unum.

Salis Ammoniaci unc. j. ſem.
Salnitri drach. ijs.

Miſceantur, & ponantur inter carbones accenſos, in vaſe aliquo cooperto, ſed cum operculo in medio perforato, tamdiu, donec vapores omnes evanuerint; deinde frigi-

da

da conterantur optimè, & fiat pulvis. Cùm autem uti voles, hujus pulveris unc. j. prædictæ aquæ addito, & per octavam horæ partem coquito: deinde Numiſmata, vel alia opera immittito. Quo facto, aquam, & opera ipſa in aquam claram, tepidamque effundito, tartaroque & aliis in fundo reſiduis opus optimè fricato, demum aquâ frigidâ abluito & ſiccato.

DE SECRETIS METALLORUM in ſpecie.

DE SECRETIS ARGENTI VIVI.

CAP. II.

Argenti vivi congelatio cum odore Metallorum.

ARGENTI vivi congelatio cum odore metallorum, & præcipuè Plumbi, fit hoc modo. Purgetur Plumbum, & à ſcoriis ſeparetur, liquatum in foveam projicito: ubi jam frigeſcere incipiet, ligni præfixa cuſpide, & detracta, fluidum immittito Argentum, & congelatur, pilâ tundito, & multoties reiterabis, ubi durum jam habes, ſæpiùs colliquato, & in claram aquam immergito: tamdiu opus iterabis, donec durum, & ſub malleo ductile habeas, nec tamen inutile fore cenſeas. *Joan. Bapt. Porta.*

Argenti vivi congelatio cum caſſide ferrea, vel patina.

Fit & alia Argenti vivi congelatio cum caſſide ferrea, vel patina, projiciendo cum eo aquam, quâ fabri ignitum extinguunt ferrum, ac illi duplum immittatur ammoniaci Salis, Calcanthi, & Æruginis: vehementique igne ſinas ebullire, ferreâ ſemper ſpatulâ verſando: & ſi abſumitur bullitione aqua, calida paretur alia, & projiciatur, nec ſinat ebullire: ſic diei quadrante congelatum habes, inde linteo filo, vel corio ſtrictè manibus congelatum exugito, ut exudet; quantulumcunque habet expreſſum denuò congeletur, dum omne perficiatur, ſic in præfatum fictile dimittatur cum fontana aqua, detractis, quod peſſum ierat ſordibus, in

in eandem fideliam miſceto, & confundito, donec lotum clarum habeas, ſub dio tribus noctibus ponito, & in teſtæ duritiem craſſeſcet. *Idem.*

Mercurii coagulatio lutea, Auri Rhenani colorem induens.

Rec. Æruginis, Salis communis ana drach. ij. quæ conterendo mixta diligenter, pone in lebetem ferreum ſuperinfunde aquam ac tamdiu bullire ſine, quoad aqua fiat purpurea. Tunc lebeti immitte Mercurii unc. j. ebulliant rurſus ferreâ ſemper verſando ſpatulâ, quæ exemta & probè abluta exſicca. Pòſt accipe Tutiæ partem unam, & Curcumæ radicis partem unam cum ſemiſſe, contundantur diligenter, & in pollinem tenuiſſimum, donec nigreſcant, redigantur. Quo facto, ex hoc pulvere nigro cum Mercurio coagulato fac ſtratum ſuper ſtratum, vaſe obturato, & luto obducto, igni ad horas vj. rurſus apponito, ita ut ignem carbonibus ſemper exaggeres, quo lebes totus incandeſcat. Tandem liqueſcant, & ſic habebis Mercurium, auro Rhenano ſimilem. *Ex lib. quodam Germanico manuſcripto.*

Argentum vivum congelatum in Aurum tingere.

Illud autem Argentum vivum congelatum in Aurum tingere ſi vis, & pulchrè: Infractis particulatim partibus, cum Cadmiæ terræ pulveribus alternis fuſorium vas, & teſtaceum mediam partem impleas, hinc Uvis, & Cyperi radice Indicâ illâ, quam Officinæ *Curcumam* dicunt, contuſis in expletum vas luto circumlines, & in Sole exſiccabis, vel igne, qui Solis vicem penſet. Sic verò igni appones, ut ferveat horis vj. & incandeſcat, inde follibus perfletur, & maximè vexetur, ut fluxum faciat: & ubi fluxerit, frigeſcat carbonibus tumulatum: ſic Aurum coloratum, & ſplendidiſſimum reperies. *Porta.*

Argentum vivum cum æneis pilis fixum reddere.

Et aliter Argentum vivum cum æneis pilis fixum reddere poſſumus, & congelare: Ærea duo hemiſphæria fabricemus, ut ſe invicem penetrent, ne exſpirare poſſint: intus vivum Argentum cum cryſtallini Arſenici æquali portione, &

& Tartari ritè contuſorum, & cribro ſecretorum immittantur: luto foràs commiſſuræ perlinantur, ne reſpirent: ſic reſicceſcant, & carbonibus exaggerabis, & obrues quartâ diei parte, poſtremo incandeſcat totum, inde extrahas, & aperias, & totum ænei vaſis concavo coalitum inhæreſcere videbis, malleo percuſſum decidet, liquato, & projicito, & optimum dabit Argenti colorem difficileque ab eo ſecernitur. Si Æri immiſcere placet, cum eliquato Æris triplo immiſceas, & ſine Argento optimum oſtendet album, dulce, & malleabile. Vel aliter: Fictili ollæ æneum operculum imponatur, ac accenſo igne mirè vivum Argentum in operculo congeſtum reperies, & mirabilius congelabitur: alii è Ferro, Chalybe, Argento, ac denique Auro conficiunt, diverſisque utuntur modis, in aliquibus utile fuerit ſciſſe, nec meminiſſe obfuerit. *Idem.*

Purgatio Mercurij.

Allium in fruſta conciſum tunde probè in cataplaſmatis formam, exprime hinc ſuccum per linteum, cujus parum ſuper porphyritem funde, adjice hinc Mercurium vivum, & continuâ triturâ tamdiu ſubige Allii ſucco, donec nullum ampliùs videas Mercurium currentem. Fac hoc & repete aliquoties cum alio Mercurio, uſque dum ejus expetitam habeas quantitatem. Omnem poſtea vitreo immitte ſive catino, ſive mortario, tere probè cum piſtillo ligneo, affuſo ſimul aceto & ſale, acetum hinc, quod nigricans erit, decanta, novum acetum affunde, tere iterum, opuſque hoc tamdiu repete, donec acetum non ampliùs nigrum evadat. Tandem decantato aceto, mercurialem maſſam cum Sale vitreæ cucurbitæ immitte, igni impone, ac paulatim maſſam ſiccari permitte; reddetur ſic maſſa dura, quam dein benè in vitreo mortario cum ligneo piſtillo, affuſâ ſimul aquâ, contere, aquam poſtea decanta, novamque tamdiu aquam calentem affunde, donec omnem Mercurius nigredinem exuerit; tum verò eum ter per lineum mundumque pannum, hinc per corium, & tandem iterum per lineum pannum transmitte, & ſic purus erit Mercurius. *Ex manuſcripto Alchymico Bibliothecæ Zvingerianæ Baſilienſis.*

Oleum

Oleum Mercurii corpora ſolvens, & in Lunam tranſmutans.

Mercurium viventem crudum immitte crucibulo candenti, cumque incipiet odorem ſpirare, effunde in catinum ſufficiente aceti quantitate repletum; & opus hoc toties repete, donec Mercurius in aceto ſic extinctus in pulverem abierit, ipſumque Acetum inſtar lactis evaſerit. Permitte hinc Acetum ſuper lenem ignis calorem ſenſim evaporare, uſque dum craſſiuſculum ſit redditum; tum fimo impone equino per 14. dies, poſtea ſuperaffunde Aquam communem, in quâ Sal culinaris vel Alumen fuerit ſolutum; abſtrahe porrò hanc aquam per deſtillationem. Superaffunde denuò, & tertiâ denique vice novam aquam ſalſam, & abſtrahe, ſic habebis Oleum Mercurii, quod omnia corpora ſolvit calcinata limatáve. Signum verò ſolutionis eſt amarities, quam producit. Quòd ſi verò corpus ita ſolutum ſit, ut meliùs ſolvi nequeat, tum quieti id trade, ac deinceps oleum Mercurii inferiùs, oleum verò corporum ſupra profunde, vitro immitte, ac tamdiu quieſcere permitte, donec olea à ſeinvicem ſeparentur ac ſecedant: Sequens tamen mecum fuit commendata procedendi methodus:

Rec. Olei Mercurii drach. iij.
Olei corporum drach. j.

Miſce & fimo impone, ut putrefiat, tum coagula, & ſolve bis ad minimum; & hinc drachma una centum corporis drachmas in Argentum convertet. *Ex eodem Manuſcripto.*

Mercurium malleabilem reddere.

Libram unam Nitri puri ollæ vitreatæ immitte, affunde aquam fontanam puram, eandemque ſuper ignem lentum denuò evaporare permitte. Tum verò Nitrum ſuper marmorem aliumve lapidem in medio nonnihil cavum expone in cellam, & ita ſolvetur illud bidui vel tridui ſpacio, quod in pelvim ſuppoſitam depluere curato, & vitro immiſſum obſervato. Dein contunde minutim quatuor uncias Sulphuris, inde in Cucurbitam, atque Nitrum in Aquam ſolutum ſuperaffunde, pone in arenam,

arenam, injice alembicum, ſubde ignem, & aquam abſtrahe, ſervaque. Poſt hæc Mercurii crudi aquâ forti ſoluti & in calcem præcipitati libram unam vitro immitte, ſuperaffunde Liquoris Nitri in aquam fuſi libram unam cum dimidiâ, ac Salis alcali ſemunciam, Ardenti verò duas drachmas, quas priùs Aquâ forti ſolviſti, inſuper adde; hinc Vitrum arenæ impoſitum relinque apertum, ac ignem ſubdito, ut arena caleat, ſic maſſa ſenſim in vitro exiccabitur ac indurabitur, quo facto, vitrum frange, maſſam à vitri fruſtis ſeparatam crucibulo immitte, adde drachmas duas Salis cujuſdam Alcali, fluat hinc maſſa, quæ ſic igne ſubdito probè fuſa in excipulum effundatur; frigefacta enim atque indurata malleabilis erit, Lydioque lapide candidas Argenti inſtar lineas affricta dabit. *Ex eodem manuſcripto.*

Mercurium coagulare & figere.

Mercurium vivum immitte in cucurbitam, cooperi vel tege ipſum probè Herbâ Chelidoniæ majoris contusâ, pone ſuper ignem, ſic paulatim coagulabitur Mercurius. Vel Mercurium pone in Sanguinem Fœminæ cujuſdam menſtruum, atque tantundem ſucci è Floribus Papaveris rheados expreſſi, parumque Euphorbii pulveriſati adde. Linque ſic infuſum tridui ſpatio vel diutiùs Mercurium, & ipſum videbis coagulari atque ita indurari, ut etiam malleari poſſit inſtar Argenti. *Ex eodem manuſcripto Zvingeriano.*

Argenti vivi congelatio cum Oleo.

Fit & Argenti vivi congelatio cum oleo alia, & ſic factitatam à multis reperio, retinet tamen aliquid, & ingenioſa eſt valdè. Ex Argento, rubro Arſenico & Aurichalco, vas efformetur in ſcyphi ſpeciem, quod ritè operculo cooperias, ne reſpiret, vivo Argento reple, & juncturæ luto muniantur cum aliquo Ovi albumine, vel reſinâ Pini, ut fit, & in ollam ſuſpendatur, lini Oleo plenam, & naturalis diei medietate ſinas ebullire, extrahe, & exemptum corio vel ſtramine exprimito, & ſi quid incongelatum fuerit, cum eo opus iterato, & ſimul coagulari cogito. Si vas tardè coagularetur, quantum ponderis amiſiſſe vides, ex Aurichalco & Arſenico rependas, è pondere enim dignoſcere nos poſſumus, & demum utere. *Porta.*

Argen-

Argenti vivi coagulati fixatio.

Jam poſcit ordo fixationes aliquas apponere, cùm ſemper coagulationibus ſubſequantur, quæ plus aliquando, minúſve retinent partium. Unde Argenti vivi coagulati fixatio hæc ſic procedit, nec abſque ratione: Teſtaceum vas, quod igni reſiſtat, parato, cujus fundo, Sambuci radicum raſuram ſubſternas, manibus calcando, & accommodando, aliud deinde ſternito pavimentum è cryſtallino vitro, in pilâ tuſo, & per incerniculum trajecto, & ſubtiliſſimo: inde Piperis, Zingiberis, & Cinnamomi aliud, malagma illud, vel congelatum Argentum vivum imponas: inde vas reple pulveribus eiſdem ordine præpoſtero, operculum imponito, ac luto munito. Soliſque interdiu credendum, ut ad candorem reducatur. Si vas invertas, & levibus ſubjectis prunis ſupra primam incandeſcat per horam, inferius poſtea, & colliquetur, & purum reperies Argentum, ſi quid remanet alienum, omne non congelatum evolat, & ex omnibus, quas videre contingit, & experiri feliciſſima hæc ſucceſſit, omnibus uti poteris, vel in corpus illuc fixat, quo fuerit congelatum. Eſt & alia Argenti vivi fixatio, non utilitate inferior, & uti poteris, ſi placuerit: Sal nitrum & Tartarum triturentur, in pollinem redigantur: igne intus admoto, flammam erigens comburitur, remanens in aquam vertatur, & levi flammâ evolet humidum, & ſal remanens cum Chryſocollæ factitiæ combuſtæ (comburitur enim ut Alumen) triplo permiſceatur, Salis alcali duplo, hoc congelatum involve vaſe duro, ignis ſupra admoveatur, inde circum, tandem inferius ſenis quibuſve horis, & partes retinent congelati aliquas. *Joan. Bapt. Porta.*

Argentum vivum ut cogatur.

Fumus metallorum, præcipuè Plumbi, cogit Argentum vivum. *Cardanus.*

Modus Mercurium præparandi indurandiq́, ut ſub malleo ductilis & fluidus fiat, variisque modis elaborari poſſit. Ex quo argento innumeræ ſtatuæ Viennæ & Neoſtadii in Auſtria confectæ ſunt.

Liquefac Saturnum, quem adhuc calidum in vas rotundum ponito, lapillum imprimito rotundum, ut foveam nanciſcatur, tinge linteolo, ſuper quod collocetur Mercurius, & in cineribus calidis, donec dureſcat, relinquatur:

infractis dein particulatim Mercurii partibus in Acetum forte conjicito, coquito ad horæ quadrantem: vel partes Mercurii confractas cum ſucco Bugloſſæ, pauxillo aceti, & olei ebullire ſinito, ut ſuprà dictum. Nam hac ratione mortificatur. Quibus factis, adde ſalis Ammoniaci drach. ij. Aceti menſuram ſemiſſem: Mercurium in vaſe operculo obducto & probè lutato ad octo aut decem dies relinque, quò acetum Mercurio ſurditatem adimat omnem: poſtea Mercurium in vaſe circumlutato ad ignem ponito, donec ſenſim incandeſcat, & fragorem edat. Tandem Mercurium in ollam cujus fundus ſulphure tectus ſit, ſuſpendito, eamque luto munitam lento igni apponito, ut ſenſim caleſcat, & Mercurius à Sulphure fumum recipiat. Hoc fac per menſem ſemel in die, & Mercurius fuſilis ductilisque erit. *Wilhelmus & Martinus Friderici Imp. Chymici.*

Ex Plumbo Argentum vivum ut fiat.

Sumito Plumbum in tenues laminas redactum: ponantur in vaſe vitreo, unà cum Sale communi interpoſito; deinde cooperiatur optimè, & ſub terra relinquatur per dies novem: & Argentum vivum reperies. *Fallopius.*

Modus ſublimati Mercurii, ſive Argenti vivi, quo utuntur Chymiſtæ & Aurifices.

Accipe Argenti vivi libram unam, ponatur in ſcutellam ligneam, addito Aceti & Salnitri puſillo, miſcendo benè, atque mortificando, quibus factis addito Salis communis contriti libram ſemiſſem, Salnitri in pulverem redacti drach. iv. Aluminis uſti, & triti libram j. cum dimidia. Miſceantur benè, & ponantur in cucurbitam lutatam, ad collum uſque, & alembico ſuperaddito deſtilletur in cineribus, primò igne lento, quouſque humiditas omnis exierit, quæ conſervanda erit. Valet enim ad multa & varia, præſertim ad macerandum Argentum vivum. Humiditate exemptâ, augeatur ignis continuè, donec Argentum vivum conſpiciatur album, id eſt, donec videatur ſupra feces manare, ut albus panis. Quòd ſi velis ut plus aſcendat ad collum uſque, papyrum circum eam partem, quæ foris nuda apparet, ponito: deinde igne plus aucto, videbis paulatim aſcendere ad ſuperiora Mercurium ipſum, ad formam campanæ. Quibus deinde frigefactis, atque alembico ablato, eximatur cucurbita, ac mundetur forinſecus.

cus, ne fractâ aliquo modo Argentum vitietur: demum frangatur cucurbita, ut Argentum colligi queat, verùm ita ut à fumo non lædatur. Cæterùm hac ratione poſſunt fieri maſſæ ducentarum librarum in una cucurbita, modò debita materiarum proportio ſervetur. Porrò materia in fundo relicta, nempe feces terantur, & in aqua ferventi diſſolvantur, colenturque, deinde coquantur & ſiccentur. Remanebit enim in fundo materia ſali ſimilis, ex Sale & Alumine mixta. Valet enim hoc Salnitrum ad ſublimandum Argentum vivum recens, addito aceto, vel loco aceti, aquâ per ſublimationem deſtillatâ. Porrò ſupradictum Argentum vivum ſublimatum, cum Alumine, vel Vitriolo denuò & facilè ſublimari poterit, ſi modò pro qualibet libra ſublimati Argenti, addantur Salis, vel Aluminis uſti, vel Calcis vivæ libra ſemiſſis, deinde in cucurbitam ponantur ad ſublimandum ut priùs. Nam ſi citiùs ſublimabitur, pulchrius meliusque evadet: quantò enim ſæpiùs ſublimatur, tantò citiùs pulchrius evadit. Alchymiſtæ præcepta *Geberis*, *D. Thomæ*, aliorumque Philoſophorum ſequentes, tantùm ſæpè laboris in ſublimando ſumunt, ut id fixum reddant: ſuntque qui centies, atque etiam ducenties ſublimârunt: quorum omnis labor irritus tamen fuit: quod quidem certum eſt evenire, quòd ſemper feces, nempe Alumen, vel Sal, vel Vitriolum, ut dictum eſt, addiderint: & cùm ignis natura ſit, volitantia ſiſtere atque conſtringere, conſtat, quò ſæpiùs ſublimata fuerint, eò etiam duriora effici: Verùm ea pars, quæ paulatim conſtricta erat, cùm ferè fecibus permiſceretur, nuſquam apparebat. Quare hi, cùm cauſas, & modos, ut par eſt, non conſiderarent, viderent autem ſublimatum paulatim deficere, aut evolâſſe, aut igne conſumtum credebant potiùs, quàm fecibus eſſe permixtum. Itaque cùm philoſophicè quis fixando ſublimato, progredi vult, oportet ut ter vel quater, cum Sale, vel Alumine uſto, vel Calce vivâ, vel Talco, ut antea dictum eſt, ſublimetur. Nam ſic, non ſolùm ab omni terreſtri materia, verùm etiam à qualibet redundanti humiditate purgabitur. A materia quidem terreſtri expurgatur: quoniam remanent in fundo cucurbitæ unà cum reliquis fecibus, id eſt, cum Sale, Alumine & Vitriolo. Ab humiditate verò ſuperflua, quoniam partim per evaporationem, unà cum aceto reſolvitur, partim per iteratam ſublimationem ignis naturam aliquo modo aſſumit: quæ cauſſæ potiſſimùm ſunt,

ut fixus reddatur, quæ duo fixationis præcipuè ſunt partes, aut potiùs ſolæ. Neque quicquam in hoc propoſito, rem eſſe fixam intelligimus, quantum excoctam eſſe, tantamque cum igne habere ſocietatem, ut neque fugiàt ampliùs, neque quovis modo igne abſumatur. Quare cùm ter quaterve ſublimatum fuerit, ut dictum, ſublimatur per ſe, abſque reliquarum additione, toties, donec in fundo fixum remaneat, neque ignis ullâ jam vi fugiat, & minuatur. Verùm ſi citiùs, faciliusque parare voles, hac ſecuriſſimâ, ac philoſophicâ viâ procedito: nempe ter, aut quater ſublimatis, ut dictum eſt, adjungatur quarta pars Argenti puriſſimi calcinati, ut ſuo loco docebitur: quib. deinde optimè mixtis, & ſublimatis, miſceantur ſimul: nempe illud, quod ſublimatum eſt, cum illo, quod in fundo relictum eſt, & conterantur: deinde rurſus ſublimentur. Hoc quidem toties faciendum, quoties non ampliùs aſcendat, ſed in fundo maneat, etiam igne vehementi. Atque ſic erit perfectum: album, mundum, fuſile, & penetrabile. Quòd ſi quis majorem copiam facere velit, neque Argenti optimi, quartam partem addere poſſit, ſumat partem aliquam ter, aut quater ſublimati: cui addatur deinde quarta Argenti puri pars, & ſublimetur, ut dictum eſt. Quibus factis, ſumatur hoc Argentum fixum, cui addantur Argenti vivi, priùs ſublimati, non fixi, partes tres, miſceantur, & ſublimentur, ut ſuprà dictum eſt, donec fixum remaneat. Quòd ſi adhuc majorem copiam facere voles, rurſus partes tres non fixi, huic addito, atque rurſus, ut priùs facito, donec fixum evadat, atque ſic deinceps procedendo, donec ſatis magnam habueris copiam. Modus autem hic melior eſt quàm ſi ſemel totum ſublimetur. Quoniam ſæpiùs volatile fixum redditur & fixum volatile, id quod Philoſophi commendant: nam fuſibilius, penetrabilius, & majoris virtutis efficitur. Atque omne ſecretum conſiſtit in hac via ſublimandi, ut nunc diximus, quam primi Philoſophorum, & excellens ille *Geber*, ſequuntur, niſi quòd occultè admodum teneant, utrum ſublimari debeat, quamvis Argentum vivum dicat, tamen aliud quiddam intelligit, quod etſi ſimilitudinem cum Argento vivo habeat, tamen naturâ ad perfectiorem gradum adductum eſſe conſtat: quemadmodum exempli gratiâ, paſta ex farina conſtat, non primâ ratione, ſed ad perfectius reductâ. Cæterùm hæc alta ſcientia aliunde eſſe non poteſt, quàm à ſolo Deo, qui non omni-

omnibus, quibus vult (ut omnes teſtantur Philoſophi) eam largitur, & ſubtrahit. *Alexius.*

Hydrargyrum ut ex corpore foràs evocetur.

Oleum Sulphuris demerſum corpori Hydrargyrum foràs allici volunt, ſtatim illito à balneis. *Hollerius.*

Cæterùm admiratione dignum eſt, quòd ex morbo Neapolitano inunctus, ſi aureum annulum, vel numiſma in ore teneat, & lingua hinc inde volutet, Argentum vivum, quod corpori ex illitu & unguine innatat, ab Auro rapitur, & in annulum devolvitur: nec priſtino reſtituitur nitori, niſi igni admotus. *Lemnius.*

Argentum vivum è Plumbo extrahere.

Poſſumus quoque Argentum vivum è Plumbo extrahere, in hunc modum. Tenuiſſima Plumbi ramenta in ardentem aquam, nullo plegmate redundantem projiciantur, adjecto Tartari, & Salis momento, vel quòd medietatem æquet, & aqua ſuper Plumbum quadrante ſuperemineat, os operculato, & per menſem ſub fimo obruito, pòſt detrahe, & vitreo in vaſe obtorto, ne multum aſcendendo laboret, ignis ſubjiciatur, & aquam extillans vivum Argentum in guttulas verſum aſcendere conſpicies: ubi hæ notæ comites apparuerint, aucto igne recipias: Vel aliter Argentum vivum è Plumbo uberius faciliori ſic detrahes viâ. Sit fictilis ollæ fundum crebris foraminibus laceſſitum, & exiguis, in aliam ſubintret ollam ac tenaci luto commiſſuras ſtipabis, brevi, ejuſdemque capacitatis effoſſâ ſcrobe obruatur, ſolâ undique terrâ pedibus conculcatâ, ſuperiorem vacuam mediotenus vivâ repleas Calce, nec aquam expertâ, inde lima quæſitum plumbum, & tenue tritum diſſeminabis, vivâ Calce reple totam denuò, ut in medio collocetur Plumbum, & puerorum urinam expergificabis, ſupra ſic opercula impoſito, omnique oblinito ſpiramento, ignem adhibe vehementem: & undique tumulabis, & per diem immoretur, fortiſſimi enim vi ignis per aperta fundi foramina in ſubjectum vas vivum decidit Argentum, ſextæ illius reſpondens parti. *Porta.*

Ad tingendum & fingendum Mercurium.

Mercurium, vel ſi mavis Argentum vivum, unâ eâdemque via fixum & tinctum ſic habebis. Sume Salis nitri & Vitrioli Romani, utriuſque drach. iij. mitte in vas diſtillato-

rium, ſeu Chymicum organum, ut aquam elicias: priorem adjice, poſteriorem ſerva. Ea eſt, quæ ſtillabit dum alembicum, ut vocant, rubeſcere incipiet. Hæc abſque ulla difflatione ſedulò tibi cuſtodienda erit. Uſus ſic erit: Accipe Mercurii optimi, & ut par eſt, purgati unc. j. Sulphuris unc. ij. & aquæ prædictæ uncias tres: permitte omnia ſimul ſtare, donec aqua limpida evadat. Hanc cum ſua hypoſtaſi & ſedimento rurſus deſtilla, & in fundo alembici reperies Mercurium extinctum, fixum, rubrum, & completum. Audivi à quodam, quem hujus ſecreti participem feceram, ſe abſque ſecunda deſtillatione Mercurium reddidiſſe, qualem hic proponimus, niſi quòd plus ſatis rubicundo tingebatur colore: erat nihilominus corpore adeò duro & fixo, ut nec igni, nec malleo vinceretur, quibus illum examinandum præbuerat. At ſi bonus iſte vir me ſeriò conſuluiſſet, & rogaſſet, ſaturatum, ac profuſum colorem cum unâ & ſolâ coctione facilè emendâſſet, ac diluiſſet. Hic qui habet aures audiendi eas arrigat, & pro tam gratuito arcano mihi gratias ſaltem agat, partemque lucri hinc emerſuri, in pauperes libenter eroget. *Mizaldus.*

Argenti ex vivo Argento faciendi modus.

Argentum vivum purgatum, cum Sale ammoniaco & urinâ bis, aut ter ſubigatur & fricetur optimè, deinde cum ſalina inferiùs dicenda: poſtea iterum bis aut ter cum urina fricetur, ſingulis vicibus per pannum linteum colando. Quo facto, Argentum vivum ſic præparatum in crucibulum ponatur ad ignem temperatum: & cùm incaluerit, carbones candentes imponito: & cùm ignis flammam, colorem mutare perceperis, ignem paulatim augeto, donec flamma apparuerit cœrulea: tum ignem plurimùm augeto cum folle aliquo, diligens pro more in hac arte artificium. Quod verò ſi firmum ſeu fixum, & minimè fumoſum conſpexeris, ab igne auferatur, & habebis Argentum optimum. Salina conficitur hoc modo.

Rec. Salis communis q. ſ. diſſolvatur in Aqua fontana; deinde coletur per filtrum: demum coquatur, donec in fundo ſalina apparuerit, quâ ad ſupra dicta utere. *Fallop.*

Argentum vivum ut in calcem, ſive pulverem rubrum redigatur (Præcipitatum *vocant.*)

Hydrargyrum repurgatum à ſordibus ampullæ inditur,

tur, & in æquali aquæ validæ pondere ſupra cineres modicè ſolvitur: deinde per arenam paulatim evocatur, dum pulvis rubicundus in fundo remaneat. Is poſtea catillo imponitur, & leviter incaleſcere ſinitur: vel in patella fictili vitreata, vino ſubtiliſſimè deſtillato aliquoties perfunditur incenditurque, hoc exuſto, pulvis Aquâ roſaceâ diluitur, exiccaturque, tandem iterum Vinum admiſcetur, accenditur, collocaturque in locum calidum, donec ſiccus evaſerit. Quidam unc. iv. Hydrargyri in unc. vj. aut octo Aquæ validæ deſtillatæ ex Salis nitri & Aluminis pari menſura, ſolvunt: mox aquam ad pulveris ſiccitatem extillant, & in catillo modicè exurunt, reſervantque in loco calidiore: ne humore infectus, tandem in priſtinam ſuam formam convertatur. *Andernacus.*

Oleum Hydrargyri, ſive Balſamum.

Fit autem, dum Hydrargyrum in Calce fecularum Vini exiccatarum purgatur: deinde per Calcanthum, Salem Nitri & Alumen in altum elevatur: poſtea Vini ſpiritu correcto digeritur, donec in mucoſam pinguedinem tranſeat: hinc liquor extrahitur, & in arena igne fortiſſimo urgetur quoad humor lactis inſtar exſtillet: hinc iterum affunditur, & oleum albiſſimum ſuaviſſimumque, omnis erodentis facultatis expers provenit: quod omnium metallorum olea præſtantiſſima ſuperat. Ex eodem ſi cum Auro digeratur, congeleturque poſtea, ſummum artis Magiſterium, ſive Elixir confici tradunt. *Paracelſus.*

DE SECRETIS AURI.

CAP. III.

Aurum excreſcere & augere.

SI optabis Aurum excreſcere plurimum, & augeri: Si in vas fuerit efformatum, aliudve, ſi ponderi magnitudo non reſpondet: Aurum fluido argento manibus digitisve perfricabis, dum illud bibat, donec quæſitum expleat pondus ſuperficiei cohæreſcens: deinde validum parato lixivium ex Sulphure & Calce vivâ, & cum Auro in ollam patentioris oris conjice, levibus ſubjectis prunis tamdiu indeſinenter bulliat, dum ſuum jam colorem contraxiſſe perſpexeris: ſic eximito, & habebis. Vel ex Ovorum boletis, Lythargyrio aureo aquam valido exigito igne, & in

eo ignitum Aurum extingue. Si autem unumquodque excreſcere volueris, ſic habes aliud optimum: ſi ritè peregeris Aurum ſatis ponderoſum reddes, nec cælaturæ formæque erit impedimento: ſedulus tamen eſto. Antiquorum laterum ruberrimi Salis nobis ubique venalis ac flagrantiſſimus Calcanthi pulvis paretur, aptoque inſpergas vaſe: Argentum pulverabis, vel forti Aquâ, vel ex Calce, vel levi artificio aliquo: inde Aurum viciſſim cum pulvere inſpargendo accommodabis, ac præpoſterè vas explebis, & obturabis, igni accommodato per tertiam diei partem, nec ignem follium vexes ſpiritu, detrahe, & ſolis pulveribus ſine Argenti calce innovabis & explebis. Si Aurum colorem deperdet, ſic reſarcies: ſalnitro, ammoniaco Sale, Calcantho, & Laterculorum pulvere, cum urina ſtrigmentum facies Aurum operi, & lento condes igni. Eſt & loturæ genus aliud, uti fieri conſuevit: Aceto ebullire curabis, Sale ammoniaco, Ærugine, Tartaroque, dum amiſſum recuperet colorem. Si fulgentiſſimum nitet, & remiſſius optas, remedio eſt, ut urinâ madefactum in candentem laminam refrigerari ſinas. Sic Calcanthum concremabis, ut flagrantiſſimum reddas: in vas conjectum, carbonibus obrutum decoquatur, dum in florentiſſimum & flagrantiſſimum colorem permutetur, ex invito & recondito, nec in malum ſuſcipies uſum. Poſſumus Æris ramentis aliter opus explere, Argenti vicem explens, nimiumque ponderis ſuſcipiet. Et fit aliter: Antiquos lateres ignitos in oleo reſtingues, inde terito, & cum vivo Argento remiſto, marmore ſimul lævigato, ac vitreo in vaſe ad ignem imponito: eliciatur oleum, cujus igniti operis extinctione augeſcit pondere. Aliter autem, & perfectius aurum augebitur: Si Æris duplum cum Argento colliquetur, inde in tenues ducatur bracteas, ac parvulas. Parato interea è fortis Aquæ fecibus pulverem Salnitri ſcilicet, & Calcanthi, & Forti in vaſe fuſorio lamella, pulvis, inde augendum Aurum accommodetur, & præpoſtero ordine vas explebis, poſtremò os luto munito, & igni lento committito per diei medietatem, detrahe, ſemper idem innovando, dum ad ſtatum pervenerit pondus. *Joan. Bapt. Porta.*

Ad Auri & Argenti pondus augendum.

Aqua ex ſtercore humano chymicis organis deſtillata, Auro & Argento pondus adauget. *Mizaldus.*

Aurum

Aurum ex Argento extrahere.

Quæritur & apud Chymiſtas Aurum ex Argento extrahere: nec tam parum, quin ſumtibus reficiens, multum non ſuperlucreris, hæc eſt ejus conficiendi norma: Tenuis elimata Ferri ſcobs in fuſorium vas, & durum igni tamdiu incandeſcat, dum ſolvatur: inde factitiam Chryſocollam, qua Auri ferrumini utuntur aurifices, & rubeum Arſenicum paulatim inſpergito, & poſtquam inſperſeris, æquali Argenti pondere injecto, exquiſitè purgetur, vaſe cineribus parato & forti, jam excluſis ſordibus omnibus auri in ſeparationis aquam immergito, & Aurum deorſum vaſis fundo procumbit, colliges, nec veredicum magis è multis, & pecuſioſum, & laborioſum reperimus, laboribus ne parcito, & ritè miniſtrato, ne tempus & oleum teras. *Porta.*

Ad faciendum Solem.

Accipe Sulphuris vivi & Salis nitri ana, tere omnia ſeorſim: poſtea miſce pulveres, & pone in bocia vitrea benè lutata, ad ignem lentum appone per horas duas, poſtea ignem auge, donec fumus ceſſet: poſt fumum veniet flamma extra collum bociæ & aſcendet per ulnas, ſeu brachia duo, vel tria: & ceſſatâ flammâ remanebit Sulphur in fundo, quaſi albus & fixus, tunc extrahe, ac recipe dictum Sulphur fixum, & tantundem Salis ammoniaci, & tere omnia, & benè in pulverem redige, ac commiſce: deinde omnia pone ad ſublimandum, dando primitùs ignem lentum, deinde fortiorem, donec aſcendat per horas quatuor, ſublimatum extrahe, & omnia, nempe tam ſublimatum, quàm feces ſimul incorpora, & iterum ſublima, ut primò uſque ad ſex vices, & Sulphur remanebit in fundo vaſis: quod accipe, & tere, ac ſuper marmor, aut vitrum in loco humido pone, & convertetur in oleum: de quo pone duas vel tres guttas ſuper uno ducato in crucibulo liquefacto, & fiet oleum, quod pone ſuper marmor, & congelabitur: de quo pone partem unam ſuper quinquaginta Mercurii purgati, & fiet Sol optimus. *Cardan. Hiſpanus.*

Pulcherrimum opus ad multiplicandum Solem.

Ad honorem & laudem Dei tractetur hoc, quod ſequitur, de aliquibus metallorum tranſmutationibus. Et primò dicimus, quòd Luna de ſe eſt verum Sol, & illi aliud

non convenit, quàm perfecta decoctio. Et ideò fac, ut habeas uncias tres Lunæ finæ, & fiat cineritium ex duabus partibus cineris Vitis, aut lignorum benè recocti, & loti, & unâ parte oſſium Equi, vel Bovis, benè combuſtorum, ut alba ſint, & in pulverem redacta ſubtilem, & miſce cum dictis cineribus, & irroretur aqua, pòſt fac tuum cineritium in patella terrea forti, aut in fovea in terra, quæ debet eſſe magna benè æqualis, & benè lævigata, & benè exſiccata. Poſtea fundatur tua Luna in dicto cineritio, & ſit benè purgata, & affinata, ita ut tua Luna ſit ut cupellata. Poſtea cape tuam Lunam ita mundificatam, & percute in laminas tenues, ſpiſſitudinis albi duplicis, vel circa. Poſtea habeas de ſale communi præparato per modum qui ſequitur. Capies poculum terreum & impleas ſale, poſtea detine in tuo hypocauſto, & facies circumcirca, & uſque deſuper fortem ignem carbonum, per ſpacium quatuor, aut quinque horarum. Et cùm terminus dictus præterierit, permitte quieſcere quantum vis, vel coagulari, extinguendo tuum ignem. Poſtea cape tuum Salem, quando eſt benè albus, & pone in uno alio vaſe, cum aquæ mundæ magna quantitate & permitte totum liqueſcere circiter per diem unum, & move ſæpiùs, ut citiùs fundatur. Poſtea cape linguas filtri, & deſtilla paulatim dictam diſſolutionem in aliud vas, poſtea cape patellam terream plumbatam, & intus pone aquam deſtillatam, ſuperiùs dictam, pone ſuper parvum ignem, & coagula paulatim, poſtea habeas patellam ſtanneam planam & mundiſſimam, cum qua colliges tuum Salem eâ menſurâ, quâ congelabitur, & ſerva tuum Salem, quoniam eſt præparatus, poſtea cape tuam Lunam ita purgatam & percuſſam, ut ſuperiùs dictum eſt, & habeas duos *gliodes de Barbier* (Gallicè) & in uno fac unum ſtratum tui ſalis, poſtea unum laminarum: poſtea ſalis, & ita alternatim, donec duo tua vaſa ſint plena, poſtea conjunge unum alteri, & luta juncturas, poſtea habeas furnellum ventoſum, factum ad tuam diſcretionem, qui habeat craticulam ferream, ſuper quam pones tuum vas in foſſam, in bonum ignem carbonum, ita ut ſit ſemper ut rubeum, per ſpatium 5. horarum. Et ſupra tuam fornacem erit cappa, vel tegumentum terreum, quod tuum furnellum totum teget, & in fundo (aut ſuperius) habebit unum parvum ſpiraculum. Et cùm terminus tuæ materiæ tranſierit, remove vas, & permitte frigeſcere, poſtea cape

tuam

tuam materiam, & pone tuum Sal ad ſiccandum, & cape tuas laminas, & videbis, quòd erunt ex imperfectione ſua nigræ factæ. Ergò frica eas benè, de tuo poſſe, ut prohibeas eorum obſcuritatem, poſtea repone in novo ſale in tuo vaſe, ut antea feciſti, hinc & in tuo furno, ut ſupra: & ita toties fac, ut invenias, quòd tua Luna nil plus nigredinis teneat. Et tunc habebis tuam Lunam præparatam, ut facias opus tuum. Tunc ergo funde, & facias virgam rectam, & politam, & pondera, ut ſcias juſtè quantum habeas. Et facias inde ſexaginta partes æquales: poſtea habeas de fino Auro quantum de Luna, & purga per modum qui ſequitur. Cape de craſſo ſale aliquantum, ſicca ad ignem, ſed non nimis, poſtea cura ut habeas mortarium æris, aut aliud benè lævigatum, & intus tere dictum ſalem ad extenuandum: poſtea habeas ex magis vetuſtis tegulis, & magis rubeis, quàm ſit poſſibile: & tere benè minutim, & cribra optimè, & munda, poſtea cape duas partes tuarum tegularum ita præparatarum, unam partem tui Salis antedicti, & benè ſimul miſce, poſtea cape aurum ſuperiùs dictum, & percute in laminas tenues, ut feciſti de Luna, & cape duo vaſa, ut feciſti cum Luna, & intus facies ſtratum tui cæmenti, & poſtea ſtratum tuarum laminarum, &c. quouſque totum ſit plenum utrumque vas, poſtea junge ſimul, & luta, poſtea pone in tuo furno ardente cum bono & forti igne per ſpatium xxiv. horarum. Et in octo primis horis dimittes tuum ignem, tectum ſuo coopertorio, ut moderetur calor ejus: & aliis octo horis removebis cooperculum: & ultimis octo horis facies ignem fortiſſimum, qui fieri poſſit. Et in omnibus ſupradictis terminis tenebis tua vaſa rubefacta, ut de Luna feciſti, poſtea cape tuum Aurum, quoniam eſt præparatum, & pondera, & fac ut tantum habeas, quantum de Luna æqualiter, poſtea habeas vas factum ex optima terra, benè politum, & funde tuum Aurum intus, poſtea da illi ad comedendum peciam unam, vel fruſtum Argenti tui ſupradicti. Et ad primum fruſtum quod dabis, habebis peciam nigri Smalti, vel encauſti (eſmail) latitudinis tui crucibuli, quam pones intus, tenendo tuam materiam in fundo, & ſtatim fundetur, & cuſtodiet tuam materiam ut nihil diminuatur, poſtea habebit tuum vas unum cooperculum, quod teget, & tegumentum pyxidis. Et in fundo dicti cooperculi erit foramen (buhat) parvum, quod ſuperabit, aut ſupereminebit igni, per quod ſcies num tua

materia

materia ſit fuſa, & per quod tu illi dabis quotidie, id eſt, ſingulis viginti-quatuor horis ſtructum tuæ Lunæ, poſtea claude, vel obtura cum parvo cuneo, vel obturaculo terreo. Et non eſt oblivioni tradendum, quòd oporteat, ut tua materia ſemper ſit fuſa die noctuque. Et ſcias, quòd tota Luna præparata, ut dictum eſt, quam intus projicies, convertetur in purum Solem. Et ita potes projicere uſque ad numerum infinitum, & probatum eſt. Et ne obliviſcaris, quòd ſub tuo vaſe oportet ponere ſub craticulâ tui furni paropſidem, ſive ſcutellam terream, ne ſi tuum vas frangeretur, tua materia nimis amitteretur. *Raymundus Lullius.*

Alio modo ſubtilius Ejuſdem.

Capiatur Luna affinita, ut ſuprà dictum eſt, & limetur limaturâ benè mundè, poſtea miſceatur cum ſui ponderis Sale communi præparato, ut ſuprà, poſtea pone in crucibulo clauſo, & lutato in uno furno, ut ſuperiùs dictum eſt, per quatuor dies (fortaſsè horas) poſtea extrahatur aqua, & lavetur cum dulci aquâ calidâ: fundetur Sal, & ita toties lavetur, ut aqua exeat dulcis, & clara: & ſingulâ vice permitte tuam Lunam reſidere, antequam aquam extrahas, & Salem, poſtea exſicca: poſtea iterum miſce cum ſui ponderis novi ſalis præparati, ut ſuprà, & coque per terminum, ut ſuprà, poſtea lava ut dictum eſt. Et ita habebis tuam Lunam præparatam & albam: quam pone in uno perot, (vas eſt) benè polito ad furnum tanquam ad minium faciendum, & calcina per ſpacium ſeptem dierum, per modum faciendi minium ex plumbo, & octodecim horas pro quolibet die, faciendo ignem cum flamma benè clara deſubtus ſine fumo. Et ſæpiùs converte dictam calcem Lunæ cum cochleari ferreo parvo, & qualibet vice claude & obtura os tui vaſis cum ſuo cooperculo benè juſtè: & quolibet die irrora tuam calcem Lunæ cum aqua ſequenti: Et ita tua calx fiet admodum pulchra & naturæ Solis. Et tunc habeas tuum fermentum ex fino Sole, & imbibe, & coque in Furno ventri, ut dictum eſt ſuperiùs, præterquam quòd iſtud nutritur ad trigeſimum, & aliud ad ſexageſimum. Et nota, quòd ſuper tuo fermento fuſo ad fornellum ponatur parum viti, aut nigri ſmalti (eſmail) ut ſuperiùs dictum eſt, & non decreſcet aliquid. Et reverſio,

ſio, ſeu recurſio, ſeu recurſus tui operis eſt, quòd quando converteris tantum pondus Lunæ in Solem, ut tuum fermentum ponderat, capiatur tua maſſa, & funde pro Marcha v. eſtrelius (Gallicè) finiſſimi Æris cum tua maſſa, poſtea fac accudere in tenues laminas, & pone in cemento ſtratum ſupra ſtratum alternatim per placentulas craſſas, ſicut panis denarii, vel oboli (in Picardia vel Gallia) & nutrias in igne rubeum, ut eſſe poteſt ſine fuſione, & per integrum diem, & ita erit finum, & admodum bonum: poſtea permitte frigere, & aperi. Et cementum ita fiat. Recipe partem Salis communis præparati, partes duas Tegularum veterum, & magis rubearum, quàm inveniri poſſint: poſtea terantur in mortario æneo, cum piſtillo ferreo, & fac tanquam lutum cum aceto fino, & utere ut vis. Et tua crucibula ſint fortia, benè polita, & ex forti terra macinata: ex aliis crucibulis, aut ſimilibus, & oſſibus uſtis, albis, tritis in tenuem pulverem: Cementum Solis aliter etiam ſic fit (ut in margine erat) Duæ partes tegularum ſarracenicarum, tertia ſalis miſta in fundo crucibuli poſitæ, Auri tenues laminas ſuperpone, iterum pulverem ſuperponens, ſic donec fuerit crucibulum plenum, pone ſuper tripodem in olla perforata, & imple ollam carbonibus priùs in loco, ubi non ſit ventus & ſic affinabit Aurum.

Aurum & Argentum quomodo clàm deferatur.

Aurum & Argentum aquâ ſeparationis ſolve aut ſolutum denigra, inde Aurum plumbo, Argentum pice liquefactis immiſce, aut arenæ: & ſic occultè deferes. *Cardan.*

Aqua Aurum ab Argento ſeparans.

Rec. Salis petræ unc. viij.
Vitrioli unc. iv.
Sulphuris unc. j.

Trita, & deſtillata, aqua ad uſum ſervetur. Cùm uti voles, Argentum cum Auro imponito, & Argentum in aquam reſolvetur; Aurum verò in cineres redigetur. Coletur aqua à cineribus. *Fallopius.*

Aqua Aurum ab Argento ſeparans, alia.

Accipe Halinitri partem unam, liquidi Aluminis, quod *nochæ* vocant, partes tres, arenæ mediam, ſiccata diligenter,

ter, & purgata igne diſtillatur vitreis vaſis. Colligitur autem ſeorſim quod priùs effluit, cùm crocea demum videtur vaſis facies: auctis ignibus alia ſuccedit, quæ priore excipitur plerumque. Separatur autem ſic: Aquæ extractæ partem modicam accipe, cui Argenti puriſſimi pondus oboli, id eſt, xij. granorum impone, ac impoſitam cineribus tamdiu permitte, donec diſſolvatur Argentum. Hæc purgamenti calci tenui ſimilia in imum vaſis demittet: quibus ſublatis, quod reliquum eſt aquæ purioris, toti aquæ, à qua jam detraxeras, addes, quæ ſimili exemplo, & ipſa purgamenta illis ſimilia in imum demittet: quibus ſublatis aquam totam puriſſimam, ac magis habebis ad Argentum, ac cætera metalla, præter Aurum, diſſolvendum efficacem. *Cardanus.*

Ut Aurum ab Argento ſeparetur.

Solem, ſeu Aurum, ſic à Luna, ſeu Argento ſeparabis. Corpus rei deauratæ Oleo lini inunge, & pulveres Aluminis rochæ vocati, ac Salis ammoniaci deſuper inſperge: deinde calidâ omnia in aquâ extingue, remanebit in eis Aurum ſeparatum. Ex quodam perito Aurifabro. *Mizaldus.*

Liquor ſive Aurum potabile.

Auri per regale cæmentum, ſive Stibium purgati lamellæ, ex viridi Salis liquore in pulverem reſolvuntur: is deinde aquâ pluviali diſtillatitiâ tamdiu abluitur, donec nulla ampliùs ſalſedo ſubeſſe percipiatur. Aut ſi celeriùs idem expedire cupias, Auri laminæ cum plumbo in lamellas redacto obteguntur, & per horas 24. cæmentantur ut vocant, lævigantúrque, dum calx Auri ſubtiliſſima fiat. Poſtea tantum Spiritûs vini ſuper elotum pulverem, vel Calcem repurgatam funditur, quantum ſex digitos tranſverſos ſuperemineat: ac juncturis vaſis probè oblitis, macerantur in aqua temperatè calidâ, ſive balneo Mariæ, diebus viginti, aut triginta. Tum liquor citrinus, relicto in fundo vaſis pulvere candido effunditur, & Spiritus Vini ex ampulla vitrea per operculum à flavo Auri liquore modicè ex balneo ſeparatur. Poſtremò idem liquor Auri extractus, ad ſummum gradum uſque elevari, hoc eſt quinquies per ampullam incurvatam (*retortulam* appellant) urgeri debet: atque tunc quinta Auri eſſentia abſolutè parata dicitur, ſummum Chymicorum myſterium. *Paracelſus.*

Aurum

Aurum potabile.

Aurum in folia redactum, cum Aceti ſpiritu diſtillatur, ſeparaturque, & ex aqua vitæ præparata menſem digeritur, dum ſuccus appareat, cujus ſcrupulus ex ſpiritu, vel humore alterius rei propinatur. *Andernacus ex Paracelſo.*

Aurum diaphoreticum.

Vas Vino rubro nigroque optimo repletur, & in aquam frigidiſſimam collocatur: dein duæ habentur patellæ aureæ, quarum uni, quæ alteram excipere poteſt, linteola rara, & exigua induntur: atque ſic illa vino imponitur, poſtea his incenſis, altera alteri ſtatim immittitur, ſinituraque, dum omnia comburantur. Vaſculis jam refrigeratis, ſemotoque cinere, oleum colligitur: idque toties repetitur, dum ſatis collectum fuerit. Tandem omnis liquor ampullæ inditur, & ex cineribus calidis per operculum ſtillatur: hoc multi pro Auro potabili utuntur, & ſecreti loco habent, atque hunc in modum ex aliis etiam metallis olea elicere poſſumus ut ex Argento ad Oculorum affectus: ex Ære, ad cutis vitia. *Paracelſus.*

Auri balſamum.

Sic Oleum, ſive Balſamum Auri paratur, quod *Paracelſus* Butyrum & Axungiam Solis nominat: quod tum intrò ſumtum, tum foris inunctum, quævis ulcera maligna, etiam Elephantiaſim, ejusque ſpecies curare, & (ut ſummatim dicam) plus præſtare ſcribit, quàm humana mens comprehendere poſſit: habet hoc modo. Auri in lamellas tenuiſſimas redacti drachma, cum Olei è Pino ſemunciâ miſcetur, indituraque vitro, & digeritur per menſem: deinde oleum abluitur, & pulvis, qui in fundo vaſis remanet, ex Melle adhibetur. Vel ſic rectius: foliorum Auri drachmæ Olei maſtichini deſtillati drachmæ ſex miſcentur, maceranturaque in fimo equino diebus triginta, deinde Oleum ex calida aqua abluitur, & Aurum Spiritu vini perfunditur, digeriturque diebus duodecim: poſtea per balneum extillatur, dum Oleum in fundo Butyri inſtar remaneat, quod ter in ſeptimana ulceribus inungitur: quin etiam membris convulſis, & quovis modo debilitatis ſubvenit illud. *Andernacus ex Paracelſo.*

Aurum vitæ ſive præcipitatum cum Auro.

Hydrargyri per Acetum & Salem purgati unc. ij. Auri orien-

orientalis optimi, in lamellas tenuiſſimas redacti drachma, in catino triangulari calido ad mixturam ſubiguntur (Barbari *Amalgana* appellant:) hæc in aquam frigidam funditur, & ſi quid ex Hydrargyro reliquum fuerit; illud per corium exprimitur, ipſaque ex Sale, & Aceto lavatur, donec nullæ appareant ſordes, curâ interim adhibitâ, ne hydrargyri quantitas imminuatur. Quod ſi accidat, augeri ea debet ita, ut ad auri drachmam illius drachmæ ſeptem vel octo remaneant: deinde ampullæ luto obductæ induntur, affunduntúrque aquæ calidæ unc. ij. & operculo ſuperimpoſito, eadem rurſus evocatur per arenam calidam: omnibus refrigeratis aqua protecta iterum infunditur, deſtillatúrque, ut anteà: idque repetitur quinquies: atque tunc pulvis rubicundus provenit, quem *Aurum vitæ*, & *Aurum præcipitatum* vulgò nucupant: poſtea idem in catillum ponitur, cooperitúrque, & inter carbones candentes ſinitur, dum excandeſcat: mox idem eximitur, & ubi refrixerit, Aquâ roſarum humectatur, rurſusque exſiccatur. Junioribus denarii dimidii, adultis verò integri pondere datur; Peſti medetur; Morbum gallicum curat; Elephantiaſim, Aquam intercutem, aliosque morbos difficiles abigit; Viſcerum obſtructiones reſerat; iis qui Venenum hauſerunt, opitulatur; ulceribus malignis curandis tum intrò ſumitur, tum extrinſecus Unguentis, & Emplaſtris quæ purgant, feliciter ad ſordida cavernoſaque non autem ſerpentia curanda admiſcetur. *Andernacus ex Paracelſo.*

Sulphur Solis.

Rec. Auri tenuiſſimè laminati drachm. ij. Mercurij purgati unciam j. M. fiat Amalgama in tigillis candentibus, & fundatur in Aquam; deinde per corium exprime reliquum Mercurium. Tum verò ſimul amalgama tere cum ſalis communis manipulis duobus, & pone ſimul ad exiccandum, per duas horas in carbonibus, exime & rurſus tere, vel ſi placet, in Aquâ calidâ ſolve, donec Sulphur reſideat; dein Aquam effunde, & Sulphur collige, quodque reliquum eſt Auri, exicca; ex eoque cum novo Mercurio fac amalgama, teraturque ut priùs factum eſt, donec totum Aurum in Sulphur ſolvatur. Hoc Sulphur primò exicca, ſecundò in Aquâ fervente ſolve, tertiò iterum ſicca, & ita ſubfuſcus probeque calcinatus pulvis evaſit. Ex hoc autem fit *Aurum* potabile ſequenti modo:

Aurum

Aurum potabile.

Sulphur Solare in Aquâ Salis in cineribus calidis ſolvitur ; abſtrahe denuo liquorem in Balneo Mar. ad oleoſam conſiſtentiam, cui novam Aquam ſalis affunde, iterumque abſtrahe, hocque ſexies vel octies repete. Hoc tandem Oleum Solis in Arenam pone, recentem Salis aquam affunde, lentè iterum abſtrahe, in fine adde fortiorem ignem; ſic Aurum ſimul Alembicum tranſcendet. Si quid Auri retromanebit, ei Aquam ſalis affunde, & ſimiliter ſenſim abſtrahe, idque toties fac, donec omne Aurum fuerit ſolutum; poſtea pone in B. M. & univerſum Sal accuratè hinc per edulcorationem ſepara. Remanens tum Oleum Solis lento cinerum candentium igne coagula; coagulatum lapidem ſolarem ſolve in Quintâ eſſentiâ Vini, & habebis Aurum potabile bonum. Si Oleum cupias habere, abſtrahe Quintam illam eſſentiam in Balneo, & Oleum in fundo reperies. *Ex Manuſcripto quodam Chymico Bibliothecæ Theod. Zvingeri Medici Baſilienſ.*

Aurum Potabile verum Theophraſti Paracelſi.

Solve Aurum perfectè in Aquâ Regiâ, hanc dein rurſus in Balneo abſtrahe, ita tamen, ut ſubſtantia retromanens aliquantulum humida ſit; cui dein frigefactæ Acetum deſtillatum purum affunde, & hoc iterum lentiſſimo ignis gradu in Balneo Maris abſtrahe, uſque dum liquor exſtillans inſipidus evaſerit: tunc autem in fundo reperies Butyrum Solis; Huic affunde dein Spiritum Vini alkooliſatum, ſtet per 14. dies in calore putrefactionis; poſtmodum deſtilla in B. Mar. lentiſſimo gradu, ſic remanebit in fundo verum rubrum Oleum Solis, ſive Aurum potabile. *Ex Manuſcripto Theodori Zvingeri, cui Arcanum fuit communicatum ab Adamo à Bodenſtein.*

Modus terendi Auri.

Sumito foliorum Auri tantum, quantum volueris, ponantur in crucibulum, vel teſtam ad ignem: deinde ſumito Argenti vivi quater tantum, & ſimiliter in alium crucibulum, vel teſtam ponatur ad ignem, ſed non prope, ut tantùm calefiat. Auri verò folia tamdiu ad ignem relinquenda, donec rubeſcere incipiant, ſed non liqueſcant. Quibus factis auferantur ab igne crucibula, & miſceatur Argentum vivum cum Auri foliis, miſcendo aliquantulum ſimul ligno ali-

quo: deinde ſubitò in ſcutellam aquæ plenam injiciantur, & fiat malagma. Verùm ſi aliter facere voles, folia Auri cum Argento vivo, ſuper lapide porphyrio conterantur, donec optimè fuerint mixta, atque contuſa: deinde bis, térve aquâ communi laventur, quòd ſi parum Aceti, vel ſucci Limoniorum addas, optimè feceris: nam meliùs citiuſque permiſcentur. Itaque hoc malagma quocunque modo paratum ſumito, atque per pannum lineum non rarum exprimito, ut pars aliqua Argenti vivi exeat: vel exprimatur per Barnæ, ſive Agni candidam pellem, quod melius eſt, deinde quod in pelle hæſit, conteratur cum Sulphure vivo optimè priùs contrito, adeo ut dimidiam maſſæ menſuram non excedat. Quibus factis, ponatur in vaſe aliquo ferreo ad ignem, optimè cooperto, ibique relinquatur, donec totum Sulphur combuſtum, & quod relictum, flavum fuerit: deinde frigidum in ſcutella aquæ plena, toties lavetur, donec Auri colorem ſumat, & ſervetur ad uſum. Quando autem quis uti volet, addat tantum Aquæ roſarum, vel communis, in qua gummi Arabicum diſſolutum ſit, quantum ſatis eſt, hæc miſce, & fiat liquor aureus ad ſcribendum & pingendum. Quod cùm ſcriptum pictumque fuerit, fricentur literæ dente aliquo leniter, quod cum alio mollito Auro, quo omnes ferè Pictores utuntur, fieri nequaquam poteſt. *Alexius.*

Magiſterium Auratum perlatum.

Rec. Margaritar. Oriental. Unciam dimidiam; Diſſolve in Aceto deſtillato. Poſtea Recip. Auri fini purgati drachm. j. Diſſolve in Spiritu Nitri aurei coloris, tum miſce ſolutiones ac præcipita Oleo tartari per del. filtra, & dulcora Aquâ roſar. Tandem in Crucibulo calcina parum, atque ſic factum Magiſterium aſſerva. *Zvingerus à Scretâ.*

Modus terendi ſive molendi Auri alius.

Sumito folia Auri, quæ in ſcutella aliqua vitrea cum Julapio roſaceo conterito, & miſceto digito medio, ut optimè miſceantur, deinde ſuper lapide prophyrite, aut marmoreo poſitis, rurſus probè conterantur, addendo aquam ſenſim: poſtea auferatur atque in ſcutellam colligatur, lapide benè loto aquâ, ut ritè colligi poſſit. Quibus ſic ſe habentibus, Aurum benè digito lavetur: deinde cùm in fundo reſiduum fuerit, aqua ſenſim auferri debet, aliaque ſuperinfundi calida, ac denuo lavari, hocque toties faciendum,

donec

donec Julapium, lavando probè ablatum fuerit, aquaque dulcis ampliùs non apparuerit. Poſtea exiccatum Aurum, in vaſe aliquo vitreo ſuper cinerem calidum poſitum, tamdiu ſinendum erit, donec optimè calefiat: atque colorem ſuum naturalem recipiat: quo facto, contemperetur aqua gummi: & fiat liquor ad uſum. *Idem.*

Ad reparandum Auri colorem.

Si Aurum à ſuo colore degeneraverit, ſic illud emendabis ac reparabis. Ex Sale ammoniaco, Calcantho, Nitro, & Laterculorum pulvere, fac cum Urinâ ſpiſſamentum, & eo obductum opertumque Aurum lento igni impone. Idem fiet, ac multò leviùs, ſi cum Sale ammoniaco, Ærugine & Tartaro, tamdiu in aceto ferveat Aurum, donec deperditum colorem recuperet. Gratis mihi nequaquam acceptum, tibi tamen gratis, ut alia multa exhibeo. *Mizaldus.*

Cimentum optimum ad Aurum expurgandum.

R. Laterum pulveriſatorum & Salis nitri ana partem j. humectata Aceto q. ſ. pone in crucibulum ad medietatem, dein adde Aurum laminatum, eumque replendo fac ſtratum ſuper ſtratum, cavebis tamen ne ſe invicem attingant. Quo facto, vas totum obſtrue lutatoque benè, ne vapor evolet, crucibulum ſuper lapidem, palmæ altitudinem non excedentem, locato, ita ut cum lapillis, non duris admodum, totum circumdes, donec crucibulum nullos ampliùs capiat. His factis ſubſternito ignem validum per horas xxiv. Et habebis Aurum repurgatum. *Ex libro Germanico.*

Calcinatio Terræ Vini & ejus candefactio pro Auro potabili conficiendo.

Pone tres aut quatuor menſuras fœcum Vini optimi ad Solem, ut totus humor exhalet, donec appareant ſiccæ & lividæ (Cucurbita ponatur in arenâ, & infra perlutetur) Eam terram lividam calcinabis in vitro perlutato, & alembico ſuperpoſito, & applicato receptaculo ad tres vel quatuor horas, donec vitrum ſicut terra ferveat, ut extrahatur ſuperfluitas Olei aquoſi, quæ adhuc in terrâ fuit, quia ablata terra erit valde acuta & ignea. Sunt tamen alii, qui eas fœces priùs digerunt in Balneo Mar. cum Aquâ vitæ rectificata, hinc deſtillant, & poſtea exiccant eas fœces in pulverem, & tunc reverberant in furno reverberationis,

donec albificetur. Dealbabis autem terram ipſam cum Aquâ ſuâ propriâ rectificatâ imbibendo eam & diſtillando, donec finaliter terra dealbetur, & etiam pars aliqua aquæ in terram figatur. Quibus peractis pones terram tuam in ſublimatorium, ſuper ignem, & ſublimetur materia quædam clara & alba non nimis altè, quam vitri lateribus adhærentem diligenter colliges. Et illa materia alba dicitur Sulphur vegetabile, quæ ſolùm debet in Aquâ vitæ rectificari, & iterum coagulari, (vide quænam doſis requiratur Aquæ vitæ ad ſolvendum Sulphur) & cum eâ aquâ ſolves Calcem Solis in *Aurum potabile*, vel in *Oleum rubicundiſſimum*, quod eſt veriſſimum *Aurum potabile*. Sunt tamen aliqui, qui terram non ſublimant, ſed quum eſt dealbata, deſtillant eam pluribus vicibus, donec diſſolvatur, & cum eâ aquâ diſſolvunt Auri calcem in Aurum potabile. Poſt terram Vini dealbatam ſæpiùs deſtillabis, in Aquam vitæ rectificatam, ut poſuimus. Et quanto ſæpiùs deſtillaveris hanc Aquam per lapidem Philoſophorum, i. e. per terram ſuam dealbatam, eò acutior & acrior efficitur ad ſolvenda folia Auri in Oleum Solis, vel Aurum potabile, quoniam omnem fortitudinem & acrimoniam ſucci ſolvendi, hinc congelandi capit à terrâ, & hoc tanquam ſacroſanctum recondes pectore ſecretiſſimo: illa eſt Aqua, quam petunt Philoſophi, hæc Aqua eſt aqua noſtra vegetabilis & calorifera, quæ te, ſi diligens fueris, ab omni calamitate eripiet, teque ſanitate, atque divitiarum ubertate donabit in perpetuum. *Ex Manuſcripto Bibliothecæ Zvingerianæ Baſilienſis.*

De Quatuor Secretis Philoſophorum ad Metallorum tranſmutationem.

Arcana Philoſophorum & Complementa quadrifariam dividuntur. *Primum* Secretum Philoſophorum eſt Elementorum ad naturam Ignis deductio: *Secundum*, in Aquam reſolutio: *Tertium*, in Aërem elevatio: & *Quartum*, in terram compreſſio. *Primum* Fit calcinando: *Secundum* ſolvendo; *Tertium*, per Alembicum deſtillando; & *Quartum*, igne levi coagulando. De his Arcanis particulatim tractabo. Ubi notabis ſtatim, ea quatuor ſecreta debere fieri in Auro vel Argento, ſi ad albam tincturam laborare velis. *Primò* enim debet fieri calcinatio Auri,

i. e. ſub-

i. e. ſubtiliſatio, aut in calcem tenuiſſimum deductio, & tunc fit Naturæ igneæ, quod per ignem calcinetur. Et quando factum eſt Aurum igneum & ſubtile, tunc facilè ſolvitur in Aquam clariſſimam, & tunc habes *ſecundum* Arcanum; quo ſoluto deſtillari & aſcendere poteſt, quemadmodum omnis Aqua ſolet deſtillando aſcendere, & tunc *tertium* habebis Secretum. Deſtillatum autem & ſublimatum iterum congelatur in Terram, vel Oleitatem, & tunc peractum eſt quartum Secretum. Et notabis, quòd ſi Aurum non fuerit calcinatum, non ſolvitur: quare calcinationem Auri fundamentum reputabis, de quâ ſermo noſter ſic ingreditur: *Calcinatio* eſt mortificatio, quæ multipliciter fieri ſolet; melior tamen fit cum Mercurio, licèt non fieri poſſit per Salia præparata, aut Aquas fortes. Multum juvant Salia in primordio, perfodiunt enim corpus, ut Mercurius profundiùs in Aurum vel Argentum, & quoque citiùs agere poſſit. Tene hoc tanquam Secretum maximum: Mercurius eſt clavis potiſſima, quæ corpus per calcinationem aperit, ut eò meliùs ſecunda clavis ſcil. Aqua vitæ rectificata ipſum Aurum in humidam Subſtantiam reducere poſſit: hoc petunt Philoſophi, hoc petunt Reges & Principes. Tunc enim facilè Aurum mundificari & claudi poteſt aliâ Clavi, Congelatione videlicet. Nunc in Calcinationem deſcendimus; deſtilla Aquam fontis vel pluvialem ſemel per alembicum, & pone Sal commune ad ignem carbonum in tigillo, fluat, & ſæpiùs moveas ipſum Sal, poſtea impaſtabis cum aquâ pluviali diſtillatâ, bullito ipſum Sal; dein & impaſtabis folia Auri puri, ſuper puriſſimo lapide cum prædicto Sale ſemper parum imbibendo cum Aquâ fontis vel Pluviali; vel etiam, ſi velis, cum Aceto, terendo benè, donec videas calcem minutiſſimam. Quo facto, pone in concham, vel vitrum, ut reſideat ad fundum. Tunc effunde aqueam ſubſtantiam ſubtiliter, donec nihil ſalſedinis in Aquâ per guſtum deprehendas: & pulverem, aut calcem ſolarem calcinabis in furno reverberationis ad diem unum. Sed poſteaquam triviſti cum prædicto Sale, & ſalſedo penitus eſt per Aquam ablata, amalgamabis unam partem illius pulveris ſolaris cum quatuor partibus Mercurii purificati, non in igne, ut communiter laborantes faciunt, quoniam ita ſolveretur, & Spiritus ſubtiles Mercurii evolarent per ignem fortem. Cùm verò amal-

gamâſti, pone eam amalgamam ad calorem lentum in furnello ad 7. dies, ſemper excipiendo in quatuor & viginti horis ſemel illam amalgamam, & terendo benè ſuper duro lapide. Quo facto pones iterum ad calorem lentum, & poſt 7. dies da ignem fortem, ut Mercurius fugiat à Calce Auri. Eam calcem calcinabis in Furno reverberii ad diem unum, & ſic erit benè præparata ad ſolvendum in Aquâ vitæ rectificatâ, quemadmodum in Secreto noſtro tibi manifeſtavimus. Et nota, quòd iſtæ contritiones & calcinationes fieri debent, quia Aurum tam fortiter eſt naturali decoctione compactum ac digeſtum, ut nunquam ſolveretur, niſi priùs per Mercurium ac per Salia acuta perfodiatur, & per ignem calcinetur, quibus factis poſſumus illum ſolvere ad voluntatem noſtram. *Ex eodem Manuſcripto.*

Compoſitio Auri potabilis, vel Tincturæ rubeæ; Solutio Solis, Sublimatio & ejus Congelatio.

Accipe partem unam Calcis ſolaris, & adjunge partes duas Aquæ vitæ prædictæ, pone ad calorem lentum, vitris obthuratis, ut nihil expirare poſſit, ſic ſolvetur Calx Solis viſibiliter: Nimirum Aqua incipit citrineſcere, Aurum verò palleſcere ac luneſcere: & cùm videris totam Calcem ſolutam, deſtillabis Aquam illam citrinam in vitreo Pelicano pluribus vicibus ad calidos cineres, ut Aurum ipſum aſcendat de terrâ ad cœlum, donec nihil de Sole in fundo maneat: hoc eſt Arcanum omnium Arcanorum: & ſi prædicta Aqua vitæ non ſufficeret ad totam Calcis ſolaris ſolutionem, & facta eſt ſpiſſa, plana ac viſcoſa, effundes ſuaviter eam aquam auream ſine turbulentiâ aliquâ in vitrum, & ſuperfundas aliam Aquam vitæ, donec tota Calx ſolvatur: poſtea deſtillabis, & ſublimabis, ut jam propè dixi. Deſtillatum verò pones ad vitrum primum cum parvo Alembico, & lento igne coagulabis, donec efficiatur Oleum. Et ea ſuperfluitas Aquæ vitæ, quæ non videtur utilis, Oleo Solis per alembicum aſcendat, remanebitque tantùm ſola Eſſentia Vini inſegregabiliter ab Oleo Solis. Et illud Oleum Solis, ſi cum Aquâ Vitæ ſolveris, erit *Aurum potabile*, quod omnia elementa purgantia in corpore ſuo ad proportionem reducit, naturam hominis reſtaurat deperditam, & Vitæ oleum i. e. humi-

humidum radicale, ejuſque igniculum in æquabilitate conſervat. Atque eſt prædictum oleum ſuper omnes Medicinas *Galeni*, *Avicennæ* & *Hippocratis*. Imò iſtud præterea Oleum figit Mercurium in Aurum optimum, quod tandem ad Tincturam rubeam ducitur, eo modo, quo in augmentatione & multiplicatione ponetur. Oleum Solis iterum ſolves cum Aquâ vitæ noſtrâ, & iterum coagulabis, donec ampliùs non maneat tenue Oleum. Sententia Philoſophorum eſt, quòd oportet Solem per Alembicum aſcendere cum Aquâ vitæ, toties Aquam vitæ ſuperfundendo, donec totum aſcenderit: & tunc in Balneo lento deponitur per Alembicum Aqua vitæ ſuperflua, & manebit in fundo Oleum Solis, Eſſentia tantum Vini. *Ex eodem manuſcripto.*

Multiplicatio Olei ad Tincturam Philoſophorum.

Huic Oleo Solis debes addere Mercurium ſublimatum eo modo: *Rec.* Unam partem hujus Olei, & adjunge ſeptem partes Mercurii ſublimati per Vitriolum, & Sal commune, ut moris eſt, & imbibe eaſdem partes Mercurii in Oleo in calore temperato, donec Mercurius non ampliùs aſcenderit (incipit figi) Sed efficiatur Pulvis rubicundus inſtar Vermilionis, & tandem ex verâ ſiccitate incipit fluere, (i. e. figi). Iſto pulvere tinges Lunam, Venerem & Mercurium in optimum Aurum ſine omni falſitate, & eo modo multiplicabis Tincturam tuam in Infinitum. *Ex eodem Manuſcripto.*

Augmentum Perpetuum.

Rec. Unam partem iſtius Olei ſolaris, & appone ei ſeptem partes de Mercurio crudo, poſtea mundificato in Cucurbitâ vitreâ & ſtent per octo dies in calore lento, ita ut ipſa Solis oleitas, quæ eſt ſperma generativum, non figatur, (quod ſi fieret, ampliùs non augeretur eo modo) Poſt dies octo excipe partem unam, pone ad ignem fortiorem, ut figatur in corpus. Et hoc Oleum dicitur augmentum, quo ſemper augmentare poteris novum Mercurium crudum, applicandum ut priùs. *Ex eodem Manuſcripto Zvingeriano.*

Aurum potabile Leonhardi Thurneiſeri, Alchymiſtæ præſtantiſſimi.

Rec. Coronatos aureos q. v. (*Thurneiſerus* plerunque accepit

cepit duos, interdum multum) & Antimonium minutim tritum. Antimonium quidem injice tigillo fuſorio in furno venti poſito, ſine fluere, in fluxum projice coronatos; Si parum invicem ſoluti fuerint, effunde in formam, vel catinum fuſorium, quem malleo tundes parum, ut Regulus Solis fundum benè petat. Hinc refrigerari permitte atque indurari materiam, quam poſtea effundes, ac Regulum Solis ab Antimonio cautè & diligenter ſeparabis. Tum novum Antimonium tritum & cribratum in eodem candente tigillo fluere permitte, Regulumque Solis ſimul dein injectum funde probè, iterumque in catinum fuſorium effunde, Regulumque ſepara, quem tertiâ ulterius vice fuſum atque purificatum Cupellæ immitte in Furno exploratorio, igneque hinc fuſorio aliquandiu continuato Aurum finiſſimum, & Ophirinum planè ſive ad 24. Carat. gradum aſcendens redde. Hoc Aurum limetur ſuper pelvi, Limaturam ſolve in Aquâ Regis ſuper cineribus calidis vel arenâ, quod uno atque altero die fit. Solutione factâ abſtrahe deſtillando Aquam regiam, Calcem Solis retro manentem repone in ſcutellâ vitreâ mundâ, cavendo ne ſordibus vitietur: ac eandem poſtmodum in terreo tigillo ſuper ignem lentum colloca, ut Aqua fortis à Calce evaporet, & ſubſtantia Solis ſicca remaneat, (manet autem ſicut Minera Auri fuſca vel carnei coloris, ſub finem ſicca, eleganter flava) & candeſcat ſine liquefactione tamen, tunc ſine refrigerari. Ignitione peractâ & exiccatione, ita ut patiatur trituram, Calcem in mortario lapideo tere diligenter cum Sale petræ, paulò magis, quàm Aurum ſit, tandem Salem petræ lava à Sole per Aquam fontanam, donec Aqua hinc dulcis evaſerit. Hic nunc in promtu ſint Olea Caryophyllorum, Cinamomi, Aniſi, & Camphoræ. Priora tria ſint quàm maximè clarificata, adſint etiam duo vitra oblonga, pura, ac illibata, ſupernè mediocriter ampla, propter affuſionem ultra citraque inſtituendam, non tamen longiuſculo magis ſpatio, quàm par ſit, pars enim præſtantior evaporat. His ritè comparatis Solis calcem (ignitam) projice in alterum vitrum, & confeſtim Oleum Camphoræ digiti tranſverſi altitudine ſuper affunde, ſic illicò ſed blandè tamen Solis calcem aggreditur, eumque ſolvit non ſine magnâ efferveſcentiâ, ac ebullitione materiæ, quam eapropter ſtatim è vitro in vitrum ſæpiùs transfunde, & ſic

refri-

refrigera. Cùm verò incipiat nimis fervere, tüm guttatim ac ſenſim Oleum Aniſi deſtillatum per vices leni motu inſtilla, & ita bullitio, paulatim ſubſidente materiâ, ceſſabit. Niſi hæc feceris, certè & vitra tandem maximè fervida evadent, ut manu tenere ampliùs haud poſſis, & ipſa tandem ebulliens materia è vitro effluet. Quòd ſi non poſſis omnem ex uno vitro in aliud transfundere materiam, tum Oleo Aniſi conſperges Calcem Auri. Cumque tandem in alterutrum vitrum omnis materia, poſt turgeſcentiam finitam, probè collecta erit, vitrum operculo tegatur probè, filoque fortiter ligetur & claudetur, ne quid expirare queat; denique in locum tranquillum, quò neque Solis radii, neque Venti accedunt, pone, aciculâ ſupernè foramen reſpiratorium facito (hoc enim niſi fiat, rumpitur vitrum) Sinas ita quieſcere, donec Calx Solis ſolvatur. Oleum Cinamomi tum non additur, quamprimum enim id accedit, calx Solis ampliùs non ſolvitur. Tandem calce Solis hoc modo ſolutâ (expectanda autem ſolutio) vitrum, cui materia ineſt, aperi, hinc Oleum Cinamomi pari quantitati Olei Aniſi probè miſtum, affunde Auro potabili ſimul, tunc totum in vitro probè commiſce & confunde. Olea, ut ſuprà dictum, ſint limpidiſſima. Claude iterum probè, ſed non ſine foramine reſpiratorio in operculo cum acicula facto, ac ita Potabile Aurum perfeciſti.

Nota, poſtquam Olea ad Aurum potabile acceſſere, nullo alio metallo tangenda ſunt: antè quidem licet, poſt conjunctionem non. Nota porrò, quòd Color hujus Auri potabilis ſit ex nigro aureus (ſchwartz Goldgelb) ſapor penetrantiſſimus, absque ſenſu uſtionis. Nota tertiò vim Olei Aniſi, quâ reprimit fervorem ſolutionis. Cogita, num hæc Auri ſolutio cum Spiritu Vini per alembicum ducenda, ſit vel magis fiat ſubtilior & volatilior. Non minoris efficaciæ futurus videtur liquor, ſi oleis illis aromaticis conjungatur Oleum Camphoræ; (rectius vel ſaltem non incommodum omnino futurum eſſet, ſi Oleo ſolis jungeremus hæc olea, & ſimul circularemus in Pelicano melioris conjunctionis causâ: Vel ſumeretur Crocus Solis, ac Olea illa aromatica ordine affunderentur, ſicque unà circularentur in Aurum potabile nobilius, convenientiore aliquo modo, quàm per ſpiritum factum.) Credo enim, Oleum hoc Camphoræ multum adhuc habere ſecum Aquæ fortis (quod deſignat fervor poſt affuſionem proprius Aquæ fortis, quando me-

talla ſolvere incipit) eſſeque corroſivum, ideoque uſûs non ubique ſecuri: adhæc olea admixta, aliâs aurei coloris, à Spiritu aduri quodammodo, quod conjecturabile videtur ex colore hujus Auri potabilis, ex nigro enim obſcurè flaveſcit. *Theodorus Zvingerus, Philoſ. & Medicus Baſilienſis*, fuit Baſileæ inſpector ἀντόπſης præparationis, ut & reſolutionis, atque hinc etiam reductionis Camphoræ, nec non Tincturæ nummorum duorum Baſilienſium, quos Rappen vulgò vocant, in Aurum, quorum unum dicto *Zvingero* dedit ſemitinctum, alterum integrè tinctum *Baſilio Amerbachio, Jureconſulto.* Primò duo olea invicem miſta affundebat Calci Solis, neutrum efficere quidquam potuit; cùm tertium adderet (oleum puto Camphoræ) vel in momento arrodere, ac ſolutionem præſtare incipiebat cum fervore bulliente, addebat tandem quartum, & ſubſidebat. Dixerat *Thurneiſerus*, ſe illud Aurum redigere ſeu reducere poſſe in priorem formam, quod facilè credo, ſeparatis per deſtillationem oleis: Aurum enim hoc pacto non fuit verè reſolutum. Primò fuſcum habebat colorem, pòſt quieti tradebat per 6. circiter horas, ut ſubſideret; hinc perſpicuè flaveſcentis portionem mihi dabat, quam exploraturus ero. *Ex alio Libro Manuſcripto Chymico Theod. Zvingeri, Medici Baſilienſis, Academici Curioſ.*

Aurum Fulminans.

Auri limati partem unam in partibus tribus vel quatuor Aquæ Regiæ intra Cucurbitam vitream arenæ leniter calenti impoſitam paulatim (ignem non augendo, ne vitrum rumpatur) ſolvito. Solutione factâ guttatim inſtilletur Oleum Tartari per deliquium, vel Spiritus Salis armoniaci ex aa. Salis armoniaci & Cinerum clavellatorum factus, tamdiu, donec ſolutio non ampliùs flava appareat. Hinc turbidus liquor quieſcat, uſque dum ad fundum ſubſedit Aurum præcipitatum fulminans; tum verò decantetur omnis aqua, & remanens Auri calx exiccetur, vel priùs aliquoties aquâ ſimplici probè edulcoretur, quanquam ita multum de ſuâ vi fulminante deperdat, quam ſine edulcoratione retinet integram. Si per ſe ſiccetur Calx, in Hypocauſto fieri debet, citra ignis, vel caloris admiſſionem, quoniam levi calore admiſſo, inprimis ſi trituretur quoque, calx accenderetur, & perderetur; quod verò periculum evitare

ſo-

ſolent Artifices admixtione aliquot granorum florum Sulphuris, vel nonnullarum Spiritûs Salis vel Sulphuris guttularum, inter triturandum adſperſarum. Præterea ferreo inſtrumento hoc Aurum non eſt tangendum, ſi vim retinere velis fulminantem; & Aqua regia ad Auri ſolutionem eſt adhibenda, quæ ex Aquâ forti & Sale armoniaco invicem citra deſtillationem miſtis & ſolutis ſit parata. Ita denique ex Auri drachma unâ acquires ſcrupulos quatuor Auri fulminantis.

Hoc Aurum fulminans ad aliquot grana ſuper candelam ardentem vel prunas poſita, poſt aliquantillam moram inſtar Pulveris tonantis fulminabit, & fragorem edet. Prodeſt etiam in Medicinâ adverſus Epilepſiam, Convulſiones, Tympanitidem, Cachexiam, Anaſarcam. Doſis à gr. j. ad gr. 10. vel 12. Operatur per diaphoreſin, & urinam; imò & leniter per Alvum, ſi non edulcoretur. *Zvingerus.*

Calx vel Crocus Auri.

Amalgama Auri calcinetur ſub tegulâ leniter, ut omnis Mercurius avolet, & aurum in pulverem redactum relinquatur, ſuper hunc pulverem fruſtulum unum aut alterum Sulphuris deflagretur, ſic elegans Crocus Auri rubicundus habebitur. *Barckhauſen.*

Vel Amalgama Auri & Mercurii cum duplo Sulphuris commiſce, & ſub tegulâ leniter deflagrare Sulphur ac Mercurium permitte, continuè ſtylo ferreo commovendo, ſic tandem remanebit Crocus ſive Sulphur Auri.

Vel Rec. Auri fulminantis part. ij. Flor. Sulphur. part. j. vel part. æqual. miſceantur probè, & in tigillo, vel ſub tegulâ in patellâ ſive catino, inter continuam cum ſtylo ferreo agitationem Sulphur omne deflagret, igne non nimis forti, ne Aurum fundatur, ſubdito. Sic remanebit Calx Auri purpurea, ſive Crocus. Quòd ſi hæc calcinatio aliquoties, additis novis Sulphuris floribus, repetatur, Calx tandem magis magisque ſubtiliſata, imò ſpongioſior reddetur.

Vires Crocus hic ſudorifero - vel diaphoretico - cordiales habet, atque in Mixturis Cardiacis, vel per ſe ſub doſi gr. ij. ad gr. 10. præſcribi poteſt.

Bezo-

Bezoardicum Solare.

Rec. Reguli Martis ſtellat. uncias tres cum dimidiâ, Auri finiſſimi ſemunciam, fundantur ac effundantur in Catinum fuſorium, ut Regulus habeatur Solaris; hunc dein Regulum pulveriſa, ac miſce cum Nitri depurati, ſicci atque benè pulveriſati unciis duodecim; tum hanc materiam in crucibulo valdè ignito detona, atque calcina, cavendo ne addito fuſionis igne in fluorem atque Regulum redeat; detonatam materiam in lagenam aquâ frigidâ plenam projice & extingue per vices: poſtea evaporando aquam, exicca materiam, iterumque in crucibulo liquefac, & calcina; poſt calcinationem iterum extingue, ac more debito edulcora & ſicca. Quòd ſi quædam Auri coagulata grana inter edulcorandum obſervabis, ſeorſim colliges, & cum novo, ſi placebit, regulo aliâ vice liquabis atque calcinabis in tale Diaphoreticum ſive Bezoardicum Solare.

Vires hoc Bezoardicum obtinet egregias diaphoretico-cardiacas, veneno reſiſtentes; utiles proin in Febribus continuis, malignis, Peſtilentibus, Lipothymiâ, Cephalalgiâ, obſtructionibus Viſcerum. Doſis à gran. iij. ad gr. 12. In Mixturis quoque utiliter permiſcetur diaphoretico-cordialibus.

DE SECRETIS AB ARGENTO ſumtis. CAP. IV.

Hiſtoria antiqua de Argento in Aurum verſo.

QUIDAM Maurus in terra Maurorum acceſſit ad quendam fabrum, & eidem portavit xx. argenteos, ut eos ad ignem crucibulo immitteret: quibus fuſis, Faber ærarius ſuper ipſis projecit pulverem, quem dedit ſibi Maurus. Erat autem pulvis viridis, fumum citrinum in igne faciens, Argentum tunc converſum eſt in Aurum, & illud Aurum ærarius vendidit Aurifici precio Auri precioſiſſimi. Ærarius inde rediens dedit precium Mauro: tandem Maurus miſericordiâ motus erga Ærarium, dixit ei: Hanc confectionem pulveris te docebo: Recipe Auri calcinati, vel pulverizati, Æris uſti, Croci ferri, ſingulorum unciam unam, Salis ammoniaci rubificati unc. tres, alibi additur Vitrio-

Vitrioli rubificati uncia: ſolvatur Sal ammoniacum, & eo ſoluto in cera, id eſt, cum ſua aqua imbibe dictos pulveres Auri, Æris, Vitrioli, Croci, & Ferri, ſuper porphyrite aut marmore, molendo, & terendo per longam contritionem. Poſtquam pulveres biberint totam iſtam aquam ſalis, pone in phiala vitri habente collum longum ſub fimo equino calido per dies xxj. mutando fimum calidum de quatuor in quatuor dies. Poſtquam ſolutum benè fuerit, & in aquam converſum, congela ipſum in aliqua phiala in furnello ſuper cineres calidos. Quo congelato, pone partem unam ſuper decem partes Argenti fini præparati. Nota quòd ſi aliqua pars remanſerit inſoluta, molias adhuc cum aqua Salis ammoniaci, quouſque ſit totum ſolutum: hoc fac ut non perdas Aurum tuum, ſemper reiterando imbibitionem cum aqua Salis ammoniaci. Si autem dictam congelationem reſolveris iterum, & omnia per ordinem, ut ſuperiùs feceris, una pars tinget viginti: & ſic multoties multiplicare poteris: augebis enim decem ſingulâ vice. Illum Ærarium vidi in Toleto, qui mihi iſta retulit, & cuidam conſanguineo ſuo ſeni: & Ærarius ille erat ſenex, & ego, & Magiſter operati ſumus ſecundùm modum prædictum. Aurum ſic debet pulverizari cum odore Plumbi, vel cum aqua in qua ſæpiùs ſit extinctum Plumbum. Vel fac aliter: Solvatur Plumbum vaſe quod ſuperiùs habeat foramen modicum ad quantitatem unius Aurei, & ſuperponatur Aureus, ita ut recipiat odorem Plumbi ex illa parte, deinde verte & aliam, & cùm ſic factum erit aliquoties, Aurum poteris conterere. Æs uſtum autem cum Sulphure vivo calcinari debet: & antequam in illis miſceatur, debet ablui cum aqua pura, vel aqua & ſale, donec ab eo exeat aqua limpida. Crocus Ferri fiat cum Aceto, ad ignem lentum, ut fiat ruber, ſic verò fit: Limaturam ferri Aceto forti imponas, & fit Acetum rubrum & clarum, & ponatur ad Solem duobus vel tribus diebus: poſtea effundatur leniter Acetum, ac ſervetur, & aliud Acetum limaturæ ſuperponatur ad Solem: & fiat ita, donec tota Limatura ſolvatur, vel redigatur in pulverem tenuiſſimum: & iterum totum Acetum deſiccetur ad Solem. Sal ammoniacus ſolvatur per frigidum & humidum, vel per calidum & humidum.

Rec. Solutionis ejus partes ij. Æris uſti partem ſs. Croci ferri partem j. Salis ammoniaci ad quantitatem omnium:

ſol-

ſolvatur Sal ammoniacum, & ex eo imbibantur pulveres, per longam contritionem, illa poſtea ponantur in fimo equino calido ad ſolvendum quindecim diebus, potes iſta reſolvere in fovea mutando ſæpè fimum calidum: deinde coagula ſuper cineres ad lentum ignem. Hujus coagulationis, ſeu congelationis pars una tingit decem de Luna præparata. Et ſi ſolveris ſecundò, modo prædicto omnia faciendo, pars una tingit viginti, & ſic augmentare potes. *Hæc ex practica Magiſtri Odomari.*

Argentum in Aurum tingere.

Argentum in Aurum tingere dabitur ſic facultas: lixivium primò tale parabis acre. Calx immittatur in ollam, cujus fundum crebris foraminibus ſit apertum, tenuibuſque pervium ſupra lignum, vel tegulam accommodabis: inde pulverem, & aquam paulatim infunde calidam, ac per arcta fundi foramina in ſubjectam fideliam mundam defluat, ac iterabis, ut acerrimum fiat, in hoc tritum immittas ſtibium, ut in tenues auras evolare poſſit, otioſo igni ebullire ſinas: nam ubi inferbuerit, purpuraſcet aqua, tunc per lineam laciniam in purum vas exprimito, in reſidentes pulveres denuò lixivium immittas, & in prunis ſuffervefacias tantiſper, donec non ampliùs cruentata videatur aqua, coloratum lixivium confervefacito ſubjectis ignibus, donec evanuerit aqua, reſidentem verò reſiccatum pulverem, cum Tartari oleo deſiccato, & diſſoluto, & ex Auri, & Argenti ponderibus æquis, lamellis fictili fuſorio vaſe viciſſim inſpergito, carbonibus celato tantiſper & opus innovato, donec perfecti coloris prærogativâ Aurum æmulari videbitur. *Joan. Bapt. Porta.*

Argentum ut in Aurum tingatur, tam completè, ut verè credatur Aurum.

Ex Argenti elimatâ ſcobe, cum Argenti vivi triplo in igne malagma confice, ac vitreo in vaſe carbonibus inferveſcat, dum illud Argenti vivi evolet, quo Argentum ſuperatur, inde Sal ammoniacum, & vivum Sulphur æquali Argenti pondere triturentur, ac vitreo in vaſe aliquo duas horas flagrantibus prunis immoretur, dum ejus vis Salem ammoniacum, Sulphur inde vivum Argentum ſublimet, & vaſis collo inhæreat: vas frange, & Argentum aureo colore inſignitum, ſuique ponderis vel majoris ſervato, talemque illicò parato aquam: Romanum Calcanthum cum duplo rubei optimi

optimi Cyprii Calcanthi ſtillatitii, quod vocant Coparoſam, Salis Nitri triplo, Æruginis parte tertiâ, ac Cinnabaris ſextâ ſume, è vitreis organis aquam ſtillatim exugito: cujus partes duæ cum ſervato Argento per naturalem diem lento igne bulliant, inde aucto diſtillationis igne aqua omnis evaporet, & quod in fundo remanet, cum Chryſocollæ calce teſtaceo in vaſe fuſorio accommodetur, ore aperto, & luto obſtructo colliquationis ignem adhibeto, & habebis: luteſcit enim Argentum maximè, colore nunquam cariturum, vel eum permutaturum, ut examinibus omnibus Auri expoſitum, coloris parum, vel nil amittat. Sic aliter colorem Auri æmulabitur perfectè, & peculiosè. Meminiſſe jam debes è Stibio confecti Æris uſti, id cum Argenti medietate colliquatum, perfecti Auri dabit colorem, ut videri poſſit. Si Auro commiſces, meliorem dabit, ut aliquorum patiatur examen. Aliter quoque fit optimè: ſi Argenti vivi congelationem, quam cum Caſſide diximus, tertiæ Argenti parti remiſcebis, Argentum aureo colore inſignitum reperies, cum æquali Auri portione colliquabis, in ollam impones & peracre acetum fundas, ac per diei quadrantem ebullire ſinas, & colore augebitur magis: hoc autem extremo impones Auri examini, ex communi ſcilicet Sale, & Laterum pulvere, addito tamen Calcantho, Aurumque ſic purgatum accipies, & examinibus obſtat omnibus, ac non ſolùm in ſecundum, ſed etiam tertium migrat ordinem. *Idem Porta.*

Coloratio Lunæ.

Rec. Acetum bonum, factum ex Vino rubeo, & habeas Limaturam ferri, & pone in vaſe terreo de Raviax: poſtea habeas Acetum, in quo ſit ſoluta ſexta pars Salis ammoniaci: deinde pone ſuper dicta Limaturâ, ut ſuperemineat unum, aut duos digitos. Poſtea obtura tuum vas, & pone ſuper cineres tenues per ſpatium octo dierum, & move quotidie bis, aut ter cum virgula lignea, & fiet totum rubeum, aut vermilium, ut ſanguis, poſtea cola, & munda benè, & adjice Acetum novum pariter ut ſuprà: & ita toties fac, ut de hoc Aceto ſatis habeas, & antequam hoc facias, vel hoc facto, habeas libram Argenti vivi ſublimati, & libram Salis ammoniaci, & tere in pulverem, & miſce ſimul, & ter ſublima ſimul & qualibet vice miſce: quod aſcenderit, cum eo, quod in fundo remanet, & tuus Mercurius manebit

nebit niger in fundo tui vaſis: & tum Sal ammoniacum adſcendet altè ad vas. Poſtea miſce tuum dictum Mercurium cum tantundem ſui ponderis Limaturæ ferri, & pone ſuper marmor, & fundetur in aquam: quam materiam ita fuſam projicito totam in Acetum ita rubeum in vaſe clauſo, & ponito per tres dies ſuper calore tenui. Poſtea purum deſtilletur per filtrum, & ponatur in alembico, & per balneum Mariæ ſeparetur humiditas. Poſtea ſuper cineribus in fornace recipe in alia phiala, per modum Aquæ fortis oleum, vel aquam exeuntem vermiliam, & ſerva ſeorſum: & ſuper feces ponatur de Aceto novo, & ſolvantur, poſtea deſtillentur per filtrum, & congelentur per balneum, poſtea per cineres ſepara Oleum rubeum, & hinc pone cum alio, & ita fac toties, ut totum habeas ſeparatum, poſtea reſervetur. Et ne obliviſcaris, quòd hoc facto miſceatur tuum Sal ammoniacum cum tantundem Calcis vivæ, & ponatur ſuper marmor, infundetur in aquam, quam recipe & pone cum ſua quarta parte, aut tertia Salis petræ. Sic facias Aquam fortem, & per alembicum in cineribus ſuper furnello deſtilla aquam: in qua Aqua forti ſolve puriſſimum Solem in foliis, quantum ſolvi poterit. Poſtea cape tuum Oleum rubeum, & ſi eſt libra una, pone libram ſemis tuæ Aquæ ſolaris ſimul. Et pone in phiala ſuper cineribus tenuibus per viginti quatuor horas, deinde per alembicum in balneo congeletur, & poſtea ponatur ad putrefaciendum in fimo equino calido in phiala vitrea benè firmata, & clauſa per quindecim dies: poſtea congela, ut ſit tanquam mel. Et habeas Lunam finam albam, & cæmentatam, & unge hoc unguento ab utroque latere, & pone in uno crucibulo ſtratum ſupra ſtratum, quoad ſit plenum, & ad decem uncias ſit hujus unguinis uncia una, & clauſum, ac lutatum tuum crucibulum pone in calore quatuor dierum: poſt fac ignem fuſionis, ut totum fundatur, & habebis Solem ad viginti quatuor charatos, qui ſi tibi non placet, recude tenuiter in laminas, & unge ut ſuprà. Et ſi nimium colorem habebit, noli tantum apponere, & ita erit tua Luna perfecta (additio in margine) Rec. Unam quantitatem Limaturæ ferri, & unam Æris uſti, & benè loti, & cape de Sale ammoniaco ad quantitatem omnium dictarum rerum, & fac omnia ſimul benè bullire, poſtea deſicca ſuper cineribus calidis, aut ſuper prunis, vel ad Solem, & fac pulverem, & projice unum eſtrelin

illius

illius pulveris ſuper tres eſtrelins Argenti fini fuſi, & hoc videbitur Sol. Item una fini Auri, una fini Argenti, una fini Æris, fuſa ſimul faciunt Aurum octodecim carat. cum una Æris uſti fuſi. Æs uſtum ſic fit: Limaturæ Cupri unum pondus & quartam partem ponderis Sulphuris vivi, & miſce: deinde pone hoc in crucibulo, & cooperi cum tegula, & luta cum luto ſapientiæ, ne aliquid vaporis inde poſſit exire. Deinde pone os crucibuli inferiùs, & cooperi ipſum cum carbonibus, & ita dimitte per aliquas horas, deinde extrahe ab igne, & invenies Æs uſtum, quod lava, ut decet. *Raymundus Lullus.*

Argentum in Aurum commutare.

Rec. Argent. vivi unc. iij. ponatur in ampullam vitream optimè perlutatam ad ignem, donec ferveſcat, cui cùm Auri foliati uncia una permixta fuerit, ab igne auferatur, & addantur

Salis ammoniaci unc. j.
Salis Elebrot unc. ſem.
Boracis drach. is.
Argenti vivi purgati unc. ij. Miſce probè.

Quo facto, ſigillo Hermetis ampulla claudatur optimè, ne quovis modo exſpirare poſſit, & ponatur ad fornacem ignis per tres dies continuos: poſtea ab igne auferatur: & cùm frigidum fuerit, ampulla, ſive cucurbita aperiatur: materia eximatur, & in pulverem ſubtiliſſimum redigatur, qui Philoſophis dicitur *Elixir*. Et cùm Aurum facere voles, ſumito Argenti finiſſimi unc. v. & cùm ad ignem liquatum fuerit, illud ſupradicti Elixiris unc. j. addito, & in Aurum optimum commutabitur. Sal autem Elebrot ſic conficitur:

Rec. Salis communis purgati,
Salis gemmæ,
Salis alkali, } ana unc. j.

Quibus tritis addantur ſucci Menthæ, ſucci Caryophyllorum ana unc. ij. Aquæ fontanæ libræ ij. miſceantur omnia optimè, & erit factum. Lutum verò ſapientiæ fit è luto optimo ſicco, & cribrato, & cum Albuminibus ovorum mixto. Argentum denique vivum cum Aceto acerrimo purgatur, lavando ter aut quater, deinde per linteum colando. *Fallop.*

Argentum ut inauretur.

Argentea vaſa Auro incruſtari, & obduci nequeunt, niſi

Argenti vivi miniſterio cui uni ſe obſequioſum præbet, ac tractabile Aurum. Nam cùm omnia metalla reſpuat, ſoli tantum Auro, ceu amico, & familiari libenter ſociatur, maritatur, & agglutinatur. Hinc Argento ægerrimè adhæreſcit, ægrè Plumbo, difficillimè Ferro, Æri mediocriter. *Lemnius.*

Argentum in calcem vertere.

Si vis Argentum in calcem vertere vel aliud, ſic fiat: ex Argenti ramentis, & vivo Argento triplicato malagma confice, inde communi Sale ſuper porphyreticum marmor multum lævigabis, ubi ad perfectam unionem perveniſſe ſcies, in obtorto vitreo vaſe locato, quòd facilior ſit adſcenſus: igni appone, ejusque vigore vivum Argentum per fiſtularum colla in receptaculum dilabatur, quod vaſis imo remanet fundo, dulci aquâ confricato, novam ſubinde affundens, dum nullum ſalſuginis veſtigium excernatur, & amarorem amiſerit omnem, dulceſcente aquâ in calcem habebis. Eſt & parandi ratio alia: Argentum forti Aquâ ſolvatur, ut aſſolent Aurifabri, & fontis immiſceas Aquam, quæ communem Salem exederit, ſic Argentum ad imas vaſis partes procumbere videbis, penicillis aquam exugito, & calcem teſtaceo vaſe, flagrantibus carbonibus appones, detrahe, dulcique aquâ ſalſedinem amoveas, quod denuò ſemper exercebis, dum totum abiiſſe cernes, & modus lavandi ſit, quem in priori reddidimus. Sic Argentum in calcem & ceram vertes. Ejus ramenta cum ſublimato vivo Argento permixta vitreo apto condantur vaſe, & flagrantibus prunis exponantur, ut vis ignis vivum Argentum expellat, & in ima vaſis parte fixum Argentum, uti ceram reperies, gemmis aptum, quod pyxidiculâ ſervetur. *Joan. Bapt. Porta.*

Bezoardicum Lunare.

Recipe Reguli Martis ſtellati uncias quatuor, Argenti fini ac puri uncias duas; funde invicem in crucibulo, adſperſo ſubinde Nitro ſiccato: liquatam ac probè fluentem materiam effunde in conum fuſorium, & fiat Regulus Lunaris, hunc verò in pulverem tritum cum Nitri puriſſimi ac ſiccati unciis octodecim benè miſce, hinc per cochlearia ignito crucibulo immitte, ac more ſolito detona, tandem materiam detonatam, & parum ſine ulla fuſione calcinatam, in Aquam projice lagenâ contentam, & ita extingue, poſtea lingue, donec Pulvis bezoardicus Lunaris fundum petierit;

Aquam

Aquam hinc claram decanta, atque novam aquam calentem pulveri affunde, iterumque decanta; hocque repete; donec pulvis ab omni Nitro probè liberatus ac ita edulcoratus fuerit; quem denique ſuper chartam emporeticam, vel in vitro ſupra cineres calidos ſiccatum uſui repone, ac in loco ſicco aſſerva. Vires habet egregias Diaphoretico-Cardiacas, acidum acre corroſivum deſtruentes, adeoque in Cephalalgiâ, Epilepſiâ, Incubo utiles. Doſis eſt gran. decem.

Argenti liquefaciendi mira ratio.

Illud mirum eſt, quod referunt, quoddam genus Argenti minimè liqueſcere follibus: cumque omnem circa hoc curam expoſuiſſent, edocti piorum Principum exemplo, vaſa illa, in quibus Argentum liqueſcere conſueverat, cum Argento ſupra, & carbonibus in imo perforata, à lateribus montium cacuminibus imponebant vento flante, atque ita liquefactum, denuò poſtmodum, cum follibus in parvis vaſis repurgabant. *Cardanus.*

Lunæ Augmentum.

Rec. Argenti fini unc. j. Mercurii vivi puri unc. ſex, pone in Phialam cum collo oblongo, ſuper amalgama funde oleum tartari altitudine duorum digitorum, pone in furnello ſuper cineres calidos, & fac ut bulliat 30. diebus naturalibus, & invenies amalgama fixatum, funde & habebis Lunæ finæ uncias quatuor in omni judicio. *Ex Manuſcripto Bibliothecæ Theod. Zvingeri, Med. Baſilienſ.*

Ut Argentum excreſcat, vel ponderoſius reddatur.

Sale aliqui, & antiquis teſtis Argentum in tenues bracteas deductum igni detinent, ut ibi ab humiditate vindicent aliqua, & denſentur partes, quæ pondus adducunt. At ſic expeditiùs idem efficies: Argentum in ſubtiles lamellas ductum Cinnabari, ac ſublimato vivo Argento viciſſim inſpergito, in vaſe igni contumaci, & ſupra luto, & vinculis munito, ne vim ſuſpiret, carbonibus circumſeptum per naturalis diei medietatem detineto, & friabiles exemtas laminas in cineritium alveolum igne candicantem, & in colliquatum Plumbum immittito: & eximiè vi follium flatu, quod peſſum iit, Plumbum ad receptaculum foras expellito ut ſecum contrahat ſordes, & purgatum relinquat Argentum: quæ ſolet probatio commentitia, vel cupellaria omnibus nominari, quòd commentum omne purgetur. Quòd ſi ponderoſum non reperies, mul-

toties rem perage, dum Auri expleat pondus. Poſſumus ſic & aliter Argentum augere: Stillatitium & forte acetum in labellum infunditur, confractum Stibium, ac limâ quæſitum Plumbum tundantur, & ſuccernantur, quidquid non tranſmeat, denuò molitur, tenuius cribratur: hinc in diſtillatum Acetum injicitur, & ſub fimo conditur, dum ſoluta conſpicias omnia; igni poſtea demittito vas, & opus intus extinguito ſæpè. Vel ex iis aquam extrahito, & idem præſtabit. Cum Sulphure, ut docet *Geber*, in calcem, & corpus reducendo, multum acquiret ponderis. *Joan. Bapt. Porta.*

Argentum vel Aurum diminuere.

Nunc verò reſtat, quomodo poſſit, & ſine forma quoque ac cælatura Argentum, vel Aurum diminui. Forti aquâ aſſolent multi, opus autem tuberculis, & depreſſionibus ſcabrum reddit. Sic autem facies: Sulphuris pulvere aſperges opus, & circumquaque candelam admovebis, vel ſub opere incendes: paulatim exardeſcens conſumitur, malleo decute in adverſam partem, & ſuperficies cadet, quantitatis ejuſdem, cujus volueris, uti Sulphure, uteris. *Idem.*

Tinctura Lunæ optima.

Recipe Salis volatilis Urinæ uncias duas, Lunæ probè cum Plumbo cupellatæ atque finiſſimæ redditæ, tandem in ſubtiliſſimam ſcobem redactæ unciam unam; hæc invicem probè mixta immittantur phiolæ parvæ, quæ benè occluſa reponatur per tempus, donec in maſſam cœruleam redacta ſint, cui poſtmodum affunde Spiritum Vini tartariſatum, repone in digeſtionem per plures dies, ſic emerget Tinctura Lunæ egregia, per chartam emporeticam filtranda, cœrulea prorſus, & in vitro exactè clauſo uſui aſſervanda. Vires habet eximias in Vertigine, Incubo, Epilepſiâ, Convulſionibus, Cephalalgiâ, Hemicraniâ, Lipothymiâ, Affectione hyſtericâ, Palpitatione Cordis, Obſtructione Hepatis ac Lienis. Doſis gutt. 20. ad 31. *Jüngken.*

Ad Lunam dealbandam.

Lunam ſeu Argentum ita dealbabis: Accipe Salem ammoniacum, Alumen Rochæ vocatum, & plumæ, Salem gemmæ, Tartarum, & Vitriolum Romanum, ſingulorum partes æquales. In pulverem redacta ſimul miſce, & in aqua limpida diſſolve: deinde Lunam quamdiu viſum erit, ibidem ferve-

fervere permitte, videbis eam ad miraculum uſque dealbari. *Ex ſecretis & experimentis cujuſdam Chryſopœophili Mizaldus.*

Vaſa ut argenteis ſimilia reddantur.

Hydrargyrum forti Aceto remixtum, vaſa argenteis ſimilia reddit, ſi eo illinantur. *Mizaldus.*

Aqua Argentum colore aureo tingens.

Rec. Salnitri libras ij.
Aluminis rochæ libras v.
Trita & mixta deſtillentur, aquaque ad uſum ſervetur. Cùm uti voles, Argentum igne liqueſcat, in dicta aqua fundatur, & extinguatur, & Auri colorem acquiret. *Fallopius.*

Aqua Argentum diſſolvens.

Rec. Vitrioli Romani libram j.
Salis Ammoniaci libras v.
Salis nitri unc. iv.
Cinnabar. unc. iij.
Mixta & Trita diſtillentur ſecundùm artem.

DE SECRETIS AB ÆRE SUMPTIS. CAP. V.

Æs coquere, ſive urere.

REMANET, ut doceamus & Æs coquere, quod à multis traditur: Stibium tamen nullibi, quod ſciam, traditum eſt, talique expedies pacto: Æs fuſoris in vaſe liquato, cum æquis Stibii portionibus ſimul colliquatis, tantundem ſuperaddito Stibii, & ſuper planum marmor projicias, ut in ejus ſuperficie frigeſcat, ut aptius in lamellas ducantur: duos deinde excavabis lateres, ut intus commodè accommodari poſſint laminæ: ubi accommodâſti, operculetur alio, ac ferreis vinculis, & luto ſtipetur, reſiccatum vitrariorum fornaci inditur, ibique per hebdomadam immorari ſinito, ut perfectè comburatur, detrahe, & ad uſum accommodato. *Joan. Bapt. Porta.*

Æs aureum reddere.

Ære combuſto ſic aureum colorem affinges. Si ex Calcantho, Salnitro, Alumine, Cinnabari, & Ærugine Fortem extilles aquam ac ſolutum fatiſcat in ea combuſtum Æs, in corpus reducendo, aurei coloris multum retinebit. Fit quo-

que Cyano ſæpiùs Argentum inſpargendo, & ignibus committendo. *Idem.*

Æs argenteum reddere.

Si verò quæris Æs argenteum reddere, vel cyprium, uti ſæpè Pueri, & Circulatores aſſolent, ut illicò vaſa Argenti nitorem capiant, conficiendi hæc eſt ratio: Ammoniacum ſal, Alumen, & Salnitrum pari pondere miſceantur, & cum modica Argenti ſcobe, & limâ quæſitâ, igni admoveto, ut inferveſcant, & ubi fumare deſierint, reſperſa pulvere, vel ſaliva oris madefacta, vel paulatim adjecta digitis fricando tractabis, argenteum colorem imitari videbis. *Idem.*

Aliter.

Argenti puſillum forti Aquâ ſolvatur, Tartari tantum mergito, & ammoniaci Salis, dum ſtrigmenti craſſamentum imitetur, inde in orbiculos digere, & inareſcant: ſic eis Æs vel aliud conſimile genus digitorum tractatione crebrâ, ac ſalivæ complexu frianti argenteum videbitur. Nec minus idem evenit cum Argento vivo, mireque dealbabitur. Serventur hæc argentata, ne ab acribus noxam ſuſcipiant, veluti Urinâ, Aceto, Limonum ſucco & ſimilibus: facilè enim colorem perdunt, coarguuntur, & deprehenduntur. Sic quoque ſi Æs ſolvatur Aquâ forti, vel ejus ramenta, ferrum quod immergitur, recipiet colorem æris. Sic idem in Auro, Argento, & aliis metallis diverſimodè colorabimus, & fricabimus. Sic tactu Argentum poſſumus inficere, ut infectum rejiciatur: Manibus ſublimatum Argentum vivum pertractato: inde Argentum vel argentea Numiſmata manibus verſans inficies, ut nil penitus valere videantur. Hoc porrò minimè prætereundum, quod præcipuum in colorandis metallis eſt, ut ſint ea ſæpiùs defœcata, elota ac recrementis omnibus expurgata, ſic enim præſtantiora erunt: uti aceto Æs extinctum, in calcem cum Sale redactum, ut defœdantes tollantur partes, quouſque eorum appareant notæ, & profundiùs fiat commixtio: ſit vaſis fundum crebris foraminibus laceſſitum, & per ea colliquatum metallum deſcendat, ut recrementa, & ſpurcitias ſuprà relinquat, nullæque extent ſcoriæ, eoque præſtantiora fuerint, quò minùs excrementi in eis fuerit, infrà purum dilabatur, cujus tamen meminiſſe ſemper oportebit. *Porta.*

Vene-

Venerem Lunæ tinctura imbuere.

Stanni fini Anglici partem unam funde in Crucibulo, fluenti Stanno adfunde Mercurii vivi partes duas, agita invicem probè, hinc effunde ſuper lapidem, refrigerari concede, ac tum in mortario marmoreo in ſubtilem pulverem tunde. Poſtea ſume Gummi arabicum & Alumen, miſce & redige in pulverem quoque ſubtilem, quam ſuper porphyritem aliumve politum lapidem in cellam humidam repone, vitrum lapidi ſupponendo, ut pulvis, ſenſim in liquorem ſolutus aqueum, in vitrum defluat. Quòd ſi ergo Cyathum vel aliud Vaſculum cupreum argenteo colore inficere cupias, illud priùs mundum reddito, ac liquore iſto probè lavato, idque etiam cum aliquo rigidiore verriculo bis vel ter facito; ad ſiccationem ſemper reponendo, ut fundamentum ſic bonum, aptaque admodum Cupri ſuperficies reddatur ad tincturam Lunæ recipiendam. Tandem pulverem è Stanno & Mercurio confectum affrica locis omnibus Cuprei vaſis, quæ quidem Argenteo colore infecta cupis, ſic tincturam recipient, & in argentum mutata credentur. *Ex Manuſcripto Biblioth. Zvinger. Baſil.*

Ens Veneris, Helvetii Medici.

Miſce Salis armoniaci depurati uncias octo cum Colcotharis Vitrioli edulcorati unciis quatuor, atque hinc reple tertiam partem Retortæ vitreæ. Sublima per arenam adhibitis ignis gradibus per 10. aut 12. horas, ac flores exurgent è flavo rubentes, quos *Helvetius* nomine Entis Veneris dotavit. Vires habent in Epilepſiâ, Convulſione, Vertigine, atque Incubo haud ſpernendas. Doſ. à gr. ij. ad viij. vel x.

Tinctura Veneris Lunatica Helvetii.

Salis ammoniaci purioris uncias 9. cum Vitrioli Veneris ſeſqui unciâ permiſce, pulveriſa ac deſtilla per Retortam ex Arenâ. E capite mortuo per affuſum Spiritum Vini extrahatur Tinctura virideſcens, & cùm filtratur, injiciatur filtro nonnihil Calcis vivæ, & ſic defluet Tinctura Saphirina elegantiſſima. Vires habere creditur inſignes in Affectu Hypochondriaco, Epilepſiâ ac bilioſis ſanguinis & Spirituum turgeſcentiis; nec non Iſchuriâ, Stranguriâ &c. Doſis gutt. 10. ad 15.

Æs eximiè dealbare.

Si Salem ammoniacum, & Ovi cortices ſimul triturave-ris, ſi ex iis aquam chymico organo exceperis, in eaque Æs ignitum extinxeris, miram ſuſcipiet albedinem. Adde quòd

ex Antimonio extractum Hydrargyrum, ſeu vivum Argentum, Æs eximiè dealbat, ſi ſuper eo projiciatur, vel defricetur. Quod non facit foſſile, & metallicum, à Plinio *Vomica perpetui liquoris* nuncupatum. *Mizaldus.*

Ut Æs, vel Cuprum Argenti nitorem induat.

Si Sal ammoniacum, Alumen & Nitrum pari pondere miſceantur, additaque Argenti paucâ ſcobe, igni admoveantur, ut ferveſcant, ubi fumare deſierint, pulvere illorum aſperſo, vel ſalivâ oris madefacto, confricetur Æs, vel Cuprum, illicò Argenti nitorem induet. *Joan. Bapt. Porta.*

Ad Æris metalla colore Argenteo tingenda.

Rec. Aquæ fortis unciam unam, in quam denarium optimi Argenti, priùs malleo attenuatum, deinde in partes minutas conciſum injicito, & ad ignem in vaſculo idoneo, donec in aquam reſolvatur Argentum, ponito. Quo facto, auferatur ab igne, addaturque Tartari albi contriti tantum, ut totam aquam imbibere queat, & fiat maſſa, quâ cùm opus aliquod æreum confricatum fuerit, album, & Argento ſimile reddetur. *Alexius.*

Cuprum ut citò fundatur.

Qui Cuprum citò fuſibile, & ductile habere volunt, Equi ungulas inter liquandum, & fundendum unà ei addunt. *Ex Italo, & quodam experto fuſore accepit Mizaldus.*

Æruginis parandæ modus.

Rec. Scobis Orichalci vel Cupri in pulverem tenuiſſimum redacti quant. volueris, humectetur Urinâ veteri, & cum Sale Ammoniaco, Soli ſiccandus exponatur, madefac eum rurſus, ut antea, donec viridis appareat, idque iterando, donec ſufficientem Æruginis copiam habeas. *Ex lib. Germanico.*

Aliter.

Laminas Cupri melle illinito, ſaleque uſto ſalito, poſtea in Acetum ſuſpendito, ac ſub fimo ad duas ſeptimanas relinquito. *Ex lib. Germanico.*

Aliter.

Vel accipe laminas Cupri perpulchrè politas; dein Atramentum ſutorium cum Urina in lapide porphyrio tere, cum quo line undique Cuprum, & in Sole exſicca. Laminas exſiccatas

catas & in ollam vitro obductam positas igni valido apponito ad spacium duarum horarum, ut benè incalescant. Operculo interdum detecto vaporem evolantem considera, quem cùm deprehenderis nigrum, vas remove ab igne, ut infrigidetur, laminas Cupri exime, manibus contere, & si quas conterere non potes, opus iterato, & ut quoque pulverisentur, cogita. His factis abluatur pulvis Aquâ calidâ vel Urinâ in pelvi, & cùm in fundo materia resederit, Atramentum effunde, quod ei Cupro innatat, reliquum à Sole exsicca. De hoc pulvere accipe libram unam & Tartari in calcem redacti unc. ij. conterendo invicem benè misce & exsiccari sine. Ponatur tandem in ollam antè dictam, ignem substernendo, & carbonibus exaggerando, donec fumum deprehendas viridem. Infrigidetur olla detecta, Ærugo optima extrahatur. *Ex lib. Germanico.*

Vitriolum Veneris, sive Æs viride Crystallisatum, juxta Le Febvre.

Viridis Æris subtiliss. pulverisati libris 4. vitreæ cucurbitæ immissis affunde Aceti destillati optimi ad eminentiam sex digitorum transversorum: Cucurbitam arenæ calenti impone, materiam ligneâ sæpiùs spatulâ agitando, & si Acetum conspexeris probè tinctum, tum illud decanta, novumque affunde, utque priùs, digere sæpiùs movendo, & decanta: hocque opus quater repete, aut quousque superaffusum Acetum tingi multùm desiit. Tum remanentem Viridis æris massam cum Aceto hoc non satis tincto immitte aheno cupreo, & coquendo solve atque extrahe quod solvi potest, ultra uncias 5. vel 6. autem non relinquitur, idque nil nisi terrestris est materia, nullius valoris. Omne verò Acetum tinctum confundatur, ac frigidè per chartam filtretur, filtratum in patellâ forti probè vitreatâ, leni igne evaporetur, & in frigore ad Crystallisandum reponatur: id quod in filtro remanet, novo Aceto destillato solutum filtretur frigidè, & ut priùs exhaletur atque crystallisetur. Liquor post crystallisationem relictus de novo ulteriùs evaporetur; & crystalli inde colligantur, ac ita procedatur, usque dum omnis liquor tinctus in Crystallos abiit. Si verò Crystalli hæ non sint pulchræ satis ac pellucidæ Saphiri instar, tum de novo solvantur in Aceto destillato, cujus tamen non plus requiritur, quàm ut Crystalli frigido in loco ab illo

ſolvantur. Solutio autem hæc relinquatur ſpacio 24. horarum, ut ſi quædam fœculentiæ adfuerint, fundum petant. Poſtea clarus liquor leniter decantetur, turbidus hinc filtretur: liquor verò omnis tinctus, & ſic depuratus de novo evaporetur, ac in Cryſtallos redigatur, quæ ſuper chartam emporeticam leniſſimo calore ſiccantur, ne ſui ſpiritus volatilis jacturam patiantur. Notabis porrò Cryſtallos has tamdiu novo Aceto deſtillato ſolvi poſſe, donec inter evaporandum Acetum prodeat, ſicut affuſum eſt: tum verò Cryſtalli perfectæ erunt, ut Spiritus inde elicere liceat, qui ſeſe tandem huic Vitriolo Veneris incorporârunt. Cryſtallis autem ſic paratis affunde Spiritum Vini alkooliſatum ad 3. digitorum eminentiam, pone in digeſtione per horas 20. hinc abſtrahe Spiritum in Balneo Maris, atque hoc opus ter repete, ut eò meliùs iſtud Vitriolum Veneris recludatur, atque ad reddendum Spiritum volatilem aptetur.

Ærugo ſive Æs viride juxta eundem.

Fit ex Lamellis Cupri cum Uvis ab expreſſione relictis, invicem ſtratificatis, & ita in loco calido relictis, donec laminæ Cupri in Æs viride converſæ obſerventur. Nullibi verò, ait, meliùs parari hoc Æs viride atque in Galliâ Narbonenſi, Monspelii, utpote cujus diſtrictûs Uvæ Tartarum obtineant ſingulari acido volatili præditum.

Modus Cuprum ita præparandi, ut Auri colorem referat, & optimè elaborari poſſit.

Rec. Cupri, Lapidis calaminaris ana unc. ſem. Tutiæ drach. ij. incandeſcat Cuprum, extinguatur in Urina iterando bis. Idem facies de Lapide calaminari, & Tutia. De ſoluto Cupro accipe unc. ſem. addendo Mellis unc. j. decoquantur invicem, donec Mel nigreſcat, & ſiccum fiat, ut contundi poſſit, pòſt Melle cum Lapide Calaminari & Tutia contuſo, ad ignem ebulliant rurſus, quoad Cuprum liquefactum fuerit, & habebis. *Ex lib. Germanico.*

Aurichalcum argenteo colore tingere.

Rec. Argenti vivi ſublimati,
Salis ammoniaci, ſing. q. ſ.
Coquantur in aceto, in quo Aurichalcum priùs calefactum extinguatur, & Argenti colorem adipiſcetur. *Fallopius.*

Æs ut fiat dulce Argenti inſtar.

Æs uſtum funde cum Borace in crucibulo: poſtea extingue in Oleo Pictorum (*de peintre* Gallicè) pone ſuper incude, & ſenſim, ac lento modo plana, & iterum coque in crucibulo, & extingue in oleo Pictorum, atque hoc repete quater, vel quinquies, ita ut ſit dulce ſatis: & illud Æs uſtum eſt finum æs ad alligandum Aurum, & duplo plus poni poteſt quàm alterius Æris, eritque inde Aurum pulchrius, quàm alterius Æris. *Raymundus Lullus.*

DE SECRETIS FERRI.

CAP. VI.

Ferrum Auri colore tingere.

FERRI laminas fictili in olla, vivo intermiſto Sulphure & luto munitâ, igne cremabis, deinde extrahes, & friabiles reperies: tertiò, & in vas patuli oris ponito, cui diſtillatum acre Acetum infundito, ſub Caniculæ ſidus exponito, ſi ad ruborem nondum pervenerit, rurſus ſub Sole habendum: vel ferventis aquæ balneo, dum rubeſcat, ſinito, penicillo exugatur, vel in vas aliud transfundatur, rurſus Acetum addatur, & eadem ſequantur, dum Ferrum ſolvatur totum: per vitreum vas evaporet humidum, & reſidens pulvis ſuper Argentum, vel aliud album projectus Auri colorem imitabitur. *Porta.*

Ad Ferrum inaurandum.

Accipe Aquæ communis libras iij.
Aluminis unc. ij.
Vitrioli Romani unc. j.
Floris æris denarium j.
Salis gemmæ unc. iij.
Auripigmenti unc. j.

Miſceantur, & coquantur. Quando autem bullire incipiunt, addito Tartari è vini fecibus, Salis communis ana unc. dimidiam, ferveant aliquantulum: deinde auferantur ab igne: atque eâ aquâ ferrum pingito, mox igne calefacito probè; deinde lævigetur. *Alexius.*

Ad

Ad Ferrum aureo colore tingendum.

Accipe Olei lini unc. iij.
Tartari unc. ij.
Vitellorum ovorum, ad duritiem coctorum & contuſorum unc. is.
Aloës unc. dimid.
Croci grana v.
Curcumæ grana ij.

Coquantur omnia aliquandiu in olla nova, & fiat Oleum ad Ferrum pingendum. Quòd ſi jam dictæ ſpecies Oleo non benè cooperirentur, adde ut cooperiantur. Hoc oleo Ferrum imbutum ac diligenter lævigatum, aureum colorem ſuſcipiet. *Idem.*

Martem in Argentum convertere.

Limaturæ Chalybis & Argenti vivi cum Sale & Aceto probè loti, ana partes æquales, miſce in Crucibulum prunis impoſitum, adde æquale pondus Stanni fini in tenues valdè bracteas contuſi; ita ut Mercurius probè abſorbeatur; agita interea probè materiam ſuper ignem; tandem exime, ac ſuper porphyritem cum quartâ parte Salis armoniaci optimè tere, iterumque crucibulo immitte, ac ſuper ignem prunarum probè circumagita, calcinetur ſic per horam integram, vel diutius, donec videas rectè exiccari; exime tum, atque cum Aquâ muriaticâ ſive ſalſâ lava, & ſic habebis Argentum bonum, non contemnendum. *Ex Manuſcr. Bibliothec. Zvingerianæ Baſilienſis.*

Aqua ad Ferrum Auro foliato obducendum, vel Auro Argento vivo reſoluto, quo Aurifices ad Argentum inaurandum utuntur.

Accipe Vitrioli Romani unc. j.
Aluminis unc. ij.
Salis ammoniaci unc. j.

Rediganturin pulverem tenuiſſimum, coquanturque in Aqua communi, quâ cùm Ferrum priùs mundatum, lævigatumque, ac tinctum fuerit, ſuperaddantur Auri folia, deinde ſiccetur ad ignem, lævigeturque Lapide Hæmatite, ut mos eſt. Si verò Auro Argento vivo reſoluto, Ferrum inaurare velis Aurificum more, adde ſupradictæ aquæ floris

ris Æris drachmam j. Sublimati unciam dimidiam: miſceantur, & cùm aliquandiu efferbuerint, Ferrum in dicta quoque aqua ferveat. Quòd ſi præ magnitudine Ferrum aquâ tegi non poſſet, optimè cum dicta aqua fervente fricetur, & ſic ad Aurum Argento vivo diſſolutum, accipiendum accendetur. Hoc autem quomodo fiat, in libro præcedente, capite de Auro conterendo, docuimus. Cæterùm Ferrum jam Auro obductum, ad ignem lucernâ, vel Sulphure, more Aurificum, vel cerâ, ut in Germania fit (quod longè melius eſt) infumetur. *Idem.*

Ad Ferrum Argentumq; Æris colore tingendum, quod ad inaurandum multò melius eſt, diutiusq; Auri colorem retinet.

Certiſſimum eſt, Aurum in album Ferrum Argentúmve inductum non ita benè apparere, quàm in Æs: propterea, quòd ubi vel tantillum Ferrum detegi, ſive Aurum abſumi incipit, illicò Ferri Argentíve color apparet, in rubro autem colore non ita detegitur. Itaque quidam periti, & judicio præditi, lignum, aut hujuſmodi materiam non Rubricâ, ut plerique omnes faciunt, ſed fulvo quodam, aureóve colore ſolent contegere. Nam tametſi Aurum cum tempore aliqua in parte vaneſcat, non ita ut in rubro, multò etiam magis in albo facilè dignoſcitur. Hoc quoque ipſum in Ferro, Argentóve inaurando commodè fieret. Verùm ut hæc nunc miſſa faciam, ad Æris colorem Ferro Argentoque inducendum age hoc modo: Accipe floris Æris, Vitrioli, Salis ammoniaci, ſingulorum quantum ſatis eſt. Redigantur in pulverem ſubtiliſſimum: deinde in Aceto forti coquantur per ſemihoram, mox ab igne auferantur, immittaturque Ferrum, vel Argentum, vaſe optimè cooperto, tamdiu donec frigeſcat: atque ſic habebis Ferrum Æri ſimile, aptiſſimum ad Aurum recipiendum. *Idem.*

Ferrum quomodo molleſcat.

Ferrum molleſcit ſuccis corticum Fabæ, aut Malvæ, ſi in his, non aquâ extinguatur. Ut verò cùm foditur ductile fiat, torretur gleba, ac ſub dio exponitur: imbribus molleſcit, quod terreum eſt, Sole colliquatur, quod eſt humidum, ignibus acrior pars, & quæ quaſi illi venenum eſt, abſumitur. Ita dum ſæpiùs torretur, dio exponitur, molle fit,

fit, ac quantum vis tractabile. Fila etiam ferrea, ſi ignita per ſe refrigerari permittantur, adeò ductilia evadunt, ut vice Lini ad vinciendum uti poſſis. *Cardanus.*

Ferrum quomodo cæletur.

Molle itaque Ferrum hoc modo cælatur: pingitur quod fingere cupis in Ferro, ex adverſo Pila plumbea ſubjicitur, inde malleolo tunditur pars, quam compreſſam cupis: quæ prominere debet, plumbo excepta non ſubſidet: ita animalium & plantarum ſubtiliter imagines referunt, ut cerâ expreſſas & elaboratas acutis ſcalpellis diceres. Si verò aquâ frigidâ ferrum, dum candet, extinguatur, & durum & minimè ductile, & fragile evadere neceſſe eſt. Nam aquæ frigore cogitur ignis, qui intus eſt, humidumque innatum Ferri celeriter abſumit: quo, cùm ductile eſſet, ac ob id molle, ſublato, fragile & durum evadere neceſſe eſt. *Idem.*

Ad rubiginem Ferro eximendam.

Ferro rubiginem è veſtigio adimit, illique ſplendorem conciliat Oleum Tartari, quod ipſum etiam Lentigines emaculat in facie, omnesque puſtulas fœdas, quæ frontem mentumque deformant, abolet vi abſterſoriâ. *Alexius.*

Ferrum ut purgetur.

Arte Ferrum repurgari, & nobile reddi, *Ariſtot. in Meteoris* docet, dicens: Ferrum ſæpiùs excoctum repurgatur: & quod illi ineſt terrei, tranſit in ſquama, ipſum verò tranſit in Chalybem.

Ferrum in Æs commutare.

Si Ferrum in Æs commutare deſiderabis, ut nil Ferri prorſus retineat, Alumine & Atramento ſutorio tingi poteſt: in Carpeto enim monte Pannoniæ Smolinitio oppido, fertur puteus eſſe, in quo aqua in tres canales hauſta effunditur, Ferrum illis impoſitum vertitur in Æs, & ſi tenuia erunt fruſtula, in lutum tranſeunt, quod ignibus excoctum, in puriſſimum Æs tranſit. Sed ſic faciliter commutatur: Fuſorium in vas Ferrum conjicito dum vehementi excanduerit igne & fluere incipiet, vivi Sulphuris aſpergine ſaturabis, paulatim remove, in virgas projice, & tere: facilè enim friatur, forti demum ſolvatur Aquâ, ex Salnitro, Alumineque confectâ, calidis referveſcat cineribus, dum in vapores ſoluta evaneſcat, remanens pulvis in corpus redigatur, & habebis Æs. *Joan. Bapt. Porta.*

Ferrum

Ferrum ut in Chalybem mutetur.

Cortex mali Punici, Ferrum mutat in Chalybem, ſi invicem in aquâ diu coquantur. *Cardanus.*

Chalybem ex Ferro conficere.

Laminas ſume Ferri optimi, hinc & Ungulas Equi, ac Sal commune, vel Cineres clavellatos, aut Sal è lixivio cinerum qualiumcunque excoctum. Fiat ex his in vaſe terreo Stratum ſuper Stratum, ita ut fundus & ſuprema pars vaſis ungulis & ſale cooperta ſint: operto tum vaſe ignis ſenſim augeatur ad plenam incandeſcentiam per aliquot horas, ſic ob duritiem Chalybis nomen induit, tantoque id magis, ſicubi in Aquâ frigidâ, vel in liquore Vermium, aut decoctione Ungularum, aut Solutione Salium lixivialium extinguatur.

Ut Ferrum ita induretur, ne aliud Ferrum facilè ſcindat.

Terræ Lumbricos diſtilla: ſeorſim Rapas etiam & radices Peponum diſtilla. Miſceantur pari menſurâ. In his aquis Ferrum madefiat. Durius evadet Ferrum, ſi bis id infuderis. *Noſtradamus.*

Crocus Ferri ſeu Martis aperitivus.

Scobs Chalybis ſubtiliſſima, Aquâ fontanâ primùm à ſordibus repurgatur, & ſiccatur: deinde in Aceto frotiſſimo maceratur diebus tribus aut quatuor, poſtea exſiccata patinis fictilibus imponitur, & in fornace flammis flagrantiſſimis lævigatur, dum Croci detriti inſtar ſubtilis evaſerit. Interea verò patinam eximere, & quod jam lævigatum ſuprà apparet, pennâ modicè auferre; mox illam iterum fornaci immittere convenit. Doſis ejus eſt à gr. 5. ad gr. 20. In Viſcerum Obſtructionibus, debellando acido qualicunque, Scorbuto, Hydrope, Cachexiâ.

Crocus Martis adſtringens.

Calcina Limaturam ferri in Igne reverberii, donec in tenuiſſimum pulverem rubrum abierit, quem ad uſum ſerva. Valet autem ad Dyſenteriam, & quaſcunque Hæmorrhagias. Doſis eſt à gran. 5. ad gr. 20. ſæpiùs dando.

Vitriolum Martis.

Limaturæ Ferri ſemilibræ affunde Spiritûs Vitrioli non recti-

rectificati libram integram, ſed hunc per vices Limaturæ in vitro capaci fortique immitte, ne, ſi unâ vice nimis infunderes, efferveſcentia nimia excitata vitrum diſrumperet. Quòd ſi calor evaderet admodum vehemens, vel ſi Limatura cum Spiritu ad coagulationem tenderet, Aquæ fontanæ unciam unam vel alteram affundere poſſes. Affuſo omni Spiritu, ſolutioneque tandem factâ, etiam per interfuſam ſubinde aquam, tum filtrabis liquorem, evaporabis parum, & ad cryſtalliſandum in loco frigido repones. Cryſtallos verò ad uſum ſervabis.

Tinctura Martis aperitiva volatilis.

Affunde Floribus Salis armoniaci Martialibus Alkool Vini ad eminentiam duorum vel 3. digitorum, digere per aliquot dies in loco calido, atque Tinctura decantata uſui reponatur. Vires habet aperientes, antiſcorbuticas. Doſ. gutt. xx.

Tinctura Martis aperitiva Zvvelferi.

Paribus portionibus Vitrioli Martis & Terræ foliatæ Tartari ſuper ignem lenem in patellâ ferreâ in maſſam rubeam converſis, adde Spiritûs Vini boni octuplum, digere hinc per aliquot dies, pòſt Tinctura filtrata uſui reponenda. Doſis guttæ 20. ad 30. mane ac veſperi in Cachexiâ, Hydrope, Lienis, Hepatis atque Renum obſtructionibus.

Tinctura Martis antiſcorbutica Wedelij.

Rec. Vitrioli Martis & Florum Salis armoniaci martialium ana partes æquales, affunde Spiritûs Cochleariæ optimè rectificati ſextuplum, in phiolâ ebulliant aliquantiſper, ita tamen ut nullam partium Spiritûs penetrantiorum jacturam patiare, quibus peractis Tinctura decantanda, & ad uſum reponenda.

Tinctura Martis aperitiva Zvingeri.

Coque Limaturam Martis in Succo Acetoſæ, vel Acetoſellæ & Fumariæ per horam integram, in fine coctionis adde Liquorem Nitri fixi, vel Oleum Tartari per deliquium, ſic liquor evadet nigricans, quem ceu veram Martis Tincturam filtrabis, atque uſui reſervabis. Doſ. 12. 15. ad 25. guttas, cum vehiculo conveniente ſumendæ, in Scorbuto, Obſtructione Lienis, Hepatis, Cachexiâ, Scirrhis Glandularum internarum, &c.

Ferrum

Ferrum ut dureſcat, & molle rurſus fiat.

Verbenam cum cauliculis & foliis conquaſſa, ſuccum per lineum pannum exprime, eumque in vitro reſerva ad uſum. Quando ferrum durum reddere voles ſuccum Verbenæ pari portione cum Urina humana, eaque virili miſceto; poteris etiam addere ſuccum Curculionis, Germani vocant Engerling: incandeſcat Ferrum eâ parte, quam vis dureſcere, in ſuccis his immergito, donec maculæ aureæ appareant. Et ſi multum coloris cærulei deprehenderis, nondum ſatis durum eſſe agnoſcas. Vel in aqua ſtercoris extracta Ferrum extinguitur. Quidam diſtillant aquam ex Teſtudinibus rubeis, & in ea Ferrum extinguunt. *Ex lib. Germanico.*

Ferrum ut molleſcat.

Excipe vaſe quodam, vel pelvi ſanguinem Humanum, ſeponatur, donec ſanguis craſſus ſubſideat, ſerum ſanguinis effunde & uſui diligenter ſerva. Poſt arma calefacta ſero hoc obline penicillo, ut imbibat ſerum, & mollia fiant arma. *Ex lib. Germanico.*

Aliud.

Sume Mel deſpumatum, recentem Urinam Hirci, Alumen, Borram, Olivum, Baumöl & Salem ana q. ſ. His invicem ſingulis commixtis immergito Ferrum & extinguito. *Idem.*

Aliud.

Sterne ſuper corium ramenta Cornu & Sal ammoniacum lotio aſpergendo, involve corio Ferrum, quo corium à Ferro comburatur & ſic molleſcat. *Idem.*

Chalybs quomodo indureſcat.

Chalybs dureſcit aquâ frigidâ, ſi in hoc extinguatur, & ſi aciei color eſt cæruleus, Chalybem calorem ſuum naturalem adeptum ſcito. *Idem.*

Chalybs quomodo molleſcat, ut cælari poſſit.

Chalybem mollem redde lixivio ex cinere Roboris & calce non extinctâ parato, & colato per horas duas. In hoc lixivium Chalybs conjiciatur & diebus quatuordecim relinquatur: ſin verò vis, ut rurſus eam duritiem, quam antea habuit, recipiat, in aquam frigidam pone. *Idem.*

Aliud.

Rec. Salis Ammoniaci, Calcis vivæ ana qu. ſ. his adde Saponis veneti paulatulum, miſce benè agitando, Chalybem cum Moſcho immitte, ut ab his humectetur, relinquatur ibi tribus vel ad ſummum quatuor horis, effundatur paulatim. Hic modus duntaxat pertinet ad particulas Chalybis. Potes autem magna fruſta mollia reddere ſi immiſeris ſtercori Vaccino, Albumini & Glutini Aceto humectatis, ut antea dictum. *Idem.*

Cultrorum aciem duram ac denſam reddere.

Aqua ex contuſis Lumbricis per pannum expreſſa, & ſucci Raphani æquis portionibus mixta, uſque adeò duram & denſam reddit aciem Cultrorum, Enſium, & aliorum inſtrumentorum, quæ bis aut ter, dum cuduntur, in illa extincta fuerunt, ut Ferrum aliud, ac ſi Plumbum eſſet, facilè incidant. *A quodam Pariſienſi Machæropœo accepit Mizaldus.*

Regulus Antimonii Martialis ſtellatus.

Apicum Clavorum Equinorum dimidia Libra Crucibulo immittatur, inter prunas in Furno venti locato; quòd ſi hinc probè candentes obſervaveris clavos, paulatim libram integram Antimonii optimi, pulveriſati atque ſiccati ſuperinjicito, utque materia omnis probè fundatur, etiam Nitri optimè depurati, ſiccati ac pulveriſati libram integram per portiones ſenſim inſpergito, igneque fuſionis forti dato exſpecta, donec in fluorem redacta fuerit materia, quam dein in Catinum fuſorium calefactum, intusque ſebo illitum, effundito, malleo leniter percutiendum, ut Regulus probè ſubſidat, fundumque catini petat. Coagulatam hinc maſſam è Catino exime, aquâ ſi placet frigidâ conſperge, ac mallei ope Regulum à ſcoriis ſuperincumbentibus excute atque ſepara. Hunc Regulum dein, qui ſtellam in ſuperficie nondum repræſentabit, craſsè contuſumCrucibulo adhuc candenti iterum injice, per vices Nitri puri ac ſicci uncias tres adſperge, ſicque in fluorem optimè redactum iterum in catinum ſive conum fuſorium, uti priùs factum, effunde, Regulumque collige; quem dein tertiâ, quartâ vel quintâ etiam vice de novo cum adjectâ ſemper unâ vel alterâ Nitri unciâ funde, donec in baſi ſuâ ſtellam ſatis bonam oſtenderit, ac præterea fractus pulchrè nitidus candidusque apparuerit.

Diaphoreticum ſive Bezoardicum Martiale.

Apicum Clavorum equinorum, vel ſi mâvis, Limaturæ Mar-

Martis libræ dimidiæ in fervente Crucibulo candefactæ adjice Antimonii crudi, pulveriſati ac ſiccati libram integram: Agita hinc materiam aliquandiu & continuè donec in fluorem redacta, iterumque ſolida reddita fuerit, nec ullatenus in Regulum verſa: hanc materiam ſiccam dein è crucibulo exemptam, refrigeratamque pulveriſa, per cribrum trajice, atque cum Nitri puri, ſiccique triplo permixtam in candente iterum Crucibulo paulatim, ſuper ignem fortem, qui tamen materiam non fundat, detona, detonatam probè calcinatamque materiam per vices aquæ frigidæ immitte, atque per ſexies inſtitutam novæ aquæ affuſionem, quando pulvis ſubſedit, probè edulcora, ac in umbrâ ſicca, & ita habebis pulverem ex fuſco rubicundum, quem in vitro benè clauſo, locoque ſicco uſui aſſerva. Vires habet aperientes deobſtruentes, acidum qualecunque deſtruentes, in Scorbuto, Cachexiâ, Hydrope, Menſium ſuppreſſione, Hepatis Lienisque obſtructione proficuas. Doſis à gr. v. ad gr. xij. *Zvingerus.*

Specificum Stomachicum Poterii.

Rec. Regul. Antimonii Martialis ſtellati uncias octo, Nitri depurati uncias 24. Benè invicem mixta & contrita, uti Antimonium Diaphoreticum, in crucibulo ignito detonentur, calcinentur, edulcorentur atque ſiccentur. Vires habet, Acidum exorbitans deſtruendi, liquorem ſtomachi chylificatorium depurandi, atque reſuſcitandi, appetitum movendi, obſtructiones viſcerum reſerandi, menſes movendi, diaphoreſin denique blandam excitandi. Doſ. à gr. 6. ad 12. vel 15.

Pulvis Cachecticus Zvingeri.

Rec. Limatur. Martis cum Sulphure calcinat. ac ſubtiliſſ. tritæ unciam j.
Radic. Vincetox.
Ebul. ana drachm. iij.
Gemmar. Sambuc. torrefact.
Fol. Card. benedict.
Ocul. cancr. ppt.
Ebor. philoſ. calcin. & ppt. ana drachm. ij.
Succin. alb. ppt.
Semin. Aniſ.
Cinam. optim. ana ſcrupul. iiij.

Sacchari ad pondus omnium.
Miſce. F. pulv. ſubtil. cujus doſis eſt à ſcrup. j. ad ij.

Tartarus Chalybeatus De L'Emery.

Miſce libram unam Tartari albi ſubtiliter pulveriſati cum Rubiginis Ferri unciis tribus; immitte ferreo cacabo unà cum Aquæ pintis 5. vel 6. Fac ebullire per horam dimidiam, vel donec ſolutum fuerit Tartarum, trajice hinc Liquorem per manicam Hippocratis, calidum adhuc. Requieſcat dein in Ollâ ferreâ vel terreâ per 10. aut 12. horas, & in ejus fundo Cryſtalli fuſco colore præditi concreſcent. Liquor per inclinationem effundatur, Cryſtalliſque colligantur, & ſiccati aſſerventur. Effuſam verò Aquam ſalibus adhuc turgidam in eadem Ollâ igni admotâ mediam circiter partem evapora, evaporatum, ut priùs, quieti in loco frigido expone, ſic denuò Cryſtalli prioribus ſimiles concreſcent, quas exemtas reliquis adde; novamque iterum cum reſiduâ aquâ exhalationem atque cryſtalliſationem inſtitue. Cryſtallos tandem omnes Solis radiis ſiccandas expone, atque uſui aſſerva. Optimum remedium præbent in Jecoris, Pancreatis, Meſenterii, Lienis, atque Renum obſtructionibus, adeoque in Cachexiâ, Hydrope, Melancholiâ, Nephritide, Febribus Intermittentibus utile. Doſis à gran. 15. ad gran. 30. vel 40. ex juſculo vel alio liquore conveniente.

DE SECRETIS PLUMBI.

CAP. VII.

Saccharum vel Sal Saturni.

LAMINIS tenuibus Plumbi, vel ejuſdem Cineri ſive Calci, aperto igne ſine alius rei adjectione, præparatæ affunde Acetum deſtillatum, cum quo ſuper lenem ignem Sal ſpatio aliquot horarum extrahe, filtra dein Acetum & evapora ad pelliculæ apparentiam, hinc in loco frigido, per aliquot dies pone, ſic Sal ſive Saccharum Saturni cryſtallinum in parietibus vaſis accreſcet, quod dein exemptum, in chartâ emporeticâ ſiccatum uſui aſſerva. Vires habet extus quidem acidi deſtructorias, traumaticas, deterſorias, adeoque valdè utiles in Ulceribus ſordidis, cancroſis, phagedænicis, & malignis; imò & in Eryſipelate, Inflammatione,

tione, Ophthalmiâ, Puſtulis faciei rubicundis, & ſimilibus: Intus verò in Gonorrhœâ virulentâ, Pollutione nocturnâ, & Salacitate ad gr. 6. 8. vel 10. cum fructu ſubinde uſurpari ſolet. Quòd ſi Acetum illud Sale Saturni imprægnatum evaporando prorſus exiccaveris, habebis ſic vocatum *Magiſterium Saturni.* Utrumque & Saccharum & Magiſterium Saccharinâ dulcedine gaudet. *Zvingerus.*

Tinctura Antiphthiſica.

Rec. Sacchari Saturni, Vitrioli Martis opt. ana drach. ij. Spiritûs Vini, Aceti deſtillati, ana unciam dimidiam. Miſceantur & per aliquot dies digerantur, liquor rubicundus filtretur, ac uſui aſſervetur in Vitro benè munito. Datur m. ac veſp. à gutt. 10. ad gutt. 20. in Phthiſi, Hæmoptoë, Alvi Fluxibus, Dyſenteriâ ac Hæmorrhoidibus.

Plumbum uſtum ac lotum.

Plumbum in lamellas diviſum cum Sale communi, quod liquato Plumbo ſenſim adſpergendum eſt, calcinatur, ſpatulâ illud continuè agitando, donec Plumbum in pulverem abierit, qui beneficio Aquæ ſimplicis à Sale liberatus, colorem cineritium acquirit. Prout etiam Plumbum liquefactum & ſpatulâ ferreâ agitatum, ſine alterius rei additione in pulverem abire ſolet. Uſurpatur extus in Unguentis & Emplaſtris Vulnerariis.

Plumbum in Aurum tingere.

Plumbum in Aurum ſic facilè tingere poteris: Combuſtum Æs lapideâ prius pilâ ſubtiliter pinſito, & tenuiter cribrato, identidem cryſtallinum vitrum inde Plumbi bracteis, alternis his inſperſis repleatur fictile fuſorium vas, ut utrinque combuſtum Æs contingat, adhibe paulatim ignem, inde follium flatu liqueſcat: ubi autem refrixerit, adhærentias ſeparabis, & ter quaterque eandem operam impendas, & colorabitur, inde Cadmiam terram tenuiter tuſam, & rubeam habeas, ac paſſis Uvis, aridis Ficubus, & Dactylis remiſtis in vaſe ſubſternito, inde Cyperi radicem, vel Curcumam dictam adhibeto: ſemicoloratas bracteas viciſſim inſpergito, ac operculo inhibeto: tenui tamen foramine pervio, tamdiu lentum adhibendo ignem, donec humiditatem exhalaverit, inde vi follium

ignem vexando colliquetur, & in virgam projiciatur: nec auri patitur ſocietatem. Cadmia autem terra ſic purpuraſcet: Ferri ramenta in lebete igneſcunt, Ammoniacum Sal inſpergito, remiſceto, in pilam projicito, & conterito, deinde in ignem quater revocato & in vas demum projicito, deſtillatum peracre Acetum infundendo per menſem in fimo condito; Acetum detrahito, & fecibus Cadmiam terram ſæpiùs imbibas, & rubeſcet; in aliis utitor. Alius extat tingendi modus: Ferri, quod diximus, crocum habeto, in pilam Calcanthi par pondus injicito, Hæmatitis lapidis & Sulphuris, æquis portionibus tantundem, Auripigmenti ſeſquitertium, Cadmiæ terræ rubificatæ ſextum, omnia in minutiſſimas partes concidito, aptoque vaſe ignibus indito, dum evolet humiditas: vigorato poſtea, & vis ea ſublimet omnia, cujus pars una ſuper Plumbi quatuor in Auri colorem convertet. *Porta.*

Arcanum Philoſophorum, ut ex Saturno facias Aurum perfectum.

Rec. Libram ſemis Mercurii Philoſophorum, & uncias duas Sulphuris eorundem: amalgama utraque ſimul invicem, ita ut de alterutro nil appareat, ſed remaneat pulvis niger ex his duobus: quem recipe, & pone in phiala ſtricti oris, & pone ſuper fornaculam, ſeu furnellum ollâ mediante cum cineribus cribratis, ut ſcis: & fac, ut cineres non aſcendant ad materiam, & da in principio ignem levem per octo dies, ad hoc ut ſpiritus non aſcendant, & ſi quid aſcenderit in illis octo diebus, reduc cum illo, quod in fundo vaſis remanebit, frangendo vas ſingulis octo diebus poſt primam materiam factam, quæ erit nigra: & ſic frangendo vitrum, tere materiam tuam, & repone in alio vitreo vaſe: & ſic facias omni octavo die, donec videas materiam tuam, in colore cineris: tum diminue cineres per unum digitum, ita ut non remaneat de cineribus niſi per duos digitos, & ſuperpone igni, & tamdiu permitte, donec materia ſit rubea. Et quando videris eam rubeam, diminue iterum de cineribus per digitum & ſic per conſequens, quouſque ſit albiſſima ut nix, & ut poſtea revertatur in colorem rubeum, de qua medicina recipe unciam unam, & projice ſuper octo Saturni præparati, & fiet Saturnus niger, & durus ut Ferrum: de quo ita duro & nigro, projice unciam unam ſuper uncias octo Saturni &

fiet

fiet rubens: de quo rubeo projice unciam unam ſuper octo libras Saturni præparati, & habebis Aurum perfectum. Laus Deo. *Magiſter Odomarus.*

Aurum ex Plumbo.

Rec. Plumbi purgati libram j.
Salis Ammoniaci pulverizati unc. j.
Salis Elebrot triti drach. ij.
Salis nitri in pulverem redacti unc. ſem.
Ponantur omnia in crucibulum ad ignem vehementem per horas duas: poſtea auferatur, & habebis Aurum ſincerum. *Fallopius.*

Aurum ex Plumbo facere.

Calcanthi Cypriani libra una cum aquæ fontanæ libra commiſceatur: deinde per filtrum, poſtea per alembicum deſtilletur, & ſerva aquam in vaſe vitreo ad uſum, poſtea uncia una Argenti vivi in crucibulum ponatur ad ignem, & cùm fervere incipit, adde Auri foliati optimi unciam unam, & ab igne ſemove. Quo facto, ſumito Plumbi optimi purificati atque liquefacti libram j. cui præſcriptum Aurum cum Argento vivo miſceto ad ignem benè cum ferro aliquo: & cùm omnia optimè permixta fuerint, adde ſupra dictæ Aquæ vitrioli unc. j. & refrigerari permittito, & habebis Aurum optimum. Plumbum autem hoc modo purificatur. Plumbum liqueſcat ad ignem, & in aceto fundatur, & extinguatur acerrimo: iterum liqueſcat, & in ſucco Chelidoniæ: poſtea in Aqua ſalſa: mox in aceto, cui Sal ammoniacum fuerit permixtum: demum in cineribus fundatur, ut priùs ſemper ad ignem liquefaciendo: & optimè purificatum erit. *Fallopius.*

Saturnus & Jupiter ut tranſmutantur.

Primò fundatur in crucibulo, & ſuperpone tantum Mercurii vivi, quantum ponderat, & erit tanquam pulvis. Poſtea benè lavetur cum ſale & aceto, dein cum aqua, quoad nigredo ſit tota remota, poſtea exſicca: & miſce, cum ſuo ſale communi arſo, & calcina per quatuor dies, & noctes ad ignem, cum clara flamma: abhinc lava ut antea cum illis, ita ut nigredo tota removeatur. Poſtea funde, & deduc in corpus per deſcenſorium, ſic ſunt purgata ab eorum ſorditie. Pòſt ad hunc Saturnum ita purgatum

debes addere ad marcham quinque eſterlins fini Solis: & ad Jovem duo cum dimidio finæ Lunæ. Et opus eſt, ut iſtud fermentum ſit amalgamatum cum vivo Argento, & factum ita ſubtile, ut queat tranſire per medium panni duplicis. Poſtea pone ſuper igne in crucibulo, & calefac paulatim, donec totum receperit. Poſtea pone in uno thes (vas puto) ad bonum ignem, movendo cum virga ferrea, quoad vivum Argentum diſcedat, & Saturnus maneat: calcinetur ita, ut ſit ita vermilium, ut ſcarlatum, aut album, & tunc eſt robouſſez: poſtea habeas pro libra Saturni unum quartum Vitrioli rubificati, dimidium quartum Ocreæ (d'occre) unciam unam Tutiæ Alexandrinæ, & dimidiam libram Calcis vivæ, & omnia ſimul pulverizentur terendo tenuiter. Poſtea calcina ſeptem dies ad flammam, ſimul reduc in corpus cum Sale petræ, & Euphorbio, & Reſina, & cape quod finum erit: ita Solem, aut Lunam habebis. Et pro Jove cape dimidiam libram Calcis, unum quartum Calaminæ albæ, Alumen (aereum) unum quartum, fac ut dictum eſt anteà, & erit perfectum. Item nota quòd fieri poteſt ſpecialiter Saturnus, ſine levamento, vel fermento Solis. Et ita fit; capiuntur laminæ ferreæ, ſubtiliter cuſæ, vel fabricatæ, & toties calefac rubeas, & extingue in aceto rubeo, & in vino, ſemel in uno, & ſemel in alio, ut relinquat ſuas ſquamas, & mundetur, ut Venus & Vermilium. Poſtea amalgama cum Argento vivo, & fac ut dictum eſt ſupra de Sole ex Luna, & perfectum eſt. *Raymundus Lullus.*

Plumbum in Stannum vertere.

Tantam Plumbum cum Stanno affinitatem habet, ut facilè poſſimus vertere Plumbum in Stannum, quod ſimplici evenit lavacro; dum enim ſæpius lavabitur, ut pars illa aboleatur terrea, in Stannum tranſmutari vidimus: Argentum enim vivum illud, quo in puram reducebatur ſubſtantiam, & non fœdam, ſemper in Plumbo remanet vel ejus pars, unde facilè ſtridorem adducet, & in Stannum convertet. *Porta.*

Plumbum & Stannum in calcem vertere.

At Plumbum & Stannum in calcem vertere ſi volumus Stannum vaſe liqueſcat aliquo, & in tenuiſſimum ſalem projicito, Coryli caudice vertendo, ut adhærentes partes

ſepa-

ſeparentur, & in granula Milio proxima vertantur. Vel eliquatum per arcta cribri foramina trajicito in frigidam aquam, ac veluti vermiculos effinges, denuò opus repetendo, dum tenuiſſimum efficias: inde pulverem in ferventem aquam mergito, tantiſper mutatâ aquâ, & colatâ, donec victo ſale dulceſcat, & ſalſilago abierit tota, & in fictilem ollam condito, & laterum, vel vitrariorum fornaci condes diebus tribus, & in calcem redactum reperies totum. Vel alio modo, ut granulorum vicem expleat, ut docet *Geber*: Aperto liqueſcat cratere oris ampli, unco ferreo ſuperficiem erodendo, ut cutim detrahat ſuperficialem, excoriando ſemper, donec omne cinefactum, vel pulveratum habebis, ollæ imponitur, & fornaci inditur, & laxato obturamento viſitur, dum in calcem vertatur candidam. Vel aliter: Fictili cratere amplo, lutoque munito colliquetur Plumbum, ferreâ ſpatâ verſando, per diei quadrantem, nulla dum in pulverem vertatur, interpolatione, quod in ollam injice, ac forti reverberationis igni per diem apponito, & candicans reperies, ſetaceo cribro tranſmiſſum ſervetur. *Idem.*

Ad Plumbum liquefactum manibus tractandum.

Si ſucco Malvæ, aut Mercurialis manus oblinas inoffensè citraque læſionem Plumbum liquefactum tractare poteris, modò celeri motu id perficias. *Alexius.*

DE SECRETIS STANNI.

CAP. IIX.

E Stanno ſpiritum elicere.

STANNI elimata ſcobs cum Salnitri æquali pondere, ollæ inditur, cujus ſuperiùs ſeptem, vel multas pertuſas accommodabis ollas, ac ſpiramenta luto claudas, & munias: ſupra vitreum vas inverſo ore accommodabis, vel aperto canali cum ſubjecta paropſide: inde ignem adhibe, & incandeſcentis rumorem audies, evolat in fumo ſpiritus, eumque in ollarum cameris, & vaſis vitrei fundo compactum reperies. Temporis ne nimium teras in elimando Stanno: in liquatum Stannum medietas vivi mergatur Argenti, & pi-

la tundatur, & habes illicò: & citiùs evolat Spiritus, & fixum Argentum vivum habes. Organum ſi terreum à latere perforabis, commodiùs paulatim injicies, & obturabis. *Joan. Baptiſta Porta.*

Diaphoreticum ſeu Bezoardicum Joviale.

Rec. Reguli Antimonii Martialis ſtellati
Stanni Anglici optimi ana libram unam.

Miſce ac funde in Crucibulo ignito, deſuper inſpergendo, ni brevi fluat, aliquot drachmas Nitri puri ac ſicci. Liquefactam materiam effunde in Catinum fuſorium calefactum, ſeboque intus perunctum, relictis in crucibulo, hincque abjectis Scoriis. Paululum refrigeratam dein illam Maſſam, quæ Regulus eſt ex Joviali & Martiali mixtus, in mortario minutiſſimè contuſam per cribrum trajice, cribratam pondera, triplum dein Nitri mundi probè ſiccati ac pulveriſati admiſce, hancque miſcelam per vices ignito crucibulo immiſſam, detona, calcina, calcinatamque adhuc ferventem per partes aquæ frigidæ injice, & aliquoties recenti aquâ affuſâ Nitrum omne elue, atque ſic edulcora; tandem pulverem coeruleſcentis coloris inter chartam emporeticam in loco ſicco exicca, atque in Vitro probè clauſo, iterum ſicco in conclavi ad uſum aſſerva. Nota, ſi benè elaboratum ſit, nullas oſtendet regulinas nitentes, vomitumque facilè excitantes particulas, quas in præparatione evitabis, ſicubi ignem ſaltem calcinationis, non autem fuſionis, ſub quo in Regulum facilè abit, dederis. Datur cum fructu in Ulcere Pulmonum, aliorumque viſcerum internorum, in Acido acri debellando, fibris demulcendis; Obſtructionibus reſerandis. Hinc in Tabe, Atrophiâ, Hecticâ qualicunque Febre, Scorbuto, Paſſione Hypochondriacâ, ac Hyſtericâ, Menſium ſuppreſſione & Cachexiâ uſurpari ſolet. Doſis à gr. vi. ad gr. 15. *Zvingerus.*

Specificum Antihecticum Poterij.

Reguli Antimonii unciæ ſex fluant in crucibulo ignito, tum injiciantur Stanni puriſſimi unciæ tres, invicem hinc liquata effundantur, ſolideſcere permittantur, atque in pulverem redigantur; cui poſtmodum Nitri puri ſiccique triplam quantitatem admiſce, hancque miſcelam

in

in crucibulo detona, calcina, edulcora, & exicca in pulverem, vitro probè munito, locoque ſicco adſervandum. Doſis eſt à gran. 6. ad gran. 12. in Phthiſi, Tabe qualicunque, Febri Hecticâ & Lentâ, Paſſionibus Hyſtericis, &c.

Stanni ſtridorem tollere & mollitiem.

Stannum eſt & Argenti æmulum, ſimulque multum colore communicant, hærentque: ſuapte naturâ Stannum talem ſortitur colorem, ut alia maximè dealbet corpora, ſed & frangat ea & friabilia reddat, præter plumbum: quique artificio aliquo commiſcere callet, non minimum nanciſcitur opus. Pro viribus ergo Argentum imitari conemur, quod facilè præſtabitur, ſi quæ inficiunt, infirmitates aboleſcimus, ac funditus eruimus ſtridorem, videlicet ſurditatem, livorem, & mollitiem: non enim prius ignitum liquatur, ſed igni adhæreſcens eximiè velox fluxum facit: has impingunt notas, nec in meditullio conjunctæ, ſed uti adventitiis illud ſpoliare poſſumus, & primò docebimus Stanni ſtridorem tollere, & mollitiem. Non deſunt, qui id evenire tradant cineribus, calce, oleis, & deſtillatis aquis, ſi colliquatum extinguitur, nec minùs bullitionibus. At ſic perfectiùs, & commodiùs expedias. Igne ſtannum poſtquam fuerit ſolutum, Argentum vivum injice, amove, & in vitrea cucurbita accommodato, cui venter in orbem turgeſcat, & collum in longum porrigatur, atque curvetur, inferveſcat igni, ejuſque vi Argentum vivum ſublimet, & per vaſis collum ſuſpendatur, & deſcendet ſtillatim ut prorſus abſumatur: remanet in fundo Stannum hoc identidem ter, quaterque efficito, dum penitus, uti glacies, nullum exhibeat ſtridorem. Sic verò aliter rectiùs expedies: In calcem redigito, uti ſuprà docuimus, ut fugitivam illam, & non fixam Argenti vivi ſubſtantiam deleat, vel Sulphuris potiùs illius cauſam: & ſi primam, & ſecundam poſt vicem non eveniet, viciſſim tertiò proſequere, in corpus eum debitè reducens, voti fies compos, & ſic dureſcit, ut priùs igne candens videatur, quàm ſolvatur: nam vehemens ignis vivi Argenti humidum conſumit, quod facilem præbet fuſionem, ut durius igne ſolvatur, ut igniantur, ſed manifeſtius in Stanno, quàm in aliis metallis id experitur. *Idem.*

Stanno

Stanno ſurditatem adimere.

Si vis Stanno ſurditatem adimere, quia per ſe molle eſt & ſurdum, dum cedit percutienti; metallis verò reliquis aſſociatum, fit magis durum, & ſonorum. Sed hoc opus, hic labor erit: conſortium enim pervicax omnium reſpuit, niſi Plumbi, & omne aliud reddit fragile. Sed tali perficies artificio. Forti aquâ ſolutum fatiſcat, ſic Argentum ritè purgatum Plumbo, aliúdve unà miſceatur aquæ, & levi igne vas inferveſcat, & vi redundantis caloris in vaporem ſoluta ad ſumma elata devolet aqua: reſiccatam extrahito, & in aliud transferatur vas, forti denuò infuſa tantiſper Aquâ donec conjuncta, ac per minima complexata videantur: vel utrumque in aquam ex Calce redigatur, & permiſceatur: ſpirituum enim (ut ajunt) corporumque fit mixtio. Si contingat ipſius lucem hebetari: Igne liquatum Cyclamino demergatur: ſic dulce, ſonorum, fulgens, & optimum quod vocant, habebis ac album. Commiſceri quoque poterit Argento, & aliis Stannum, per vivum Argentum, quod aliquos ſenſiſſe video, & optimum parant Pſeudargyron: In liquatum cum vivo Argento Stannum immiſcent Argentum, & diutius igne detinent, detrahunt, & ſic fragile in figulariæ Cretæ pilam involvunt, & per diem ſub igne detinent, vel calidis cineribus. *Idem.*

Stannum in Plumbum vertere.

Facilè quoque Stannum in Plumbum vertere quiſque poterit, ſi ſæpiùs in Calcem reducet, & præcipuè, ſi convenientem in reductione illi adhibuerit ignem: ſtridorem enim amittens, facilè in Plumbum vertitur. *Idem.*

DE SECRETIS STIBII.

CAP. IX.

Regulus Antimonij.

Rec. Antimon. electi libras duas,
Tartari crudi ſubtiliter triti ſeſquilibram.
Nitri puri, ſicci & tenuiter pulveriſati uncias 16.

Miſceantur, atque in crucibulo ignito detonentur; poſtea adhibito igne ſuppreſſionis in fluorem redigantur, quo facto in conum fuſorium calentem intúsque ſebo illitum effundantur,

dantur, conum, ut fundum petat Regulus, concutiendo, tandem Scorias ab eo ſeparando, & Regulum aquâ abluendo. Ex Scoriis verò Aquâ ablutis *Crocum metallorum*, atque per præcipitationem *Crocum emeticum*, vulgò *Sulphuris aurati Antimonii diaphoretici* nomine notum, ſeparare poteris. E Regulo formantur Scyphi vel Globuli vomitorii; exinde parantur quoque Diaphoretica varia calcinata.

E Stibio ſpiritum elicere.

E Stibio poſſumus extrahere ſpiritum hoc modo: Stibium quod ſeplaſiariis Antimonium dicitur, tenuiſſimè manualibus molis ſubigitur, & trituratur: inde nova olla carbonibus accenſis condita rubeſcat tota, cui Stibium, Tartari duplum, Salnitri quadruplum optimè tuſa paulatim injicies, cumque tollitur fumus, operculo claude, ne ſurgens fumus evolet: tollito demum, & aliud projicito, dum totus comburatur pulvis, igni poſtea aliquantiſper proroget moras, extracta refrigerari ſinito, & ſuper extantes tollito feces, & in fundo inſidens vivum Argentum reperies, quod vocant Chymiſtæ *Regulum*, & Plumbum præ ſe fert, facileque in hoc transformatur. Si enim (*Dioſcorides ait*) paulo magis crematur, in Plumbum vertitur. *Porta.*

Crocus Metallorum.

Rec. Antimonii electi, Nitri puri & ſiccati ana libr. j. Minutiſſimè trita & mixta in crucibulo ignito detonentur, poſtea maſſam exemtam in Aquâ ſolvendo, pars ſubtilior eluatur, ac poſtquam hæc ſubſederit, aqua decantetur, novâque affuſâ pulvis probè eluatur, liquor autem decantatus & cum Aceto præcipitatus dat *Sulphur auratum Antimonii diaphoreticum*, communiter ſic dictum. Crocus hic emeticus eſt, in ſubſtantiâ minimè dandus, niſi naturis valdè robuſtis, in Infuſo autem pro emetico propinatur, dum unciæ v. g. duæ Vini albi generoſi duodecim vel 15. aut 20. granis hujus Croci per 12. horas plus minus ſuperaffuſæ relinquuntur, hinc filtrantur ac bibuntur. Valent in Cruditatibus Stomachi, Vertigine, Cephalalgiâ ac Epilepſiâ ſympathicis.

Antimonium diaphoreticum.

Rec. Nitri depurati & ſiccati libr. iij. Antimon. optimi libr. j. Pulveriſata ſubtiliter, mixtaque benè, in Crucibulum ignitum ſucceſſivè injiciendo detonentur, & calcinentur,

quo

quo peracto, Maſſa copiosâ aquâ fontanâ frigidâ diluatur, & commovendo pulvis ſubtilior cum eâ decantetur, exiccandus, poſtquam ſubſederit, & aliquoties affusâ novâ calente aquâ edulcoratus fuerit. Aqua verò iſta Nitrum, quod ex Antimonio hauſit, per exhalationem ſuppeditat, diciturque *Nitrum Antimoniatum*, ſeorſim uſui aſſervandum, *Antimonium* autem *diaphoreticum*, quod candidiſſimus eſſe pulvis debet, ſanguinem purificat, diaphoreſin & ſudorem movet, ſcabiem curat, acidum ſanguinis corroſivum deſtruit, circulationem ejus promovet, adeoque in Febribus continuis, Scorbuto, Eryſipelate, Inflammatione, Lue venereâ, &c. proficuum exiſtit. Doſ. m. ac v.gr. 12. ad 20. vel 30.

Bezoardicum Minerale.

Rec. Croci Metallorum libram unam, Spiritûs Nitri optimi libras ſex. Crocum Retortæ injice, Spiritum per vices affunde, oſtio manente aperto, ne frangatur Retorta à calore & æſtu fermentationis. Poſtquam Spiritus omnis affuſus eſt, & Retorta iterum frigefieri incipit, mox eam Arenæ Balneo impone; ſicque ſubdito igne Spiritum Recipiens vas appoſitum abſtrahe ad ſiccitatem uſque: poſtmodum materiam ſemel vel iterùm elutriatam, niviſque inſtar albam, ſuper fornacem calidam exicca, & uſui adſerva. Doſis à gr 6. ad gr. 15. In omnibus Affectibus, in quibus Antimonium Diaphoreticum laudatur. *Zvingerus.*

Aliàs communiter & compendiosè magis Bezoardicum hoc præparant: Scil. miſce probè octodecim Nitri puri, ſiccatique uncias cum unciis ſex Mercurii Vitæ, vel Butyri Antimonii, dein materiam hanc in Crucibulo ignito detona, calcina, edulcora, atque ſicca. Quanquam autem hâc ratione quoque Sulphur emeticum Antimonii vel deſtruatur ſatis vel figatur probè, priorem tamen præparandi rationem præferimus. *Idem.*

Tinctura Antimonij.

Rec. Antimonii optimi uncias ſex, Salis ex Nitri & Tartari æqualibus portionibus invicem calcinatis atque detonatis facti uncias duodecim; fluant probè in tigillo forti, & adjice eis ſubinde carbonum pulverem, hocque continua, donec nulli carbones ampliùs ſuper maſſam fluentem alacriter cum ſcintillatione deflagrent. Tunc relinquatur Maſſa in igne per horam, & probè fluat, poſtea effundatur in Conum calefactum, ac ſtatim quàm calidè pulveriſetur,

ſetur, eiąue affundatur Spiritus Vini rectificatus, quo tincto alius affundatur, & hoc continuetur, donec ſufficiens quantitas Spiritûs tincti habeatur. Iiſdem viribus pollet, atque Antimonium diaphoreticum, ac præterea tamen adhuc Urinam movet. Doſis eſt à Gutt. 15. ad 30. *Jüngcken.*

Vitrum Antimonij.

Accipe Antimonii crudi libras duas, vel tres, contere ſuper lapide minutiſſimè: contritum immitte in patellam non vitreatam, atque admove ad ignem lentum, ut ita mundificetur, continuè agitando cum ſpatula ferrea, vel cochleari ferreo, donec incipiat veluti conglobari, tum removeatur, & rurſus ſuper lapide, ut antea comminuatur, iterumque igni admoveatur, fiatque hoc per decem, vel duodecim vices, calcinando & terendo, donec pulvis cineris ſubalbidi formam adipiſcatur. Poſtea immittatur in crucibulum, unà cum uncia Salis ammoniaci, & cooperiatur, inque copioſum ignem immittatur, atque obruatur, ita ut carbones trium digitorum altitudine excedant ipſum crucibulum: ita liquabitur, & coquetur ſufficienter intra dimidiæ horæ ſpatium, poſtea eximatur, & in pelvi aurichalcea tenuiter diffundatur, & refrigeretur, & habebis Vitrum Antimonii, quod hyacinthi inſtar pellucet. Datur à granis tribus uſque ad novem cum æquali menſura gummi Tragacanthæ, & Sacchari ſufficiente quantitate, in forma vel Tabularum, vel Electuarii, vel Pulveris. Hoc in colicis, & febricitantibus ſæpiſſimè feliciter ſum uſus.

Oleum Stibii.

Antimonium in tenuiſſimum pulverem redactum, ac cucurbitæ vitreæ impoſitum, Aceto acerrimo, & diſtillato maceratur ſuper levi ignis calore, tantiſper donec rubro colore Acetum inficiatur. Coloratum in aliud vitrum transfunditur, novumque fecibus ſuperaffunditur, donec rurſus rufum colorem concipiat. Iſtæ autem transfuſiones, & additiones novi Aceti ſuper feces, toties ſunt repetendæ, donec nullam ampliùs rubedinem pulveres ex ſe emittant. Acetum verò collectum levi igne deſtillari debet, donec rubedo paulatim condenſari incipiens, alembicum petere videatur. Tunc refrigeranda ſunt vaſa, ac liquor rubeus, quadraginta diebus fimo calido macerari debet,

debet, donec perfectam olei formam acquirat. *Quidam ad Geſnerum.*

Oleum ſeu Butyrum Antimonij.

Rec. Mercur. ſublimat. corroſivi, Antimon. elect. ana libram unam. Pulveriſata in mortario marmoreo optimè miſceantur, cavendo ſibi à fumo exhalante; & Retortæ, cujus tertiam circiter partem vacuam linques, injiciantur, ſuper infuſo uno alteroque aquæ ſimplicis cochleari, poſtea ex arenâ fiat deſtillatio in liquorem craſſum inſtar *Butyri*, quem dein *Cinnabaris*, ſenſim ad latera Colli Retortæ adhærens, inſequitur, quæ fractâ Retortâ colligatur, & aliquoties Aquâ fontanâ abluatur, Butyrum verò per reſidentiam depuretur. Butyrum hoc cauſticum eſt, & extus in erodendis abſumendisque uſurpatur Carnibus luxuriantibus, Verrucis, &c.

Quòd ſi Butyri iſtius uncia una cum Aquæ frigidæ unciis decem miſceatur, tum pulvis albus, *Mercurius Vitæ* dictus, emeticam vim potentem habens, exinde præcipitatur. Liquor autem reliquus acidulus, ſi rectificetur, ſub nomine *Spiritûs Vitrioli Philoſophici*, aliorum Spirituum acidorum, Salis præcipuè, naturam habens, notus eſt. *Cinnabaris* verò Epilepſiæ, Convulſionibus, Vertigini, Hyſtericæ paſſioni, Arthriticis doloribus, aliisque malis egregiè medetur. *Pharmacopœa Auguſt. renovat.*

DE SECRETIS SULPHURIS.

CAP. X.

Sulphur ſublimatum ſive Flores ejus.

SULPHUR à ſordibus probè repurgatum, Chalcantho in calcem redacto, & Sale torrefacto commiſcetur, indituraque vaſi, & ex arena calida urgetur, dum Flores appareant citrini. Quod ſi aliquoties iteretur, Flores tandem album acquirent colorem: qui per ſe, vel in Oleum reducti, & exhibiti, plurimorum morborum medicina exiſtunt. *Innominatus.*

Flores Sulphuris ſimplices.

Sulphuris communis in fruſta confracti uncias duas injice in cucurbitam terream vitreatam, & impoſito alembico vi-

co vitreo ex arenâ ſublima, igne non nimium intenſo, ne ſulphur fluat, quod ita in Flores ſublimabitur, qui repetitis ſæpe alternis alembicorum vicibus ſunt colligendi, & denuo Sulphuris ſubinde aliquid cucurbitæ immittendum, quouſque ſufficiens Florum quantitas collecta fuerit. In Tuſſi, Pathiſi & Aſthmate imprimis laudantur. Doſ. à gr. 4. ad 10. vel 12. *Ibid.*

Tinctura Sulphuris.

Accipe Oleum Terebinthinæ claræ & albæ, cum Aqua fontana diſtillatæ, vel per balneum, vel per veſicam, quantum ſatis eſt, Sulphuris ſublimati, ſuper lapidem optimè triti, tantum, ut oleum Terebinthinæ per digitos duos emineat: miſceantur in vaſe vitreo benè, deinde ponatur ad Solem, vel fornacem, vel in Balneo Mariæ per dies aliquot, vel donec Oleum tingatur. Quo facto, ſenſim oleum effundatur in phiolam: rurſus aliud Oleum Terebinthinæ ſuperfundatur Sulphuri: iterumque in balneo digeratur, & effundatur. Quod cùm quater, quinquies, vel toties factum fuerit, donec Oleum non ampliùs ungatur: collectum oleum omne in Balneo Mariæ deſtillandum eſt, & remanebit Tinctura in fundo cucurbitæ, plurimorum morborum medicina.

Oleum ſulphuris.

Si vis autem Sulphuris oleum, ſic extrahes: vas vitreum habeto oris ampli, & concavum, in campanæ formam: ubi luto illeveris, pede ferreo ſuſpendatur filo, inferiùs autem amplum receptaculum locato, ut è marginibus campanæ, extillans oleum recipias, cujus medio terreum, vel ferreum accommodetur vas Sulphuris conditum: ignem tunc ſuccendito, & dum comburitur, aliud recentius ſuperindatur. Nam dum uritur, conſumeretur erigens ſe fumus. Vaſisque ferens fundum, humectatis exhalationibus corporeſcit, & reciprocans in Oleum coaleſcit, ac inde dilabitur.

Aliud ignem admittens, & detinens.

Vivum cape Sulphur, non ignem expertum, ac Juniperi oleo portionibus æquis remiſceto, & igne è vitreis cucurbitis Oleum elicito, in neceſſariis utitor. *Joan. Bapt. Porta.*

DE SECRETIS CINNABARIS.

Cap. XI.

Modus parandi Cinnabarim.

OMNES, qui ſecretis, & rebus metallicis delectantur, artem conficiendi Cinnabaris agnoſcunt, ſed in parva admodum copia, ut duarum aut trium librarum. In Germania verò & Gallia quidam ſatis grandes faciunt maſſas, quas in Italiam advehunt. Quare cùm ipſi occultum hoc teneant, nos ad communem utilitatem, in publicum edere voluimus. Sumito Argenti vivi partes novem, Sulphuris citrini partes duas, quidam ſumunt tres, alii quatuor, alii cum Argento vivo æquant pondera. Nam ad pingendum Sulphuris copia abeſſe non poteſt, quin potius Cinnabaris accendit ruborem: ad alia verò, tres aut quatuor unciæ Sulphuris, in ſingulas Argenti vivi libras ſatis ſunt. Sulphur in patella, ſive olla aliqua ampla, ad ignem ponatur ut liqueſcat, liquatum ab igne removeatur paululum: deinde poſito Argento vivo in panno aliquo, addatur Sulphuri, ſenſim comprimendo pannum, & continuò miſcendo donec optimè permiſtum, frigidumque fuerit. His optimè miſtis, & frigefactis, materia eximatur, contundatur, atque ſubtiliter conteratur: deinde cribretur, & fiat pulvis, de quo ſumito tantum, quantum volueris, & ponatur in amplam cucurbitam vitream, luto ſapientiæ obductam. Verùm cucurbitam plenam eſſe non oportet, ſed ad quartam ſolùm partem. Quibus factis, ponatur cucurbita in fornace ſuper cineribus, & coquantur primò igne lento per horas tres, deinde aucto. Verùm ſi magnam copiam efficere voles, adde ſenſim pulverem alium, miſcendo ſemper baculo aliquo, cucurbitâ continuè ſuper igne ſtante. Sed ut res perfectè fiat, infundibulum in cucurbita ſitum eſſe oportet, per quod baculus in ſuprema parte circum luto obductus, ita ut infundibuli os, cùm demittitur baculus, obturet, quò continuè materia permiſceri queat. Quibus factis ac primò pulvere ad ignem per horas quinque cocto, donec vel omninò, vel pars aliqua ejus ſublimata fuerit, addantur duo cochlearia recentis pulveris calidi, attollendo baculum, ut injici queat: deinde rurſus demittendo. Ponitur autem baculus, ut alius pulvis injici valeat:

leat: nam niſi poneretur, cucurbitæ os ita à pulvere adhærente obſtrueretur, propter ſublimationem, ut alius addi non poſſet. Atque in hoc tota ars conſiſtit, ad conficiendas maſſas quantumvis magnas. Si enim materia ſimul injiceretur, tunc antequam materia ſublimaretur, cucurbita ipſa fornaxque liqueſceret. Quare per partes ponenda erit, ut cùm prima pars cocta erit, atque cucurbitæ circumadhæſerit, alia addatur, atque in fundo cucurbitæ coquatur, donec itidem ut prima adhæreat, atque rubeſcat. Atque ſic continuè addendo pulverem, fiet maſſa Cinnabaris inſignis, cujus in medio foramen erit, à baculo contractum. Quòd ſi foramen quoque obturare voles addito pulverem, baculo priùs extracto: deinde ore cucurbitæ obſtructo, coquito tamdiu, donec pulvis in medio quoque ſublimetur, adhæreat & obſtruat foramen. Atque hic eſt modus conficiendi Cinnabarim optimus, iſque in Italia huc uſque incognitus. Cæterùm hoc animadvertendum videtur, ut baculus aliquando moveatur, attollaturque ne pulvis adhæreat, obſtruatque infundibuli foramen: præterea ſi ignis quoque magnus atque continuus ſit, nihil nocebit. *Alexius.*

Cinnabaris quomodo fixa reddatur.

Jam tertii ordinis medicinas aggredi opportunum fuerit: ſiquidem ſcio multum animos ab hujuſmodi lectione detinuiſſe, cùm à libri initio nil aliud concupierint, ſic pecuniæ luxus irrepit. Nunc profundiora naturæ myſteria panduntur, apud eos tamen, qui nummos exoptant, ſi ferè aliquis eſt qui eos non depereat. Et ſi alias ab antiquis tertii ordinis medicinas tradimus, cùm nobis non ſit eorum copia, in aliud tempus fortaſſe differre cenſuimus. Multi ſunt, qui multa tentárunt experimenta: quorum ea, quæ lucroſiora, & expeditiora ſunt trademus. Et ex iis primò Cinnabarim fixam reddere, qui id facere quæſieris, ita faciendum eſſe cenſeo: Cinnabaris confractæ partes ad magnitudines juglandium vitreo in vaſe capacitatis ejuſdem Argenti pondere jam triplicato, vel majori diſſeminatas condito, & viciſſim inſperſas, luto munias, & reſiccari ſinas, ſin minùs in Solem, ut repetas oportebit: inde cineribus immerſum tamdiu lento igne decoquas, quouſque infractum plumbeo colore liveſcit, quòd ſi nec ſic quidem, jugem operam impendas, dum ad id

perveneris: inde Plumbi duplo eluas, ac elotum examinibus omnibus expoſitum, pertinacius obſtabit, majoris ponderis & virtutis: & quò leviori uteris igne, tantò felicius res peragetur. Sic verò animatur Argentum, & amiſſum reſarcitur. Sublimato vivo Argento ex Aceto diſtillato bulliat, inde vivum Argentum remiſcebis, & in vitreo recurvo vaſe vivum Argentum fervefactum avolabit, & in receptaculum dilabetur, & ſervetur: ponderis (ſi ſapis) parum amiſiſſe comperies. Aliter ſic, & citius, & lucroſius ſic facies. Infractas Cinnabaris partes ad teſſerarum magnitudinem in oblongum linteum ſacculum accommodabis, ollæ lateribus undique diſtantem, inde lixivium peracerrimum fundas ex Alumine, Tartari duplo, vivæ Calcis quadruplo, & cineribus Roboris æquali portione, confectum, uti fieri ſolet, vel ratione aliquâ parandum: per diem ebullire ſinas, exime, & ebulliat cum oleo, jugem operam impendes, & integram cum nocte diem ſinito quoque illic eſſe, & exemtas ex oleo Cinnabaris partes, ovi Albumine ſubacto perlinito, ac in tertia parte elimatæ Argenti ſcobis revoluto, in fundo apti vaſis ſubſternito, ritè figulari cretâ munitum, ut diximus, ignem adhibe diebus tribus & adeo ſub finem augeſcat, ut igni cedat, & ferè liqueſcat, detrahe, & ex fecibus extremo Argenti examine perluito, & ad verum, & naturale deducito. Sic & aliter fixum reddere poſſumus: ſi teſtaceo in vaſe rotundo undique clauſo, ubi exili ſpiramento Cinnabarim immiſeris, glutino ex Ovi albumine illinas, ne vi ignis carbunculet, igni accommodato, paulatim vigorando, vel lignorum ferratura, quouſque eundem contraxiſſe colorem cernes: ne feſtines: opus enim omne corrumpit, & ſæpè à Philoſophis præceptum noſces: ſed hoc miniſterium quærit majus. Nec aliter inutiliter fixum additur, uſto ære inſparſo fictili in olla, priùs tamen Calcantho diſſeminato, & Calce expleta pertinaci muniatur luto, & triduo Vitrariorum fornaci relinquatur, detrahe, & Argentum Æs retinebit, ſi rectè hæc animadvertes non parum nanciſceris lucri: omnibus enim anteſtat, qui tali parantur arte, facultate, & fructu: nec pauca dixiſſe pœniteat. Id autem ingenioſorum reperit diligentia, unius Pharmacopolæ exemplo, qui cùm Cinnabarim conficere quæreret, in Argentum caſu optimè verſum invenit. Utilius fixum redditur, ſi Cinnabaris arte conficitur, Sulphure non aduſtibili, ac majori parte. *Joan. Bapt. Porta.*

Cinna-

Cinnabaris parandi modus, ad ſcribendum.

Cinnabaris, cùm ſuper lapide porphyrite optimè aquâ communi contrita, deinde exſiccata fuerit, ponatur in vas aliquod oſſeum, vel vitreum, Urinaque ſuperinfundatur: relinquaturque ſic aliquandiu, nam fundum materia petet, poſtea auferatur ſenſim Urina, atque rurſus recens addatur. Quod cum octies, aut decies factum fuerit, optimè purgatum erit. Quibus ſic ſe habentibus, ſumito Ovorum alba, optimè agitata, & in aquàm puram diſſolvantur: eam aquam ſuper Cinnabarim effundito, ut tranſverſum digitum emineat, rurſusque ſimul agitato: deinde cùm reſiduum fecerit, auferentur Ovorum alba ſenſim, rurſusque recentia addantur, fiatque hoc toties, quoties cum Urina factum fuit. Hoc quidem nullâ aliâ ratione fit, quàm ut fœtens ille odor, ex Urina contractus evaneſcat. His omnibus factis, addantur albumina Ovorum recentia, miſceantur optimè, & fiat liquor ad ſcribendum, & pingendum. Cæterùm hic liquor, in vaſe aliquo obturato ſervandus erit: deinde cùm quis hoc uti volet, ligno aliquo miſcendus, ſervatur etiam diutiſſimè incorruptus. *Alexius.*

DE SECRETIS AURIPIGMENTI.

CAP. XII.

Auripigmentum ſublimare.

PRIMO Auripigmentum tenuiſſimè tritum, fictilem in ollam intus vitream conjiciatur, & Oleum affundatur, quod non minùs dodrante ſuperemineat, ligneâ rude miſcendo ſemper, ne fundo inhæreſcat, reſiccatum terito, ſimilemque impendas operam Aceto & acri Lixivio; pulvis demum cum Tartaro, vivâ Calce, Ærisve ramentis in vaſe claudatur vitreo oblongo, & concamerato. Non autem ad ſummum uſque labrum eſt replendum, ſed medio tenus, ritè ejus venter foris luto muniendus, & ad Solem ponendus, uſque dum reſiccatus fuerit, & igni reſiſtere valeat. Clibano hinc accommodabis, ſed os ne claudas, ne occluſo ſpiritu ſtranguletur, coërcitumque ſuſpiret auram: levis verberet ignis fundum vaſis, inde paulatim ſenis concreſcens horis igne tandem candeat, ejusque vi petat fugitiva pars vaſis cameras, ibique in argentum album conge-

ſtum inſideat, vas frange, detrahe, ad uſum recondito. Evenit idem in deſcenſu, nam in præceps faciliùs fertur. Si verò fuerint corpora gravia, aliis adjungantur levioribus, ut faciliùs aſcendat. Ad hunc modum cætera etiam metalla ſublimari poterunt. *Joan. Bapt. Porta.*

Oleum Auripigmenti ſive Arſenici.

Auripigmentum cum duplo ſalis Nitri pondere conteritur: deinde carbonibus ſub dio accenſis catinis imponitur, ſinitúrque dum excandeſcat, huic poſtea Chymicus aſſidens Auripigmentum immittit, quod lento igne liqueſcere ſinit, donec non ampliùs ebulliat: mox rurſus tantum injicit, idemque ut priùs exurere permittit. Hoc tamdiu agit, uſque dum ſatis injectum fuerit: atque tunc conſumto jam ſale Nitri, igne vehementiore per horas quatuor, aut quinque urget, quoad Auripigmentum in fundo Butyri inſtar liquefactum reſideat, refrigeratumque aërio nitore albeſcat, pòſt conteritur, imponiturque marmori, & in loco humidiore ad liquorem reſolvitur: qui tandem ſingulari artificio ex ampulla deſtillatur. Hoc Auripigmenti oleum cum Melle illitum craſſitiem extenuat: Terebinthinâ exceptum Elephantiaſim abigit: Ani ulceribus, & iis, quæ cicatricem ægrè ducunt, prodeſt. *Paracelſus.*

DE SECRETIS CHRYSOCOLLÆ.

CAP. XIII.

Chryſocolla, quam Boracem *vocant, quomodo purganda, & multiplicanda.*

QUAM nunc *Boracem* appellant, ab antiquis Chryſocolla dicebatur, cujus duo genera fuêre, & naturale, & artificiale, ut ex *Dioſcoride*, *Plinio*, aliisque conſtat. Eâ utebantur in quibuſdam medicinis, atque ad Aurum conſolidandum, quâ etiam hodie utuntur. Ineſt enim ei vis quædam, liquefactionem metalli ad conſolidandum aptè accelerandi. Utuntur etiam hac noſtri, ad Auri & Argenti ſcobem liquefaciendam, atque in unum corpus cogendam. Præterea & mulieres quædam ad Faciem dealbandam, & cutem mollem, venuſtamque reddendam, propterea quòd neque dentibus, neque cuti ullam perniciem afferat. Apud veteres reperiebatur viridis Chryſocolla, quæ hodie

hodie neque inveniri, neque parari poteſt. Habetur quidem à noſtris alba una, altera nigra, quæ fortaſſis nonnihil ad veterum viridem alludit. Alba, in fiſtula longa formata, & nervoſa, Alumini ſimilis eſt, ita, ut vel plurimi decipiantur, vel alios decipiat. Nam ſuper ignem depoſita ebullit, atque inflatur, remanet poſtea alba, ſpongioſa, & fragilis, Aluminis inſtar. Cognoſcitur autem differentia à peritis inter Alumen & Chryſocollam tribus modis: quorum primus eſt ex ſapore ſumtus, ſiquidem Aluminis ſapor quodammodo ſubacris, & aſtringens eſt, cùm neutrum horum Chryſocollæ inſit, ſed ferè ſaporem inſipidum contineat, ut medius ſit inter Oleum & Lactis ſerum. Quare plurimi Impoſtores, cùm alios decipere volunt, ponunt Aluminis fruſta in oleo Amygdalino, & Lactis ſero. Sunt præterea ex iis, qui addunt Mel, vel Saccharum, ut ſapor acris, aſtringensque Aluminis obtundatur. Reperiuntur & alii, qui ad ignem liquant res prædictas, addendo Salnitrum, Sodam herbam, ex qua Alumen in catino conficiunt, vel Sal alkali, Tartarum, Alumen ex Vini fecibus: deinde in loco frigido formant lapillos, ſimiles Chryſocollæ, ſed aliquo modo differentes. Nam Chryſocollæ lapilli ſunt longi, Aluminis verò quadri. Secundus modus: Alumen, cùm uſtum ad ignem fuerit, plurimùm materiæ relinquit uſtæ, ita, ut plus quàm antea eſſe conſpiciatur, minimum enim, quod ab uſtione relinquitur, exiſtit. Tertius denique modus, quo Alumen à Chryſocolla dignoſcitur, eſt, quòd metalla Alumen neque liquet, neque ita benè conſolidet, ut Chryſocolla. Nam quòd etiam aliquo modo liquefaciat, id accidit virtute Salnitri, Salis alkali & Tartari, quæ aliqua ex parte colliquationem juvant. Cæterùm cognoſci poteſt ex hoc, quòd Salnitrum ad ignem poſitum ſtridet, & ſcintillat. Quidam ex prædictis miſturis in Sero lactis diſſolutis, & in lapillos congelatis componunt lapides, verùm ſapore ſalſos, lucidos, & in liquando nimis vehementes. Quare volentes Aurum conſolidare, aut Argentum, ipſum Aurum, vel Argentum unà diſſolvunt. Quæ ſaccharum in ſe continet, auro vel argento ſemper inducit maculas. Fiunt etiam compoſitiones quædam, quæ etiamſi vim, ut Chryſocolla, conſolidandi, & colliquandi obtineant, tamen formâ & ſapore differunt, quarum aliquas paulò pòſt recenſebimus. Sed ut ad veram, & perfectam veniamus Chryſocollam, quæ noſtris temporibus invenitur, dicimus, ſuperioribus annis conſueviſſe ex

Alexandria advehi doliola quædam, adipe quodam plena, in medio lapides parvulos continente, quod *paſtam Chryſocollæ* nominat, quam Arabum ſcriptores quidam veteres *Nitrum Alexandrinum* appellant. Hiſce verò temporibus ex occidente quoque advehitur, neſcio qua de cauſa, an ſcilicet ibi facta ſit, vel aliunde, nempe ex India apportetur, propter quod magnam ſuperioribus annis hic fuiſſe penuriam intelligerent. Eo enim tempore unc. j. vendebatur coronato uno, quo nunc libra facilè haberi poteſt. Modus autem parandi iis locis ſic ſe habet: in Auri & Argenti, atque etiam Æris fodina aquam quandam inveniunt, quæ (quemadmodum ego ipſe vidi, & expertus ſum) per ſe ipſa eſt apta: atque perfecta ad conſolidandum, liquandum vel Aurum vel Argentum, id quod etiam in Germaniæ quadam parte ſuperiore comperi, ubi ſimilis aqua invenitur, omnibus adhuc incolis incognita. Sumunt hanc aquam unà cum fecibus, quam coquunt ad certum ſpatium, quæ ſic colata, ſpatio temporis in lapides parvos, Nitro haud abſimiles, cogitur. Quoniam autem hi lapides conſiſtere ſic nequeunt, ſed diſſolvuntur, fit, ut his lapidibus, unà cum ſuis fecibus in fundo relictis, tanquam nutrimento Axungiam porcinam, vel alterius animalis pinguedinem addant. Hoc facto, ad fodinas ſeſe conferunt, ibique foſſam amplam faciunt, cujus fundum & materiam inſternunt, & ſuper hanc lapillos, quos diximus, collocant; deinde rurſus adipis maſſam, mox iterum lapillos, atque ita pergunt ad eam, quæ placet, altitudinem, alterum ſuper altero collocantes, ſic tamen, ut extremum ſtratum ſit ex illa pingui materia: ibi per menſes aliquot apertam relinquunt: quanquam plerique hæc omnia domi in terra, aut in amplis vaſis faciant. Cùm autem libet vendere, atque aliò mittere dolia, vel parva, vel magna, ut videtur, eâ materia unà cum lapidibus replent, & hoc paſtam Chryſocollæ, ſive Boracis appellant. Mittunt etiam ex jam dictis locis Chryſocollam & lapillos abſque jam dicta paſta, ſed eo paratos modo, quo jam diximus: quoniam abhinc triginta annos major copia factitii quàm ejus pinguis maſſæ afferebatur: propterea quòd in Italia eâ uti neſciebant, nec reparare, aut purgare lapillos nôrant: itaque nullus erat ferè ejus uſus, præterquam in quibuſdam diſtillationibus, ad fucos muliebres eliciendos. Verùm tandem quidam Venetus, & mulier quædam ab ipſo edocta,

cta, id refringere & conficere cœperunt, atque inde magnum quæſtum fecêre, donec paulatim conficiendi modus & aliis cœpit innoteſcere: quamvis aliis magis, aliis minùs, fortè pauci ſunt, qui eâ facilitate, & bonitate facere nôrint, quam nos hîc perfectè trademus. Sumito itaque hanc maſſam, eam inquam, quæ plurimos in ſe lapillos continet, & rancida minimè eſt, quoniam indicat eſſe veterem, & lapillos eſſe comminutos, atque magna ex parte conſumtos: deinde in libras decem paſtæ, aquæ tepidæ mediam ſitulam miſce, & pone in vaſe aliquo teſtaceo, manibus benè pinſando, & miſcendo, panis in morem. Quod cùm factum fuerit, coletur optimè, lapidesque in cribro relicti eximantur, ponanturque in catinum, ſuperinfundendo oleum Olivarum, ut in acetariis conficiendis fieri ſolet: deinde cùm ad Solem benè purgati, & uncti manibus fuerint, ponantur in ſacco miſceanturque probè, ſicut Sacchari confectiones ſolent, & ſerventur in ligneis vaſis, tanquam optima Chryſocolla. Quòd ſi reficere, & multiplicare voles, ſumito aquam illam colatam, atque ad ignem lentum coquito, ad perfectam uſque confectionem, ſpumando tam feces, quàm ſpumam accuratè. Coctionem autem eſſe perfectam, tribus modis licet cognoſcere: primò ſi aquæ gutta ſuper unguem poſita non diffluit: ſecundò ad modum Syruporum, ſi in charta hæreat: aut, (quod eſt tertium,) ſi funiculus in ea extinctus, & inter digitos ductus, aſperitate quâdam digitos tentavit: ſi cocta fuerit, cacabus ab igne auferatur, & operculo ad hoc aptè parato, ne quid ſordium ingredi queat, operiatur: mox in fuſoris cumulo ſepeliatur, ſuperque furfur, craſſioribus pannis, aut lodice, aut culcitrâ, preſſè admodum contegatur: poſſes etiam fimo calenti, per octo vel decem dies condere. Quod cùm factum fuerit, auferatur, & invenies pinguedinem quandam, ſive cruſtam in ſuperficie, quam deſumtam ſeponens, invenies præterea tanquam glaciei fruſtula quæ pariter exemta, inque alio vaſe poſita, aquâ diligenter elues, & in umbra ſiccabis. Quo facto, illos lapillos, qui in ſetaceo cribro manſerant, cum his noviſſimis miſceto: inde Aluminis ex Vini fecibus albi, ſed non ex eo, quod pro ſpecimine proponi ſolet (nam id inutile eſt) ſed ex optimo, libras tres, Nitri uncias octo, Aquæ communis ſitulas tres, miſceantur, & ponantur ad ignem lentum, deſpumando benè, donec per-

fectè, ut priùs cocta fuerint. Quo facto, auferatur ab igne, & reponatur donec optimè reſideat, tum ſumito hujus aquæ ſitulam unam cum dimidia, ponatur ad ignem lentum, & cùm fervere incipit, addito prædictæ pinguedini, vel cruſtæ, ſive cutis, ſuperiùs exemtæ libras vij. cum dimidia, coquantur, quantum ſatis eſt, ut priùs. Tum ab igne removebis, ponesque in ligneo vaſe aliquo, ſupraque vas duos baculos, decuſſatim collocato, è quatuor baculorum angulis ſingulos funiculis alligato, ſed, ut funiculi tendantur ad ſingula capita, plumbi fruſtum appendito, ac ſic in materiam demittito, ita tamen, ut à fundo digitos quatuor abſint: hoc autem fit, ut materia ad funiculos adhæreſcat. His rebus adminiſtratis, eo modo condes, ut aliud ſupra feciſti. Hoc autem in ſacco, id eſt fovea non ponitur, ſed ubi eximendum erit, quod funiculis adhæſit, pennâ oleo imbutâ linitur, reliquum verò cacabo adhærens, oleo erit conſpergendum. Cæterùm lapilli, qui eximentur, non ſint minores Avellanis: qui autem minores ſunt, relinquantur in aqua, ac rurſus coquantur ut ſuprà: atque ſic continuando, donec omnis aqua in Chryſocollam convertatur. Verùm hoc notandum videtur, ut primæ maſſæ in aqua tepida diſſolvendæ addatur, Ciceris inſtar, Coagulum leporinum, quò meliùs reliquæ Chryſocollæ partes coagulentur. *Alexius.*

DE SECRETIS SALIUM.

CAP. XIV.

Sal alkali.

FIAT foſſa, cui tranſverſim imponantur ligna, quibus ſupponatur acervus herbæ Kali, & accenſo igne fiat, ut in foveam ſtillet liquor ex herba: qui liquor tandem concreſcit, & fit Sal Alkali, coloris partim nigri, partim cineritii, valde acris & ſalſus, ut etiam corrodat. *Joan. Bauhinus.*

Sal ammoniacum quomodo ſublimetur.

Sal ammoniacum ſublimatur, vel ex ſquamâ Ferri, vel ex arena repurgata, vel per feculas Vini exſiccatas, & in ſalem redactas, hoc modo: Sal ammoniacum cum æquali ſquamarum Ferri pondere conteritur, indituràque vaſi, & igne primum

mùm exiguo, poſtea adauctiore urgetur, donec excandeſcat: in eo caloris gradu ſervatur horis duodecim: deinde refrigeratis omnibus, eximitur id quod elevatum eſt, & cum pari ſalis præparati pondere rurſum in altum pellitur, ut antea: idque toties reiteratur, donec Sal nivis inſtar albeſcat.

DE SECRETIS VITRI.

CAP. XV.

Vitri elaborandi modus.

MODUS elaborandi Vitrum conſtat hoc modo: Fruſta Vitri excocta, ex omni genere colorum (hæc autem Venetiis, ut pleraque alia, pulcherrima fiunt) candelæ exponuntur, & ut in tenuitatem quam volueris, atque mollitiem devenerint, confeſtim admota loco, annexaque franguntur, aut extenduntur: & ob celeritatem hæc ambabus manibus fiant. Difficilius eſt in his, non ut in aliis initium aſſequi, quàm ex initio exactam artem. *Cardanus.*

Vitrum fictitium.

Fit etiamnum pro adulterandis gemmis Vitrum fictitium, & illud ex Vitri albumine parant, quod alii ex arena fluviorum quorundam, & herbarum cineribus conficiunt, ſic efficies. Multa ovorum Albumina ſimul exagitabis, iis veſicam impleas: inde in ollam aquæ plenam ferventis immittas, ac diu coqui ſinas, detrahe & per multos dies reſiccari curabis, loco tamen non pulverulento: nam non relucens vituperatur, & ſic lapideſcet, ut in Vitri duritiem tranſeat. Si autem coloratum reddere quæſieris, coloratis aquis ebullire ſinas, ſi Topazion, aquâ in quâ Crocus diſſolutus, ſi Pyropum, Braſilii raſura: ſic alios tingito. At ſi Nitri pondus, vel gemmæ non explent, ponderoſos immiſceto colores, uti Cinnabarim, Argenti vivi ubertate non levem; ſic Vitri pondus imitabimur, non tamen duritie tum robuſtiſſimâ, ut ſcalpturis pertinaciter reſiſtat, nec radi abnuat lima. *Joan. Bapt. Porta.*

Vitrum ut molleſcat.

Vitrum molleſcit maximè Plumbo; tenax fit diuturnâ coctione, Plumbum metallaque in calcem priùs redigere opor-

oportet: abſumitur enim pars impurior, & opaca, & vis illius tamen in vitro manet. *Cardanus.*

Vitrum ut dividas.

Ut Vitrum dividas, filum Sulphure & Oleo imbue, locum circumda, accende, repete, donec locus optimè incaluerit, inde ſtatim filo alio, aquâ frigidâ madefacto, rurſus circumdabis: frangitur enim eo loco, ac ſi diviſum fuerit Adamante. Namque ex Adamante certius & exactius dividitur, ſed longiore tempore opus eſt. Et rurſus rotâ æneâ & Smiride. *Cardanus.*

Vitrum quomodo molleſcat.

Si in ſanguine Hirci & ſucco Senecionis Vitrum efferbuerit, aut maceratum fuerit, reddetur tam molle quàm eſt cera, vel argilla: ſic ut quidvis ex eo fingi poſſit. Priori verò naturæ reſtituetur, ſi in frigidam aquam demergatur. *Geber & Albertus.*

Aliter ut molleſcat.

Si ſanguis Hirci, & Cineres Vitri æquis portionibus mittantur in acetum; deinde chymico organo diſtillentur, & in acceptam aquam Vitrum maceretur, plicatile, cereum, ac ductile evadet. Indurabitur verò, ac priori naturæ reddetur, ſi in frigidam mittatur, vel eadem lavetur. *Ex ſecretis cujuſdam ingenioſi Vitriarii. Mizaldus.*

Vitrum viride ut fiat.

Vitrum viride fit ex cinere Silicis: ſalſum enim aliquid continet, & Kali ſimile: unde melius redditur. *Cardan.*

Cryſtallus ut fuſilis fiat.

Cryſtallum terito, & in cerniculo in tenuiſſimum pulverem ſubcernito, cum Tartari ſalis medietate, ex qua orbiculos effingas, & crudo fictili validiſſimo fornacis igne totâ candeat nocte, nec liqueſcat, aptè deinde vaſe colliquetur, ſed omnibus purga à ſordibus: ſi enim fœtulentus fortaſſe fuerit, arguitur, & dolus detegitur, ſed inoffenſâ interniteat perſpicuitate, quòd ſi ſalis pluſculum ſuggeratur, celeriùs liquefit. Aſſolent multi Cryſtallum præparare aliter, ut faciliùs liquetur, ſic & operi aptior eſt.

eſt. Ferreum cochlear capiunt magnum, luto muniunt, & in fractas cryſtalli partes igni committunt, dum illæ incandeſcant, inde Tartari oleo reſtinguunt, id multoties innovant, & æreo mortario terunt, ut faciliùs pulvis colliquetur. Hoc in adulterandis utimur gemmis. *Joan. Baptiſta Porta.*

Ad Vitrum ferruminandum.

Albumen ovi conquaſſatum, Calcique vivæ admiſtum Vitri fragmenta ferruminat, ac teſtacea quæque ita glutinat, ut diſſolvi nequeant, propter lentorem ac tenacitatem glutinoſam. *Mizaldus.*

Ad Vitri fragmenta conglutinanda.

Accipe Vernicem liquidam, craſſam, & inveteratam, cum qua fragmenta vitri conglutina, conjunge benè & liga, ne quovis modo disjungantur: deinde pone ad Solem, vel fornacem per multos dies, donec optimè ſiccetur vernix: quæ demùm circumhærent, cultello dextrè abradantur: & erunt optimè glutinata, ita ut neque liquore, neque aliâ aliquâ re unquam à glutine liberentur. Cavendum tamen, ne liquor calidus ſeu fervens infundatur. *Alexius.*

Vitra quomodo conglutinanda.

Accipe Viridis æris qu. ſatis eſt, incorporetur benè cum Vernice liquida, & utere. *Roſcellus.*

Gluten ad vaſa lapidea.

Rec. Minii, Ceruſſæ, Calcis vivæ, Vernicis ſcriptoriæ ana unc. ſem. omnia in tenuiſſimum pulverem redacta, cum quatuor ovorum Albuminibus incorporentur. *Roſcellus.*

Aliud ad idem.

Rec. Vernicis liquidæ,
Ceruſſæ,
Boli armen. ſing. q. ſufficit. Miſc. *Idem.*

Aliud ad idem.

Rec. Vitellorum ovorum q. ſ.
Viridis æris parum.
Miſce. *Idem.*

Aliud ad idem.

Rec. Viridis æris,

Mi-

Minii,
Vernicis liquidæ ſing. q. ſufficit.
Miſce. *Idem.*

Gluten ad Vitra.

Rec. Salis communis in aqua diſſoluti,
Cineris cribrati ana unc. j.
Farinæ ſiliginis drach. ij.
Miſce, & utere. *Roſcellus.*

Aliud ad idem.

Rec. Cornu cervi,
Laterum tritorum,
Picis Græcæ,
Spumæ ferri,
Albuminum ovorum ana q. ſatis eſt.
Miſce. *Idem.*

Aliud ad Vitra & Vaſa terrea.

Rec. Calcis vivæ,
Offium animalium,
Ceruſſæ ana unc. j.
Minii,
Viridis æris,
Tartari ana unc. ij.
Omnia in tenuiſſimum pulverem trita cum Vernice liquida commiſceantur. *Idem.*

Aliud ad idem.

Rec. Calcis,
Ceruſſæ,
Albuminum ovorum ana q. ſufficit.
Miſce. *Idem.*

Gluten ad Vitrea vaſa conjungenda.

Rec. Vitellorum ovorum,
Fabarum recentium,
Calcis vivæ ana q. ſufficit.
Miſceantur. *Roſcellus.*

Aliud ad Vitra & Lapides.

Rec. Vitri triti,
Calcis vivæ,
Lactis ficuum ana q. ſufficit.
Miſce. *Roſcellus.*

Aliud

Aliud ad idem

Rec. Ceræ novæ,
Picis Græcæ,
Maſticis,
Olibani,
Laterum tritorum ana part. j.
Terenda triturentur, & ad ignem miſceantur. *Idem.*

Aliud, Ejuſdem.

Rec. Sulphuris,
Maſticis,
Olibani,
Picis,
Ceruſſæ,
Cineris ana part. æqual.
Miſceantur omnia benè ad ignem, & utere.

Aliud Ejuſdem ad idem.

Rec. Calcis vivæ tritæ,
Vernicis liquidæ,
Albuminum ovorum ana q. ſufficit.
Triturentur ſimul ſuper lapide porphyrite, & fiat gluten pro lapidibus.

Aliud ad idem.

Rec. Maſticis unc. ſem. Ceræ albæ, Vitri triti, Laterum tritorum ana unc. ſem. Miſceantur optimè ad ignem, & fiat gluten pro lapidibus. *Roſcellus.*

Speculorum compoſitio.

Specula, chalybea vocata, fiunt ex Æris partibus tribus, Stanni & Argenti parte una, Antimonii decima octava parte. Aliqui, imò plures Argentum compendii cauſâ relinquunt. Sunt, qui ex Stanni libra, Æris triente, colliquatis jam, ac Tartari uncia, Auripigmenti albi ſemiuncia additis, ac donec fumum emittant ſuper prunas decoctis, laminas conficiant. Denique exceptum Metallum liquatum denuò tabulis ad rectitudinem formatis, calefactis, & fundo lachrymæ Laricis, & Vitis cinere lævigatis, in ſpeculi figuram deducunt. Pòſt aqua, & arena tabulæ glutino annexæ lævigant, inde Smirite, aut Pumice lævi, quartò Stanni calce. Argentea verò ſpecula minori negotio miſcentur, quandoquidem ipſum per ſe ſolum Argentum, id omninò

præ-

præſtat, quod à Speculis requirimus, verum & illuſtrius, & minore ne frangantur periculo. *Cardanus.*

Specula quæ juniores homines efficiunt.

Specula quæ juniores homines repræſentant, ſunt quæ rugas non oſtendunt, & rubri aliquid immiſſum habent. Porrò rugas non oſtendunt, quæcunque non ſunt omninò exquiſita, ſed tamen ſplendida, itaque & talia vidimus, & caſu & arte fiunt, ut quædam decennio juniores redderent homines. *Idem.*

Quomodo res multiplicata videri poſſit.

Inter ludos, qui circumferuntur, non parum jucunditatis eſt ſpecillum, inſtrumentum vitreum illud, quod oculis apponimus, ut commodiùs aliquid intueamur: neque enim ex his, quæ oculos fallunt, potior reperiri poterit via, quàm in medio (eo enim permutato, permutantur omnia) illud ergo à ſolidiori vitro majorique craſſitie paretur, ut aptius in facies, & angulos accommodetur, quibus aliquid numerare volumus: in eorum tamen medio anguli metam habeant, & oculorum congruat aciei, ut diſgregetur viſus, ne verum conſpicere poſſit. E pluribus ergo ſuperficiebus jam paratis, oculis apponi, & ſi alicujus faciem intuebimur, Argentum vel oculatum totum: ſi naſum, non niſi naſum: ſic manus, digitos, & brachia, ut non hominem, ſed Poëtis fictum Briareum; ſi nummum videre contigerit, multos non unum conſpicies, ut nec manibus tangi valeat, ſed tangentem ſæpè ludat, meliusque fuerit cum eo dare, quàm accipere: ſi in trireme longius intuearis, armata videbitur claſſis. Si in ambulantem militem, exercitus agmine facto incedens, fitque ut res geminari videatur, & duplices cernas hominum facies, binaque corpora: & hinc fiunt diverſi conſpiciendi modi, ut res una alia videatur, quæ omnia quærentibus, & explorantibus patefiunt. *Joan. Bapt. Porta.*

Speculis planis, ut caput deorſum, pedes ſurſum videantur.

Si quis planis Speculis, ſurſum pedes, caput verò deorſum ſpectare conſpiciat (quanquam id repræſentandi proprium concavis Speculis ſit) planis tamen ſic efficere conabi-

nabimur: Specula plana bina ſecundùm eorum longitudinem collocabis, ut ſimul hæreant, ne hinc inde agiliter dimoveri poſſint rectumque efficiant angulum: ubi ritè paratum fuerit, ſecundùm longitudinis cohærentiam faciei opponatur, ut in uno media, in alio reliqua videatur facies, tunc ſpeculo lævo, vel dextro inclinabis latere rectius inſpectando, & caput intorqueri videbitur, cùm ſecundùm eorum latitudinem faciem diſſecabunt, fiet imago hujuſmodi, ut caput infrà, pedes verò ſupra locati videantur: quòd ſi amplum fuerit, totus ſpectabitur inverſus homo, id autem mutuâ & multiplici evenit reflexione: ex uno enim in aliud reſilit, ut obtortum videatur. *Idem.*

Speculum occulta detegens.

Speculi, quo occulta videamus talis eſt compoſitio. Plana duo ſpecula ex Cryſtallo factitia, qualia Venetiis fiunt, qui non adeò ut chalybea vitiantur, æqualia ad unguem junge ita, ut alterius longitudo longitudini reliqui ad amuſſim hæreat, & ut circa axem poſſit velut integumentum circumvolvi, ſic ut ſuperficies unius cum alterius ſuperficie quandoque unum planum efficiat: quandoque ſolidum, rectum, obtuſum, acutumque, ut libuerit. Tunc in ſublimi ſpeculum immobile è directo loci ſuſpendes latentis, ita ut ſpeculi facies plano tuo perpendicularis immineat: ſpeculi autem mobilis facies longitudinem loco, quem deſideras, oppoſitam habeat: tunc quicquid geretur in cubiculo illo, modò lux adſit, circumvoluto mobili ſpeculo, donec æqualem angulum faciat, quod oculus tibi declarabit, dum quod quæris vides, ſpectabis omnia. Quòd ſi locus, quem videre deſideras ſublimior ſit, quàm ille, in quo es, editiore loco ſuſpende. *Cardanus.*

Speculum, in quo ea cernuntur, quæ longè alienis in locis geruntur.

Eâdem ratione, ſi velis quod procul fit, quinque millia paſſuum videre, & interjectis muris, ut in hoſtili civitate, edito loco ſpeculum ad perpendiculum ſeu finitori æquidiſtans quàm maximum ſuſpende, aliud verò in manu habens, ut illius facies reſpiciat (non prorſus ſupina, neque ad perpendiculum exquiſitè erecta) ſpeculum quod ſuperius collocaſti, demum ſenſim te è directo primi ſpeculi elongabis, paulatimque ac alternatim, modò dextra, modò ſini-

ſtra inflectes, donec locum planè conſpicias in ſpeculo tuo, tunc illud vix movens à ſitu, videbis quæcunque illic aguntur, & fiunt: nec aliud eſt hujus rei, ut dixi, quàm machinarum hoſtilium ignearum impedimentum. *Idem.*

Speculum è planis, in quo unius rei imagines plures appareant.

Speculum autem è planis compactum, cui ſi una res demonſtrabitur, plura illius det ſimulachra, prudens invenit vetuſtas, ut è Ptolomæi ſcriptis percipitur, cujus talis eſt compoſitio. Plana tabula, vel loco, quo tale erectum quæris, hemicyclus diſponatur, & hanc ſecundùm imaginum numerum æquè dividas punctis: iis chordas ſubtendas, & apſides abſcindantur: inde ſimilis latitudinis parallelogramma erigas plana ſpecula & altitudinis, firmiter glutinentur, & accommodentur, ne convelli poſſint, ſecundùm longitudinem adjuncta, & ſuper planam ſuperficiem erecta, poſtremò ſpectantis oculus circuli locetur centro, ut uniformem ad omnia viſum habeat, ſingulis ſingulas ſpectabis facies, & in circulum diſpoſitas, uti in choreis ſæpè viſitur, vel theatrali ſpectaculo: Ideò ab eis *Theatricum*, vel *Theatrale* dicitur: è centro enim faceſſentes lineæ perpendiculares omnes, ſuper eorum ſuperficiem incidunt: in ſe ipſas ergo reflectuntur, ſic oculo imagines afferunt, depromens unaquæque ſuam, ſic devolvendo diverſeque ſitum variando, varios & diverſos monſtrat ſimulacrorum ſitus. *Joan. Bapt. Port.*

Speculum multividum conſtituere.

Speculum conſtituitur, quod *polythaton*, id eſt, multorum viſibilium dicitur: Illud enim aperiendo, & claudendo ſolius digiti viginti, & plura demonſtrat ſimulacra, ſic igitur id parabis. Ærea duo ſpecula, vel cryſtallina rectangula ſuper baſin eandem erigantur, ſintque in hemiola proportione, vel alia: & ſecundùm multitudinis latus unum ſimul colligentur, ut libri inſtar aptè claudi, & aperiri poſſint, & anguli diverſentur, qualia Venetiis factitare ſolent: faciem enim unam objiciens, in utroque plura cernes ora, & hoc quanto arctius clauſeris, minorique fuerint angulo, aperiendo autem minuentur, & obtuſiori cerneati angulo pauciora conſpicientur numero. Sic digitum

gitum oſtendens, non niſi digitos cernes, dextra inſuper dextra, & ſiniſtra, ſiniſtra conviſuntur, quod ſpeculis contrarium eſt, mutuaque id accidit reflexione, & pulſatione, unde imaginum viciſſitudo eſt. *Idem.*

Speculum, in quo dorſum tuum videas.

Quòd ſi dorſum tuum videre velis, ſpeculis duobus planis id commodè aſſequeris, quæ quantum majora fuerint, eò erunt etiam meliora. Primum retrò collocabis medio ſitu inter ſupinum & rectum, alterum ſublimiore loco, quàm tu ſis medio ſitu inter pronum, & erectum ante oculos tuos, optimeque quæcunque in tergo habes, videre poteris. Memineris etiam ſi, gratiâ exempli, annulum ex adverſo ſpeculo collocaveris, annulus verò & ipſe ſpeculum ſit, velut incluſo Saphiro, videbis in ſpeculo imaginem annuli, cujus gemma imago tua apparebit: hoc autem ex multiplici reflexione continget. Idem in duobus continget Speculis, & multò majore miraculo in tribus. *Cardanus.*

Speculo ut uterum, & gulam videas.

At ſi profunda obſcuraque, ut uterum, gulam, cubiculum tenebroſum videre propoſitum ſit, amphoram magnam aquâ plenam vitream collocato è directo loci, & lumen poſt amphoram, ut amphora media ſit in recta linea inter lumen, ac locum, quem videre deſideras: inde omni alio ſublato lumine, oculum tuum colloca, ubi amphoræ lumen non impedias, locum tamen inſpicere poſſis, videbisque cuncta, ut in luce clara. *Idem.*

Speculum è planis componere, in quo imago una veniens, in altero recedens conſpiciatur.

At Speculum in quo imago una veniens, in altero recedens conſpiciatur, è planis componere ſic facilè poteris. Plana duo ſumes Specula, quorum longitudo latitudini dupla, vel ſeſquialtera erit, & id commoditatis gratiâ: nil enim eorum refert proportio: ſint tamen longitudinis ejuſdem & paria, & ſuper ſtylum invicem inclinata uniantur, eriganturque ſuper planum aliquod perpendiculariter, unde ſuper mobile latus fixa moveantur ſpecula, non dubium ſanè eſt, quin & in uno accedi, & regredi in

altero inſpicias: & quantò hæc appropinquabitur, elongabitur illa tantò, ut ſimul in hoc veniens, in altero diſcedens videatur. *Joan. Bapt. Porta.*

Speculum plures repræſentans unius rei effigies.

Sunt & Specula, quæ multas facies oſtendunt, ut quæ è planis multis conſtant. Sed hæc notiſſima, illa admiratione digna, quæ unica ſuperficie plures reddunt imagines. Erat mihi ſpeculum quadratum, è vitro planum, quod utramque aurem geminatam referebat, quaſi ſecunda primæ eſſet imago: erat & remotior. Id effecit, ut crederem, ſpeculum fuiſſe in Hiſpania, & ipſum planum, quod duplicem referret imaginem, faciei alteram atque propinquiorem ſimillimam veræ, reliquam quaſi mortui: nam eadem ratio in utroque. Demonſtremus autem cauſam hujus, ut rem ſciamus, & conficere doceamus. Nam qui vident talia, perterrentur non ſolùm miraculo rei, ſed etiam imagine ipſa. Nam & aures illæ poſteriores pallidæ admodum videbantur. Quia igitur pallidiores hæ figuræ & minus efficaces, conſpicuæ, ac ſimiles primis imaginibus, manifeſtum eſt, quòd velut in Iride duplici, poſterior ex priore fit. Sed ex quo reflexio? Videtur etiam non ſemper duplex Iris, nec niſi in paucis ſpeculis duplices imagines. Sit igitur oculus A. quod videtur B. ſpeculum C. concurſus ad angulos æquales in C. puncto, concurſus cum recta & B. ad perpendiculum in D. ubi videbitur & B. Cùm igitur inclinantur B. & A. valde, quia A. B. C. parum diſtant à ſpeculi ſuperficie, refrangitur ex C. quia non ad unguem planum eſt ſpeculum, in E. Altius igitur E. quàm C. altius igitur F. videbitur ſupra D. Quod verò altius videtur, & ſub æquali angulo,



gulo, & longius eſſe exiſtimatur: quare F. poſt D. etiam eſſe videbitur. *Cardanus.*

Speculis planis, ut ea cernantur, quæ longè & alienis in locis geruntur.

Sic ſanè poterit quis occultè, & ſine ſuſpicione ea intueri, quæ longè, & alienis in locis tutò geruntur: quod aliter fieri non poſſet, ſedulus tamen eſto in ſpeculorum ſitu. Statuatur in domicilio locus, vel alibi, quo aliquid ſpectare libeat, & è feneſtra, vel foraminis regione ſpeculum accommodetur, quod faciem ſpectet tuam, & benè erectum, ſi fuerit opus, vel parietibus figatur, undique movendo, inclinando, quouſque quæſitum imaginet locum, quod oculis admovendo, & accedendo aſſequeris: & ſi arduum fuerit, Dioptra, vel alio inſtrumento minimè falles, & ſuper lineam perpendiculariter erigatur, angulum ſecantem, & reflexionis, & incidentiæ linearum, & ea intueberis, quæ loco in illo geruntur, & clarè. Sic & in diverſis eveniet locis. Hinc evenit, quod ſi uno minùs fuerit commodum ſpeculo, idem pluribus ſpectare poteris: vel ſi diſtantia nimia viſile deperdatur, vel parietibus & montibus interjecta dirimatur, Speculum ſuper accommodabis, & alterius regione ſuper lineam erectam, quæ angulum dividat rectum: ſin aliter, neutiquam eveniet, & locum conſpicies optatum: ~~ſpe~~cum enim in aliud imaginem remittens, per decem & multis eliſa imago oculo evolat, eaque cernes, quæ primùm offenderint: dum imago per rectas profertur in lineas, nec locorum, vel parietum anfractum cohibetur viſile: facilisque fuerit conſtructio. Sic ſæpè ſimulachra transferre conſuevit. At ſi aliter faſtigioſum aliquod, vel erectum ſpectare quæſieris, quod neutiquam viſus cernere poſſit; ſecundùm longitudinem bina adjunges Specula, ut diximus, è ligno, vel parietis culmine firmiter alterum ut promineat, & rem habeat objectam: relinquunt verò funi, ut aptè dimoveri poſſit, quando libuerit, & cùm primò nunc obtuſum, nunc acutum cauſet angulum, uti uſus expoſtularit, dum viſæ rei linea ſecundi ſpeculi medio viſus refringatur, & incidentiæ, & reflexionis pares ſint anguli, & ſi alia videre quæris, erige: ſi infima deprime, donec refringatur viſui, tum demum ſpectabitur: ſi manibus alterum habebis, inſpecto illo facilius eveniet. *Joan. Bapt. Porta.*

Speculum horas oſtendens.

Sunt & qui Specula finxerunt, tot facies, quot horæ diei ſunt, oſtendentia, cujus rei teſtis eſt Ptolomæus. Sed & pars imaginis partem cujuscunque horæ declarabat. Sit igitur quadrilaterum, rectangulum, tertiâ parte, longius, quàm latum: diviſum autem in duodecim quadrata æqualia A B C D E F G H K L M & N: conſtruatur ſpeculum juxta eandem rationem diviſum totidem intervallis, atque ſuper ea velamen altius in A. B. & in B. quàm C. & in C. quàm D. ita ut D. ſpeculum tangat. Eadem ſit proportio E. ad F. & K. ad L. quæ A. ad B. & F. ad G. & L. ad M. quæ B. ad C. atque G. ad H. & M. ad N. quæ eſt C ad D. Sint verò velaminis partes ita diſtinctæ, ut altiores poſſint ſenſim transferri ſuper humiliores, ita ut primò ex A. in B. inde utraque velaminis pars ex B. in C. inde partes omnes in D. quo fit, ut cùm gravius fiat pondus, eo breviore rota circumferatur, ut tempore translationum fiant æqualia. Addantur igitur horologiorum rotæ ſingulis tetramorphis, ut ſint tres rotæ, atque in ſingulis diſcrimina æquationum, vel in Planetis ut motus ſit eò velocior propter rotam breviorem, quò pondus magis augetur: ita fiet, ut cùm poſt primi tetramorphim ſecunda, inde tertia detegatur, atque in ſingulis facies ſingulæ, ut pro horarum numero ac partium, facies ac partes facierum in ſpeculo videantur. Hæc autem omnia facilè in horologiis horarum inæqualium, quibus Romani utebantur, perſpiciuntur. Cùm enim rota, quæ volvitur, axem habuerit, ſuper quo movetur extra centrum ejus, tantò celeriùs movebitur in parte propinqua axi, quò axis ab eadem parte centro rotæ removebitur. *Cardanus.*

A	E	K
B	F	L
C	G	M
D	H	N

Speculum quomodo conſtituatur, ut nil imaginet, niſi quæ volueris.

Conſtituit ſic quoque Speculum, ut eo inſpecto aliquis imagine non viſâ ſuâ, alienam videat rei ſpeciem nec undique circumſpectam: Planum ſpeculum in pariete firmabis ſuper planum perpendiculariter erectum, & ſub notam anguli portionem capite inclinetur, è regione cujus parietem

rietem ſcindas, ſub certam picturæ vel idoli alicujus quantitatem: eamque ei apponas ſecundùm portionis quantitatem, ac operias, ut ſpectantem lateat, & res mirabilior videbitur, nec ad illud accedere poſſit. Speculum conſtituto loco imaginem refringet, ut viſu & viſibili per ſpeculum ictus fiat reciprocus, & ibi locetur oculus, quem locum reperies, ut ſuperiùs docui. Incedens ergo inſpector, nec ſui imaginem, nec quicquam cernet unquam, cùm ei opponitur, & ad ſtatutum pervenerit locum, picturæ vel alterius rei ſimulacrum cernet, quod nec alibi ſpectare valet. *Joan. Bapt. Porta.*

Speculum è planis quomodo conſtituatur, quo imaginem in aëre volitantem aſpicias.

Nec erit minoris conſtructionis, & voluptatis Speculum illud è planis compoſitum, quod humi jacens homines volitantes oſtendit, nec ſine miraculo intueberis. Si quis id aſſequi velit, facilis ſic erit conſtructio. Bina jungantur ligna, ut gnomonis figuram imitentur, & fixa undequaque conſtituant angulum, ut Orthogonii trianguli, & Iſoſcelis figuram habeant, firmiter inde in unoquoque pede Speculum magnum unum æquè ſibi è regione adverſans, & æquè ab angulo diſtans, proſternatur eorum alterum, jaceatque: quorum medio locetur ſpectator è terra elevatus aliquantulum, ut faciliùs calcanei formam accedendo, & recedendo cernat: illicò enim cernes, ſi in recta linea te conſtitues angulum illum ſecante, ſitque horitonæi æquidiſtans. Sic imagines Speculo illud in aliud tranſverberat, quod ſpectat intuitor: manus & pedes agitet, & jactet, ut volantes plumigeræ ſolent, ſic videbit ſuam imaginem in altero volitantem, ut ſemper moveatur, dum modò è reflexionis loco non faceſſat, nam vetaretur. *Idem.*

Speculo cylindrico convexo quis intuens, alterius rei penſilem imaginem in aëre ut videat.

Habet & columnare Speculum convexum, vel ejus hemycylindrum (quod parum referre arbitror) talem ſitum in domicilio, vel loco alio conſtitutum, ut claræ rei ſimulachrum in aëre non ſine miraculo pendulum imaginet. Quod ſi videre affectabis, ſic parabis. Cylindricum ſeg-

mentum, mediâ domo ſupra tabulam, vel tripodem erectum firmetur, ut perpendiculariter ſolum feriat, inde è foramine aliquo, vel rimula, à ſpeculo aliquantulum diſtanti oculus collocetur: & ſit fixus, ne hinc inde moveri poſſit: è ſpeculi deinde regione rumpatur paries, ac feneſtræ inſtar accommodetur, pyramidis formam habeat, intus conus, foris verò baſis extet, uti fieri ſolet, ubi pictura vel imago aliqua collocetur, ut oculo ſpectari poſſit, ſed à ſuperficie columnaris ſpeculi reflectatur: ut pictura illa extrà collocata, quæ ex oculi foramine videri non poteſt, in aëre penſilis videatur, quod non ſine admiratione quis intuebitur: efficit id quoque ſpeculum pyramide convexum: ſi ſic accommodabis, ut eandem referat imaginem. Fit quoque eo modo quem inferiùs explorabimus. *Idem.*

Sphærico concavo, ut penſilis quoque imago videri poſſit.

Poteſt & faciliùs ejuſdem rei imago reflexa in aëre videri, quam convexo cylindrico, & clarius concavo eveniet Speculo ſphærali, mirabilius tamen in ejus ſegmento: à ſpeculo enim longè videbitur, cùm in ſphæræ centro appareat. Illud obſcuro aliquo conſtitues loco, & ubi aliquantulum ab eo diſtabis, inverſum cernes caput, tu fixis oculis, & inconniventibus centrum aſpicias, donec ad tuas devenerit acies ultra ſpeculum in aëre reflexa ſpecies, ſemota penitus, dummodo, oculares radii per ſpeculi centrum acti, ſpectrum ſimulachrumque in ſpeculo quoque videas, inde vicinius viſum appropinquando major fit, ut manibus tangi videatur. Quòd ſi magna fuerit Speculi portio, non eſt qui non miretur: nam ſi propiùs accedet, ab imagine terretur, & videbitur naſus naſo obviare, & diſrumpi: ſi quis verò ſtricto mucrone invaſerit, videbitur ab altero invadi, manus perfodi, ut retrò manus agat, & ſi quis dum aliquis inflexerit, pugnum retrò demonſtraverit, videbitur & inſpector colapho affici, ut timeat, faciem retorqueat, & inclinet. Ut tandem faciliùs centrum noſcas, hac utere normâ, ne ad Mathematica divertaris. Pagina, vel cera portionis arcum capias, ut utrinque chordam inducas, & perpendiculariter bifariam ſecato, & in concurſantibus lineis, vel hemidiametris neceſſariò centrum reperies, quod in concavis omnibus cognoſci poteſt. Sunt

& con-

& concavorum experientiæ multæ, quas in ſequentibus trademus. *Idem.*

Speculi concavi imaginationes & operationes.

Centro concavi hemicycli jam invento, diverſitates omnes cognoſcere facile erit, cùm ex eo omnia regulentur, & noſcantur. Si vis ergo inverſum ſpectare caput, extra ſpeculi centrum caput habeto, & inverſum ſtatim inſpicies & pedes ſurſum. Si perfectum non fuerit hemiſphærium, ſed ejus ſegmentum, intra caput faciliùs accommodare poteris, & ingentes conſpicies facies immanis Bacchi, & digitum brachii craſſitudine reddet. Talia fecit concava ſpecula *Aoſtius* (ut refert Seneca) ut redderent majorem juſto imaginem, qui quadra fuit libidinis magna, ſic ſpecula diſponens, ut dum draucum pateretur, ſui admiſſarii motus omnes averſus videret, talique falsâ membri craſſitie ſeipſum fallens oblectaretur. Sic iis omiſſis, dextra ſiniſtra videbuntur: & paulatim caput elongando, major efficitur facies, cùm centro vicinum fuerit, facies binas & quaternos cernet oculos, qui latius Speculum movendo videbuntur, vel caput: ob ſpeculi enim parvitatem ſimul videri non poſſunt. Cùm oculus in centro fuerit, non niſi ſeipſum cernet, eo tranſacto, & duplicatas facies, & inverſa bina cernet capita, dummodo linea per centrum acta oculorum intercapedinem feriat: omnia tamen in contrariam partem moveri videbuntur, inſpector foris cernat intuitu per oculares duos axes, ut geminata videat omnia quemadmodum ſæpè & ratione accidit, ut res plurimis modis duplicari videatur. Sic quoque Speculum in terra, vel tabula aliqua jaceat, & æquè ab eo diſtent, & invicem intueantur: os ſtrictum & longum, & deformis compreſſa multum apparebit facies. Hoc tamen optimi inter cætera tale retinet Speculum, quod eminus ignem jaculatur, nec combuſtionem cauſſatur parvam. Qui verò periculum facere concupierit, ſplendentis Solis radiis ſpeculum opponat, & fomitem, vel accendibilem rem centri loco collocet, quod accedendo, & removendo invenies, lucisque conus oſtendit, & inducit illicò flammam. Quòd ſi diu perſeverârit, Plumbum, vel Stannum colliquefacere poteſt, quanquam Aurum, & Argentum radios colliquâſſe ſolares, me legiſſe memini. Si verò majoris ſphæræ fuerit ſegmentum, per majorem accendit diſtantiam. *Idem.*

De Parabolæ ſegmento, & de Speculis aliis uſtoriis.

Quod Speculum valdè perurat, ſæpiùs retulimus, nunc verò quod maximum, & eminus ignem jaculetur, Speculum conſtruere fuerit opportunum: poſtquam horum meminimus, quale *Galeni*, & multorum teſtimonio, *Archimedem* conſtruxiſſe legimus, & hoſtium triremes incendiſſe. Scito paraboleam ſectionem inter cæteras maximè perurere; radios enim violentiùs congregat, & in unum coarctat. Sectio hæc rectangula vel parabola dicitur. Ut verò cupientibus pateat fabrica, Speculum tale conficiendi cape normam. Sit diſtantia nota, ad quam radios emittere, & comburere quæris, eam dupla, & tali diametro rectangula rotunda Pyramis erigatur: commoditatis gratiâ è cera, vel creta fiat, inde plana ſuperficiei axis æquidiſtans pyramidis abſcindatur portio, & parabolica dicetur: ſi verſus faſtigium in amblygonio hyperbolem: verſus baſim in oxigonio ellipſim habebis, nos parabolam quærimus: ſit tamen portio minor, ut faciliùs excavetur Speculum, & mirabilior res videatur: abſciſſæ portionis ſuperficiem, plana tabula, vel ferri lamina (ut inferiùs docebitur) figuram imitaberis, inde per faſtigium, & baſis medium axem inducito fixum, & materiam aliquam excavabis chalybeam, vel ferream, vel (ſi mavis) mixturam aliquam, quâ parabis archetypum: tale ſic efformatum Speculum Parabola dicitur, ſed ſecundùm datam diſtantiam violenter Soli appoſitum, ut ipſius axis ſit contra Solem, comburet: incidentes enim radii Speculo & perpendiculariter frientes, ſimul in unum reflectuntur, & coincidunt, ut omnes unius radii vicem gerant comburentis multum: ideo nulla eſt inter ſectiones alia, quæ longiùs & valentiùs ignem emittat, quàm Parabola. Aliter, quæ accedunt, multa Specula parantur, nec ſine ignitione forti, uti ex planis multis ſimul coordinatis: ex uno enim hoc fieri non poſſet, ut conſtat geometricæ rationis examine. Sic tamen è planis uſtorum fabricabis Speculum. Sphæricum aliquod concavum materiâ paretur qualibet, & ſimul in cava ſuperficie ordinentur, ut ſe invicem tangant, nec vacuum relinquant, ſintque Speculi ſegmenta hexagona quadrangula, vel trigona: & fuerit præſtantius, ut multarum ſuperficierum numero radii numerentur, ſic Soli oppoſitum, circa centrum accendit ignem. Referebat *Attenius* ex ſeptem hexa-

hexagonis Speculum in unum colligatis ignem accendi; nec experientia ſuccedit, niſi aliquantulum inclinetur, & ex omnium reflexione ignis accendatur. Nec aliter ex pluribus quoque globoſis tumentibus Speculis ignem accendi poſſe inficior, ut multorum numero fiat in unoquoque radiorum congreſſus: ex uno tamen impoſſibile nec ſine labore hujuſmodi talium compoſitio fieret. Poteſt quoque idem fieri, multorum Speculorum concavorum compoſitione, & interſecatione, nec ſine laborioſa operantis induſtria, ſed opus efficacius expedirent, nec minus interſectione multorum Speculorum pyramidalium. *Idem.*

Speculum conſtruere, quo multæ imaginum diverſitates videantur.

Nunc Speculum conſtruere conabimur, in quo multæ apparebunt imaginum diverſitates: & ſi tale difficilis fuerit conſtructionis, imaginum tamen diverſitate, & occurrentia rependet, ut ad ejus fabricam accedatur. Circulum capies arctæ, vel eximiæ capacitatis, quâ Speculum volueris, & hinc inde apſidis portiones abſcindas duas, ex pentagoni quantitate una, altera ex hexagono, quo patuit modo in Mathematicis: inde pentagoni arcus tabulâ quadam, vel ferro intus excavetur, ut ſuo gremio perfectè recipiat, ut ex ea reſecatus videatur, contrariæ autem diſpoſitionis hexagoni erit latus, nam illius quantitas convexa excipiatur tabula, ut inſtar illius arcus promineat, inde cerea, vel plumbea accipiatur bractea convenientis ſoliditatis, latitudine arcum hexagoni, & longitudine utrosque ſuperans, ſic deinde incurvetur lamella, ut ritè in excavato inſideat ligno, ne intercapedo, vel rimula relinquatur ulla, & convexa ſuperficies ſervata prominens, tunc intrinſecus applicetur ſecundùm ejus latitudinem, ne concavitatis forma adverſetur convexitati; ſed lamella eadem utraque ſine impedimento recipiat portiones; ſic parato Archetypo Chalybis, vel alterius rei mixtura Speculum conſtruatur, uti docebimus, & perpolitum multas oſtendet imaginum diverſitates. Primò dextra dextra videbuntur, & ſiniſtra ſiniſtra, cùm planorum omnium Speculorum paſſio ſit, ut oculus, qui fuerit dexter, hic lævus: & è lævo viciſſim fiet dexter. Si verò retrogradus tuleris, commenſuratum videbitur idolum, & imago anterius prominebit, ſi convexæ magis accedes ſuperficiei, turpis fiet imago, &

go, & quantò magis hæret, eò fiet deformior, & equino capiti magis aſſimilare videberis, quòd ſi Speculum inclinabis, inclinabitur & ipſa, & variando ſitum & Speculum, variationes conſpicies diverſas, nunc caput deorſum, & pedes ſurſum, & multa conſpicies, quæ in præſentia recenſere opus non eſt: nam ſuper volubilem ſedem locatum, ut utraſque poſſit facies oſtendere, antè & retro per ſe omnia intuitor cernet. Speculum quoque ex omnibus dictis componimus, ut eo ſolo imagines videantur, quæ in omnibus plura ora, nunc majora, nunc minora, nunc dextra, nunc ſiniſtra: hæc propiùs, illa remotiùs, & æqualia: ſi loco uno ſinuoſum, alio concavum, in medio planum locetur, magna imaginum diverſitas ſpectabitur. Speculo cylindrico convexo ore oppoſito, quantò longitudine deformior, eò gracilitate turpior videbitur, ſi ejus longitudo faciem tranſverſam ſecet, humilem vultum, & compreſſum, uti Rana, demonſtrat, ut non niſi dentes ſpectentur, eodem fermè pacto, qui in enſe ſpectabitur, vel ferro alio polito, & longo, ſi illum inclinabis antè, frons maxima, mentum verò parvum, & gracile Equi effigie. Contra verò retro, ſi in cavo intus inſpicies, plures unius rei conſpiciuntur ideæ, idoli vicem gerentes prælati ſpeculi. Si centro oculum appoſueris, tota cernes cum Speculi latitudine, ſic frontem, os, & reliqua: ſi tale invertes ſpeculum, ut latè faciem ſecet, inverſum caput cernes illico, & cætera, quæ in concavo retulimus. Si convexum pyramidale inſpicies, acuta frons, largum verò mentum, longiſſimus verò naſus. Multa autem concavo inſpicies ora, ſi ſecundùm cavum illud plures planorum Speculorum portiones accommodaveris: intuens enim aliquis ſecundum Speculorum numerum numerabit ea, ejuſdemque motus omnia, & tandem qualecunque fuerit Speculum: utpote non planum, ſemper diverſum ab idolo ſpectabitur. *Idem.*

In ſpeculum excavatum Idolum quomodo foràs emineat.

Recentiorum quoque induſtriâ factum eſt, ut Speculo in eodem plura cernantur ora, vel unius rei ſimulachra, ſine primi impedimento: retro enim excavant Speculum, & concavum parvum effingunt, unde foliolo inducto, uti docebimus, & ritè concinnato, alterius vicem foràs exhibebit. Hinc optimè inventum provenit, ut Speculo quis intuens,

intuens, alterius rei imaginem erectam cernat, ut non ſine ſpectantis admiratione, manibus corripiens nihil, niſi aërem tangat: ſæpè me hoc vidiſſe memini, & ſic res ſe habet: E Cryſtallo in Speculum parato, ſed melius ex Iride gemmâ, uti ſemper vidi, retrò Idolum, vel Imaginem excavant, quâ potuerint diligentiâ, folium inde accommodant ſupra, & in ſede locant, quantum enim profunditatis habebit, tantum extra ſuperficies eminebit, nec tibi ſatisfacies, niſi manibus tetigeris, an verè promineat, ſic literæ ritè leguntur, ut Argento fictæ videantur, nec tanta erit viſûs acies, quin reſpiciendo hallucinetur. *Idem.*

Ut Speculis bracteola inducatur, & vitreâ terminentur.

Jam apparitiones omnes in Speculis quas novimus narrâſſe viſus ſum: nunc autem reſtat, ut pauca & non prætereunda dicam, ut perfectam tradam eorum ſcientiam. Primò Speculorum terminationem, quæ è Cryſtallo, & Vitro parantur, inde aliorum mixturas, & polituras ut ſciens Artifex & noſcere, & componere ſciat: nam quanquam inter multa, quæ rerum referunt imaginem, velut aqua, gemmæ quædam, politumque metallum, nil æquè perſpicuè reddit ſimulachra, quàm Plumbum vitro ſublitum. Perſpicua ſpecula, è Cryſtallo, aut Vitro parantur; cryſtallinis planis folia quædam retrò inducuntur: cavis verò & convexis vitreis mixtura quædam inducitur, quâ tota illa perlinuntur. Cryſtallina ſpecula, ubi plana, & adæquata ſunt, quantitatis ejuſdem artifex ſtanneam efficiat bracteam planam, & tenuem, quâ poterit diligentiâ. Si enim Cryſtallum, vel vitrum non ſublineretur Plumbo, ob ſui vigorem, naturæque denſitatem, non ſiſteret impreſſam imaginem, ſed dilabi ſineret, quia Vitrum rarum, & pellucidum, ob ſui pellucentiam non contineret, unde evaneſceret in eo ſimulachrum, ut in Sole lumen: Inde ſupra hanc bracteam vivum Argentum digitis explicabis, ut ea totum combibat, & ubi in ſuperficie cernes hærere, eaque argentea videbitur, tu hanc manibus capies, & Speculo à parte aliqua inducere incipies, paulatim totum occupando, & circumplectendo diligenter laminâ eâ, ne aciem intrò concipiens, irritum faciat laborem, & ut ejici ampliùs nequeat. Ubi hoc accommodaveris, ſuper planum aliquod locato ac ſupra pondus inducito, & per diem ſic requieſcat. Hinc natura, rerum omnium

omnium parens, Oculum Speculi inſtar compoſuit, quippe à tergo pellucentibus partibus nigrorem quendam adjecit, quo ſublato, tolleretur & videndi facultas. Aliter poſſumus convexa Specula terminare ſic: Ingens formato vas è Vitro, rotundum pilæ inſtar, uti in Vitrariorum fornacibus fieri ſolet: & igne candens illud in ventre perforetur, vel apto inſtrumento, vel aliter colliquato jam vitro vas tangat, & Inflator ſuo fungatur munere: ſic in loco illo perforatur inflatum, foramenque per illud projicitur mixtura, quàm priùs parabis, & colliquatum in vas aliud commodum transferas, paribus ponderibus ſcilicet Stibii & Stanni contuſi & elimati, undique Operator per ſpaciolum revolvat permovens opus, ubi circumlitum fuerit concavum omne, eodem foramine ſuperfluum emanet, & frigeſcat: inde bina, vel plura ſecabis ſpecula, quod rectè perficies Smiri lapide: talem enim ſortitur naturam, ut Vitrum tactu & Cryſtallum ſecet. Perlucida, & terminata tandem ita habebis Specula. *Idem.*

Specula quomodo conflentur, & Speculorum mixtura, & politura.

Si concavum, convexum, diverſeque efformatum Speculum formare quæſieris, & parabolam & ſectionem, quam antea retulimus, cerâ archetypum parabis: aptius enim manibus accommodatur, in diverſam deducitur formam, & aptius erit operi, ubi quæſita Speculi figura cereum archetypum habes, ſequenti terrâ ritè præparatâ, tenui penicillo illinas, dum aliquam habuerit craſſitiem, inde ſupra craſſius tritum aliud manibus accommodabis, taliſque ſoliditatis, fuſum ſuſtinet metallum, ne vi ignis frangatur, & in partes plures diſſiliat, parvo tamen foramine relicto, quo cera detrahatur, & metallum immittas. Soli reſiccandum committas: nam igni inferveſcens fluitat cera, ſic in calidum cavum illud colliquatum immittito metallum, & refrigerari finito, & quæſiti Speculi habes formam. Terræ enim, quibus uti poterimus, multæ ſunt, uti Smiris, Tripolis vocatus, Pumicei lapilli, ſæpè & antiqui Taleri pulvis, cum quibus mutuò perfricantur: Hirci etiam combuſta oſſa, Ferri rubigo, & multa alia ritè tundantur, tenuique ſuccernantur incerniculo, hinc denuò in pilam mittantur, & tritentur. In vaſe dein ſuper ignem incandeſcere ſinunt, & in porphyreo lævigant marmore, ac tamdiu terunt, donec in te-

in tenuiſſimum vertatur pulverem, ut ferè tactum effugiat, & in auras evolare poſſit, inde aquâ, vel cerio ſubtiliorem efficiunt, omnes vel ex his aliquos tali madefaciunt aquâ, quam menſtruum vocant, vivis carbonibus ollam ſale plenam exaggerant: ubi ſal crepitare deſierit, in aqua diſſolvunt. Si ardenti aquâ madefacias, in frigidam adhuc terram projicere metallum poteris: id enim maximè refert, ut terra colliquatum recipiat metallum, uti Tripoli vocatum Aurum ſubſtinet, lapilli Plumbum, & Argentum, vel Æs molarum pulvis: iis non ſolum in ſpeculis uti poteris, ſed in aliis. Mixtura quâ in ſpeculorum efformatione utimur, ita ferè communiter ab omnibus efficitur. Æs cum Stanni triplo, Tartari paululum, & Arſenicum, ut fluat, & inſimul adcorporentur: alii cum Stanno Æris triplum, & Stibii tantillum, Argentum, vel Pyriten album adjungunt: alii ex Plumbo cum Argenti duplo aliisque efficiunt metallis, ſed ubi in teſtaceum vas, igni contumax, fuerit fuſum, in typos immittunt: ſic & aliter Specula temperantur, ſed horum meminiſſe ſufficiat. Jam Speculorum conſtructiones retulimus, nunc polituras ſupereſſe video, nimirum ut poſtquam conflata, & conſtructa fuerint, lævigentur, & præpoliantur. Ut ergo reſiliens radius ſimulacrum reddat, ac ita probè imaginet Speculum, multum lævor certè, & partium concinnitas facit. Si verò læve minimè fuerit, ſcinditur ſimulachrum, unde fit, ut hinc major, illinc minor appareat figura, & diverſa. Rude autem poſtquam fuerit Speculum, rotæ accommodetur, ubi arma expoliuntur, & ad omnium partium lævitatem, & æqualitatem reducas: ſi concavum, vel convexum polies, ne rotæ motus Speculum frangat, lignum dolabis, id ad ſpeculi formam reduces, & pice curabis, ne moveatur, inde linies ſubtiliter; dein infracto panno, vel corio valdè perfricabis, ac pumice in pollinem redacto (facilè enim pulveraſcit) ritè pumicabis, ut accommodetur, & lævorem inducas, vel ubi fixum adhæreat tabulæ, Stanni calx tripoli immittatur, & extricetur: in extrema autem politura tartaro, fuligine, Salicis vel Juniperi cineribus uti poteris, & maximè prænitebit. Smiris autem ſi adhibeatur, optimus quæratur, & conteres, & pannum incernes, aquâ madentem. *Joan. Bapt. Porta.*

Cryſtal-

Cryſtallini Prismatis mira facultas.

Cryſtalli Priſma verò multas Speculorum vires habet, ut quod multas formas referat, tum etiam averſas capitibus in imo, & pedibus ſuprà, ut cava Specula, tum monoculos, & quatuor oculis. In ea etiam colores, maximè dum àdverſus Solem ſecundùm longitudinem collocatur, pulcherrimi, & inimitabiles apparent: verùm oculis applicatum, maximè ubi arbores ſunt, & prata, pulchritudinem cœleſtem refert, coronas, irides, tapeta ubique ſparſa, coloris ſplendidiſſimi, roſei, candidi, viridis, punicei, cœrulei, aurei, mixtique omnes & gratiſſimi aſpectûs: aliam in ſublimi atque adverſam effigiem rerum oſtendit, quaſi planis in montes aſſurgentibus. Finitorem etiam, ac regiones fingit, cum diſtantia maxima, atque jucundi viſûs, quem non labefactat, ſed recreat. Oportet autem magnum eſſe Priſma, puriſſimamque Cryſtallum.

DE SECRETIS

Lapidum & Gemmarum.

LIBER XI.



DE

DE LAPIDIBUS PRECIOsis in genere. CAP. I.

Gemmarum fraudes.

ADULTERANTUR Gemmæ miris modis, qui tamen in tres deducuntur. Horum primus eſt vulgaris, ut inter duas planas tabulas Cryſtalli color cum glutine perſpicuo ponatur, inde coaleſcentibus his, gemma annulo clauditur, ut rima conjunctionis lateat : atque hic modus vulgaris ac vilis eſt. Peſſima eſt fraus, quæ ſubjicitur, nec vulgaris ad fallendum, cujus author *Zecolinus Medionenſis*, qui tabellam ex vero lapide, veluti pro Carbunculo ex Carbunculo, pro Smaragdo, ex Smaragdo nitidam, ac vilem ob tenuitatem coloris diluti, quarum maxima erat copia eritque ſemper, ut & hominum ejus conditionis, accipiebat, cui coæqualem ac craſſam ex Cryſtallo ſubjiciebat, glutinoque quàm tenuiſſimè poterat jungebat, interpoſito colore proprio, ut rubro ſplendido pro Carbunculo, viridi pro Smaragdo, cœruleo pro Sapphyro, utque rima lateret, auro claudebat, quo etiam ſuſpicio doli tolleretur. Vetitum enim eſt in Urbibus nobilioribus gemmam adulterinam auro claudere. In hac fraude nihil præter venditoris autoritatem deſideratur. Rima latet auro abdita, & ob tenuitatem color illuſtrem facit : ſumma ſuperficies, cùm ex genere ſit, veræ gemmæ nitorem proprium reddit. Ita mirificus hic artifex gemmariis etiam ipſis imponebat, donec agnitâ fraude cum fuga ſibi conſuleret, exilio ab omnibus nobilioribus urbibus damnaretur, atque ſic nimia Auri quantitate pudorem urbis noſtræ proſtituit undique : nec tamen ſpernendum latrocinium, gemma trium aureorum coronatorum, trecentis perſæpè, etiam longè pluris vendebatur. Tertius gemmas adulterandi modus longè nobilior, ac minùs damnatus eſt, arte cum natura luctante. Gemma in gemmam mutatur ignis ope. Sapphyrus nitidus, ſed alioqui diluti coloris, cum auro jungitur, apponitur ignis ſenſim, donec liqueſcat, fervet Aurum horis tribus, aut quatuor, inde gemma tollitur, & ſenſim refrigerari permittitur, invenies Adamantem : gemma enim manet: nec lima tangitur : quicquid autem eſt coloris cœrulei perit. Ideo coloris diluti ſſimi Sapphyros quærimus:

rimus: ſunt enim viliores, & celerius in Adamantem tranſeunt, atque perfectius mutantur. Qui primùm invenit hoc ditatus eſt valdè, breviqúe tempore. Inde detectâ re, adhuc lucrum arte relictum eſt, nitet enim plurimum, ob Sapphyri duritiem. Sunt qui ex æquæ marina gemma viliore, & molliore faciant Adamantes pulchros. Sunt & qui Sapphyrum non incoquant auro, ſed cretâ involutum in igne tantum, eodemque modo res ſuccedit. Obſervandum tamen eſt, ut gemmæ frigidæ ignis ſenſim circumdetur, & rurſus, ut peracto opere permittatur refrigerari ignis extinctione, nam detrahere ex igne haud tutum eſt. Vitium eſt, ſi quicquam remanſerit veſtigii de colore cœruleo. *Cardanus.*

Ad conficiendos Lapides precioſos.

Materiam effingendis lapidibus precioſis ſic præſtrues. Impletur veſica multis ovorum albuminibus, ſimul dilutis, & agitatis: tum demum infervente aquâ diu excoquenda committitur, & detracta loco minimè pulverulento, tanto tempore exſiccatur, donec vitri conſiſtentiam induiſſe videatur. Poſthæc in particulas dividitur, quæ paulò pòſt aquis, quo viſum erit colore intinctis & ſaturatis, injiciuntur, ut ibi deferveant, & colores propoſitos imbibant: croceum, ſi Topaſium habere voles & crocum in aquam diſſolveris: Pyropum, ſi braſilii ramenta, & ſcobem: & ita de reliquis. Pulchrum ſanè inventum, & paratu facile, quod ab experto accepi, & tibi commune eſſe volui, ſed eo animo, ne quem decipias. *Mizaldus.*

Ad fingendos Lapides precioſos.

Lapides precioſos cujuſcunque coloris ad hunc finges modum: calidiſſimi corporis ſilices, tamdiu in Figulorum, aut Vitriariorum fornace torrentur, donec in pulverem atteri poſſint. Cujus pars una per ſetaceum ex Creta, vel aliter, miſcetur partibus tribus Minii, Plumbi, à ſordibus repurgati, & vaſculo Aurifabrorum, crucibulo dicto, imponitur, ſed non ad ejus complementum. Additur nonnihil limaturæ Auri puri, vel foliorum ejuſdem, ſi Topaſium, vel Hyacinthum fingere voles: aut tantillum raſuræ Chalybis, Smaragdum: vel quippiam Azuri legitimi, ſi Sapphyrum, aut Amethiſtum: & ita de aliis coloribus. Tum demùm forti, & valido igni, reverberationis nuncupato,

omnia

omnia confuſa, & mixta tamdiu exponuntur, dum colliqueſcant, & mellis ſpiſſamentum induant. Ubi in ipſomet igne ſponte vaneſcente refrixerint, effracto vaſculo, lapidum materia ſanè quàm elegans ſeſe prodet, à perito lapidario, in quas tibi viſum erit formas incidenda, expolienda ac tractanda, & poſtremò per ſolertem artificem annulo inſerenda. Sunt qui uſtos, & torrefactos ſilices atterant piſtillo ferreo in mortario ejuſdem metalli, pro Smaragdo fingendo: & cupro pro Topaſio, abſque alia colorum mixtura. Si pro ſiliceo pulvere Cryſtalli calcinati pulviſculo uti voles, omnia habebis multo elegantiora, precioſiora, duriora ſicuti plus centies ſum expertus. *Mizaldus.*

Gemmæ fictitiæ.

Sic quoque fiunt omnes gemmæ fictitiæ, primò Cryſtallum Berillos, vel lapides alios ignobiliores rotis lævigant, lateribus æqualiter quadris, vel quam quærunt inducunt formam, inde tincturam parant. Smaragdum ærugine, Carbunculum cinnabari, & braſile, Saphyrum cyano, Chryſolitum auro intermixto auripigmento: ne tamen perſpicuitatem arceant eas maſtiches lachrymâ, vel gummi tingunt, & gemmam hinc inde diviſam lento igni ſuper laminam accommodant, taliqúe inficiunt, quod ceu glutinum quoddam unit, ut ſic tenaciter adcorporentur, ac dimoveri non poſſint: quòd ſi meraciùs rubent, aquam, ſi dilutiùs colorem addunt, & ad decorem proficit: ſubtus autem bractearum quadrulas accommodant: cumque annulo gemma inſignita eſt, & in orarum extremis coloris tinctura non deprehenditur, quo omnes arguuntur, nec aliquibus fucum ſubolent. Varioque hujus colore mirè variatur gemmæ color. *Joan. Bapt. Porta.*

Modus conficiendi Gemmas duplices, cujuſmodi Mediolani fiunt.

Sumito Maſticis lachrymam, & cum colore aliquo conterito cum oleo; & pauca cera, & aqua etiam, ſi opus fuerit tingito. Quod cùm factum fuerit, ſumito duo paria fruſtula Cryſtalli, ad rotam expolita, quâ voles formâ, & magnitudine, ita tamen, ut ſuperius fruſtum, ſit inferiore tenuius: ſintque non ſecus adglutinata, & ab omni parte conjuncta, quàm cum digito unguis. Horum alterum, nempe

inferius in pala ferrea ſuper carbones ponito, donec calefiat, deinde prædictâ tinctâ Lachrymâ, in ſtylo poſitâ, & calente, ut fluere poſſit, tingito quantum ſatis eſſe videtur: mox alteram partem, nempe ſubtiliorem calidam, alteri ſuperimponito, & ſic agglutinabitur perfectè, abſque denſitate aliqua, & erit ab omni parte pellucida. Quibus factis gemmæ annulis ligentur, Auri folio rubenti Rubinis, virenti Smaragdis ſuppoſito. Folia autem omnis generis & coloris quomodo conficiantur, ſuo loco docebimus. *Alexius.*

Gemmæ ut niteſcant.

Si vis ſplendentem gemmis inferre nitorem:
Partem quære tibi tantummodo marmoris æqui,
Gemma ſuppoſita petræ ſed flumine pauco:
Sed ne lædatur, tractu leviore limetur
Quantò dureſcit, tantò magis ipſa nitebit.
Arnoldus de Villa Novâ.

Gemmarum ſectio, Ejuſdem.

Præduros lapides ſi ferro rumpere tentes:
Qui cupit egregio lapides irrumpere ferro:
Quos dilexerunt Reges nimium ſuper aurum,
Urbis Romanæ qui celſas jam tenuêre
Arces, ingenium quod ego ſub mente profunda
Inveni, capiant, quoniam nimis eſt precioſum:
Urinam mihi quæſivi pariterque cruorem
Ex hirco magno, modico ſub tempore paſto
Herba, quo facto, calefacto ſanguine gemmas
Incidi, veluti monſtravit Plinius *auctor,*
Artes qui ſcripſit quas plebs Romana probavit:
Atque ſimul lapidum virtutes ſcripſit honeſtè.
Quorum qui noſcit vires, plus diligit illos,
Primus ait verſus quot habet ſententia ſenſus.

Gemmarum ſculptura.

Sic gemmis durum ſculpendis effice ferrum:
Quisquis vult ſolito lapides irrumpere ferro,
Hos habeat ritus, ut acumen temperet ejus
Tempore quo ſolito magis utitur hircus amore.
Solus adeps hujus ſit ad iſtos aptior uſus.

Hujus

Hujus enim candens ſi quis pinguedine ferrum
Extinguit, ſubitò dureſcit acumine firmo. Idem.

De Gemmarum viribus & earundem imaginibus.

Cùm conſpicerem, quos demonſtrant effectus Gemmæ, naturali evenire virtute, horis, configurationibus, & cœleſtibus caracteribus adjutæ, corroboratæque cum lapidum virtuti conformibus, ſignis deſcribantur. Jam ab antiquis multæ poſteritati relictæ ſunt, & prætermiſſæ, nec minimum in monſtris interpretandis earumque virtutibus intelligendis recentior inſudat ætas, ſed ante quàm quæ dicenda ſunt præcepero, plurimos, qui horum meminerint, memoria repeto. *Ptolomæus* affert, hujus ſeculi facies cœleſtibus vultibus ſubjectos eſſe, quibus mira ſapientes operabantur, imagines conſtruentes, & deſcribentes: & Halyaben Rhodam Sapientem quendam Ægyptium Scorpionis ſigillo thure impreſſo ſanaſſe, qui Scorpionis morſu afflictaretur, ille annulo Scorpionis imaginem deferebat, & inſculpi jufferat cœli medium, medium, vel ortus cardinem occupante, & cum Luna juncto, quod & à Serapione ſimile narratur. Utilem quoque adverſus ſerpentes imaginem effici poſſe *Porphyrius* autumat, cùm Luna cœleſtem intrat ſerpentem, vel cùm feliciter aſpicit, & multa, quæ brevitati ſtudentes omittimus. Hic breviter recenſebimus operationes, configurationesque debitas. Ut rem igitur exordiamur, multiplici de cauſa ab antiquis ſcriptas reperimus, uti noſtra ſe extendere potuit cognitio. Primò annulis claudebantur, ut tali literæ clauderentur ſigillo, atque ex eo, qui literas dabat, facies cognoſceretur: quod *Suetonius Tranquillus* de Auguſto protulit, qui in diplomatibus libellisque & epiſtolis ſignandis uſus eſt Sphynge, mox Magni Alexandri imagine, noviſſimè ſuo *Dioſcoridis* manu ſculpta, qua ſignare inſecuti quoque principes perſeveraverunt. Idem *Ovidius* quoque retulit in Triſtibus: Et ſæpè, quæ apud nos reperiuntur & in manus incidunt, diverſis hominum faciebus ſcriptæ viſuntur, atque è Sardoniche potiſſimùm fieri conſueverunt, quòd ſolus ceram non convellat. Reperiuntur quoque contra diverſa accidentia ſcriptæ, & lapidum, virtuti decentibus figurationibus corroboratæ, ut potior vividiorque exiſtat lapidis operatio: inter cætera enim, quæ cœleſtes influxus recipere poſſent, idoneæ ſunt Gemmæ, nam quanquam cœ-

leſtibus muneribus capiendis duriores videantur, ubi tamen accipiunt, tenaciùs, & diutiùs retinent, quod *Jamblicho* quoque placitum video. Sic ſæpè annulis, quibus inſigniuntur, & decorantur, obverſas invenimus gemmas, intus enim, quod nudam tangebat digiti carnem, literarum notæ verbaque conſpiciuntur, ſtatis horis, opportunisque temporibus conſcripta, quorum figurandi & ſcribendi modum latè in ſequentibus intelliges. *Joan. Bapt. Porta.*

De Cœli & Planetarum imaginibus.

Hæc ſunt Cœli Planetarumque imaginum figuræ, quas ſæpè intuens, lapidum virtuti conformes inſcriptas reperies, uti Mercurium gracilem juvenem caduceum ferentem, capite pedibusque talaria. Martem loricatum, militem bellicoſum, vexillum, haſtam vel ſcutum ferentem. Venerem autem nudam mulierem, ſpeculum, & ſecum Cupidinem puerum habentem laſcivo actu: ſic Jovem ſolio ſedentem virgâ imperantem: falciferum ſenem Saturnum: radiis inſignitum Solem. Nec minus octavæ ſphæræ configurationes crebriùs in lapidibus iis perſpicere licet, ſimiæ, urſæ, coronæ, cygni, aquilæ, alati equi, ſerpentarii reliquorumque. Sic ſigna omnia, arietes, tauros, geminos, cancros, leones, & cætera: & ex ſtellarum naturis Planetis conformibus operationes eliciunt. Sunt & aliæ imaginum configurationes, quibus lapides veteres effigiabant, juxta Indorum, Ægyptiorum, Magorum, & aliorum Aſtrologorum ſententias, non tam viſibiles, quàm imaginabiles, ut in prima Arietis facie, hominem ajunt adſcendere nigrum, corporis ingentis, rubeos habentem oculos, pannoque præcinctum albo: aſcendit in ſecunda mulier chlamyde cooperta linteo, viridibus pannis cincta, unum retinens pedem. In tertia verò aſcendit homo rubeis indutus veſtibus, armillam habens manibus auream, cupiens & bonum facere, nec poteſt: ſic in cæteris aliis ſunt adſcriptæ, quas qui quæſierit, eorum quærat libros: longum enim, & nimis faſtidientis eſſet lectionis eorum opiniones recenſere, quæ & inter ſe diverſantur, ideò diverſis, & variis inſculptæ imaginibus reperiuntur. Sunt & alii aliter operantes, rem enim hominibus, & geſtibus exprimunt, ut ſi, (gratiâ exempli) amorem inducere cupiunt, dulces complexus, geſtus, & loquelas exprimunt, & oſculantes. At ſi odium vel iracundiam, terga obverſantes,

tes, ſe inſimul fugientes, & abhorrentes, ſic animi paſſiones omnes, quas inducere exoptant, figuris exprimunt, ſed lapidum virtuti conformibus, aptis quoque inſculpunt figurationibus, quæ quomodo aptari, & reperiri debeant, in ſequentibus reperiuntur. *Idem.*

Quibus imaginibus effigiari debeant lapides, vel gemmæ.

Quæ configurationes inſcribantur ab Ethnicis ad Cœleſtem favorem aucupandum, reliquum eſt doceamus, ipſis aptari quomodo debeant, ac opportunum tempus eligendi normam. Amethyſto ſæpè inſculptus Juvenis reperitur caducifer, galeratus & pedibus talaria, & manu aliquando ſiniſtrâ Gallum tenens, quem Mercurium eſſe nôrunt omnes, nec à lapidis virtute diſcordat, unde ſapientiam, & intellectum geſtantibus pollicetur, multa cùm verſatilis ſit ejus natura. Achati inſcripti Scorpiones reperiuntur, Aranei, Serpentes, animalia cætera venenoſa, nunc hominem ſerpentibus inſidentem, quem Serpentarium cœleſtem Æſculapium eſſe noſcunt, unde veneno, & Scorpionum morſibus medetur, & Siculo naſcitur Achate flumine, ubi maximi gignuntur Scorpiones, & per eos Scorpionum ejus provinciæ peſtis extincta eſt, horumque virtute natura defectus rependit. Inſcribitur & Angifer in Hæmatite: legi enim Magos Perſarum Regi ſuo conſuluiſſe, ut hunc lapidem ferret, & contra venenum putant, ut Haly ſcribit. Jaſpidi ſæpè Leones, Gallos, Aquilas, Trophæa, Loricas, nunc Martem nunc armatum militem ſerpentes pedibus conculcantem, & in collo ſcutum inſculpunt, & lapidis duritiei & virtuti reſpondentem hominem, ſæpè victorem, belligerum, & invictum reddunt. Nechepſos autem Rex ad ſtomachi remedium, hujus enim virtute vegetatur, Draconem radios emittentem inſcribi juſſit. In Magnete ſæpè Cynoſuræ figura viſitur, cùm maximè illius ſideris amore detineri videatur: contactu enim ferrum ad illum vergit, ac compotem Virum illius virtutis efficit, utpote Saturnalis. In Selenite lapide ſemper Lunæ imago reperitur, & qui argenteo filo circumdatam tulerit, lunaris efficitur. Saphyro variæ imprimuntur animalium figuræ, ut horum morſus ſanet. Hyacintho fulgura, ut ab eorum fragore gerentes reddat tutos. Corneolo variæ diverſæque ob variam, & diverſam ejus virtutem & operationem, qui lapis facilis

eſt ſculpturæ, & inventionis, unde filios Iſraël in deſerto horum multitudinem ſculpſiſſe fertur. Jam exempla retulimus, quomodo aptis lapidum operationibus, aptæ cœlorum configurationes ſcribi debeant. Sunt quoque qui annulos, quibus clauduntur lapides, è metallis effingunt, addictis Planetæ illi, ut faciliorem contrahant operandi facultatem: uti Saturni è plumbo, Solis ex Auro, Lunæ ex Argento, Saturnus generis ſolaris, vel lunaris evadat, quod non niſi profuturum exiſtimo.

Electiones in ſcribendis lapidibus neceſſariæ.

Sed majorem è cœlo virtutem ſuſcipere, & præcipere dicunt, ſi ſtatis temporibus, & opportunis inſcribantur: ſic enim animantur magisque iis influunt ſidere configurationes: & hoc fundamentum & radicem ſtatuunt omnium: nam ſi amorem excitare cupis aptis & benevolis aſpectibus: ſi odium accendere, iniquis & deſtruentibus utere, affectuque cognito tempus præparatur: nam ſi Veneris, vel Saturni imagines facere conſtituunt, illam taurum, libram, alterum aquarium, vel capricornum ſubire exſpectant, & veritas pateat, in eorum ſculpturis in leone Solem, in cancro Lunam, in geminis & virgine Mercurium reperimus. Sic in Leonis, vel Cancri figuram inſcribere volentes, in eis Solem & Lunam vagari cernunt, & illico inſcribunt, præcipuè id tamen cavent, ut Luna immunis, & ab omni ſit impedimento libera, utpote Martis, Saturnique, vel Solis combuſtionis. Præterea mentem adhibent, ne curſu vacuo, ſed creſcens, & velox, nec inſigni calce reperiatur (ſæpè enim infortunarum termini ſunt) in felici ſede conſpiciant eam fortunæ trigono, vel hexagono aſcendens in ortus cardine, vel cœli culmine, non in cadentibus: non ſit declinans, dolet enim tunc Planeta, & torpet aſcendentia ſigna diurna die, noctu verò nocturna, ut facilius repotiatur, nec impedimentum afferre poſſit. Contrà præpoſterè procedas, ſi odium vel infirmitatem inducere molieris, cùm ſignorum figuram inſcribere quærunt, non minus per triplicitates ſequentes invenies. Nam ex Ariete, Leone & Sagittario prima conſtat tripliciras, quorum in die Sol dominus, in nocte Jupiter, in crepuſculis autem frigorificum Saturni ſidus: & talibus ſignis, & ſculpturis frigidis medebantur ægritudinibus, Hydropiſi & Paralyſi: ſic ſecundùm reliquas triplicitates reliqua inſcribunt

ſigna,

ſigna, aliis medentia infirmitatibus. Id tamen non omittam, quod teſtantur omnes ſeculorum turbæ, eorum virtutem elangueſcere, & extingui. Ideò quæ à majoribus factitata, nunc irrita prorſus, & varia conſpiciuntur. *Idem.*

DE GEMMIS IN SPECIE & primò de gemmis candidis.

CAP. II.

Adamantis proba.

ADAMAS in tantum diſſidet cum Magnete, Indico præſertim, ut juxtà poſitus, vel ſecundùm Albertum, ſuppoſitus, aut ſuperpoſitus, ex quorundam ſententia ferrum non patiatur ab eo attrahi, & rapi; vel ſi apprehenderit auferat. Quo argumento probari poterunt veri Adamantes ab adulterinis, qui hodie multi ſunt. Sed eam antipathiam hodierna negat experientia; niſi omninò falſi ſunt Adamantes. *Mizaldus.*

Adamas quomodo fingatur.

Primò omnium parabis Cryſtallum, ac in ollâ Vitrariorum fornaci per noctem indito, in aqua reſtinguito, tum minutiſſimè commolito, terito, cum Tartari ſale remiſceto, & ex aqua in pilulas cogito, quæ per noctem ferventiſſimo immorantes igni candeant, ne tamen colliquentur. Pòſt detrahe, & in aliud contumacius ignis vas dimitte, ubi binis immorentur diebus, & optimum habebis Adamantem. *Porta.*

Tinctura Adamantibus tam veris quàm adulterinis ſubjicienda.

Accipe fumum ex candela pelvi ſuppoſita, & cum Oleo maſtichino fiat mixtura, quæ in annuli pala Adamanti ſubjiciatur. *Alexius.*

Adamas quomodo expoliatur.

Non ab alio ferme, quàm à ſua ſcobe atteritur, & expolitur Adamas, ob duritiem. *Cardanus.*

Ad fingendas Margaritas.

Margaritas & Uniones ſic finges. Accipe candidos lapillos

pillos ex capitibus, vel oculis Piſcium: quos munda, ſicca, pulvera, & agitatis, deſpumatisque Ovorum albuminibus excipe, miſce, ac tamdiu move, donec fiat velut maſſa, & ſpiſſamentum: ex quo Unionum corpuſcula, dum recens, & tractabilis eſt materia, effinge, & ſetâ ſuillâ fiat foramen, transfigendo. Tum demum reſiccata coque in lacte vaccino, & ſecreto loco procul à Sole & pulvere iterum ſicca, donec perfectam duritiem induerint. Videbis, quod placuiſſe queat. *Mizaldus.*

Modus conficiendi Margaritas naturalibus ſimiles.

Accipe Cretæ mundæ ejus, quâ vaſa confici ſolent, formentur orbiculi perforati, magni vel parvi, ut tibi videbitur, deinde ſiccentur ad Solem, vel quod melius erit, in fornace aliqua: quoniam ſic duriores efficiuntur. Quo facto, Bolo Armenâ, ex Ovi albo leviter admodum tingantur, deinde Argenti foliis obducantur, ut priùs aquâ maduerint, ſiccatæ autem dente lævigentur, & ſplendorem aſſument. Hoc facto ſumito fruſtula Membranæ candidæ, eaque aquâ tepenti lavato, donec aliquantulum aqua ſpiſſetur, deinde ſubtiliter percolato, qua cùm uti voles, tepida ſit, oportet. His peractis, ſingulos Uniones acu ſive alio ſtylo tenuiſſimo per ſuum foramen figito, ſic tamen ne foramen obturetur: mox in illa aqua, in qua membrana diſſoluta eſt immergito, atque illico extrahito, & in omnes partes verſato, ut glutinoſus ille liquor æqualiter circa Unionem diffundatur. Quòd ſi non ſatis magnus videtur, immerſionem iterato, ſic candor ille argenteus per hujus liquorem tenuiſſimum meliùs pellucebit, ita ut naturalis prorſus Margarita eſſe videatur. Quòd ſi etiam cum naturali conferantur, ſemper pulchriores conſpicientur, quoniam nitidiores rotundioresque ſunt. *Alexius.*

Margaritas itidem confractas in unam conglobare.

In Margaritis adhibenda eſt non parva diligentia, cùm maximè ab omnibus, & præcipuè mulieribus expetantur, uti luxus & deliciarum irritamenta, & collo magnitudine inſignes, & ſemiunciales lapillorum orbiculi, uti Crotala geſtentur, & adeò adulteratæ concinnam formam mentiantur, ut tales Indicus non mittat Oceanus, nec quæ in conchis

chis naſcuntur proximis. Ut inſtitutum autem opus exequamur, primò ne labe aliqua, vel ſordibus deturpentur, quibus obſcuras reddes; Sacculo cum Smiri, Pumicis, Sepiæ oſſis pulveribus injiciantur, & ex aqua manibus tractentur, dum elotas & politas cognoveris, reſiccato, & in pollinem redigito, & diſſolvantur, vel Limonum ſucco, vel hujuſmodi vapore ſurgente, pendentes è vitrei vaſis collo per diem, vel forti Aquâ, non Vulgari tractabiles fiant: melius ergo ſub Fimo condito, quinis ſemper diebus innovando, dum ſolutas noveris, & pingue quoddam, velut oleum per humoris ſuperficiem enatare videbis, optimè excipiatur, vel veteris foramine, vel argenteo cochleari: inde remollitum pulverem manibus ſubmittes, & tractando in orbes digeres, inſtar pyrorum turbinatorum: ſique tua non reſpondet ars, ex argento parato typos, vel alio metallo auratos, & ſi margaritas dein pertuſas velis, Porci ſetâ, vel argentea acu perforentur, ſervatâ ſemper pinguedine, perungendo è filo pendentes, tereti vaſe vitreo claudito, & Soli exhibeto pauculis diebus, ut aſſentur, ne latera contingant, ut à venti, pulveris, rerumque aliorum injuriis vindicemus, ne obnubilentur, & variis obnoxiæ maculis Margaritæ reddantur, cùm duritiem contraxiſſe vides, ex Milii, vel Hordei pinſitâ farinâ, piſtorio opere in panificio ducta, circumlitas, & conditas furno coqui ſinito, vel Palumbis Margaritas commanducandas præbeto, quibus purgata ſint priùs viſcera, & ventriculus, vel qui jejuni ſint, aut alvum habent ſubductam: Ubi deglutierint, ſinito aliquantiſper: tum è ventre trahito, vel filo ſuſpenſorum, vel aliter interfectorum. Vel Margaritæ in lacte Ficûs ebulliant, & precioſas eas habebis. Si aliter placuerit, ubi ſucco Limonum, vel forti Aquâ ſunt diſſolutæ, clarâ lavabis lymphâ, vel diſtillatâ; lotisque manibus, ne tractando ſordeſcant, & palleant. Sic lacteo Fici ſucco cochlearum aquâ, ferventi balneo diſtillatâ, aut Ovi albore glutinabis, perforabis & reſiccare curabis, argenteâ lavando ſemper aquâ, & commiſcendo. Aquam Argenti ſic parabis. Forti aqua ſolutum fatiſcat purgatum Argentum, levibus prunis evolet aqua, partem tertiam relinquendo, mox ab igne vas tractum dimittito, deinde ſub dio noctu relinquito, donec glacietur, & ita Argentum in cryſtallini lapilli ſpeciem converſum reperies; quod probè ablues fontis aquâ, ut lucidiores dein cõnſpiciantur, quos vitreo condes

des vaſe, ac putri fimo ſolvere ſinas, quo mergas factitios Uniones, & immorari ſinito, & lucidos argenteo colore pellucenti reperies. Eſt artificium, quo maculæ ab Unionibus abolentur, & inter multa facile, & præſtantiſſimum reperi. Majo menſe in Lactucis rorem accipias ſparſum, quo Uniones immergas per diem, & perlinito, & fulgida evadet Margarita, non abſque ratione inventum reor; rore enim naſcuntur. Nam certo anni tempore luxuriante conceptum ſitiunt rorem, veluti maritum, cujus deſiderio hiant, & cùm maximè lunares liquantur aſpergines, oſcitatione quadam hauriunt humorem cupitum, ſic concipiunt, gravidæque fiunt, ac de ſaginæ qualitate reddunt habitum Unionum; nam ſi pura fuerit, candicant lapilli, ſi turbida, pallore languent, & rubeſcunt. *Joan. Bapt. Porta.*

Margaritæ quomodo diſſolvantur.

Ut Margaritas diſſolvas, ipſas integras lava, ſuccumque Limonum bis aut ter cola, inde merge, & Soli expone: in quinque aut ſex diebus colliquantur, ut Mellis, quod ad ſubſtantiam attinet, ſimilitudinem referant. Poſſunt etiam Aceto ſtillatitio liquari. *Cardanus.*

Calcedonius quomodo fingatur.

Cùm igni ad colliquefaciendam Cryſtallum immittes, Argenti calcis parum remiſceto per diem fornaci immorari ſinito, ſic pars internitebit, pars autem innubilabitur, & hebes erit. *Porta.*

DE SECRETIS GEMMARUM nigrarum.

CAP. III.

Ad Succinum fingendum.

SUCCINUM, ſeu Ambram hunc in modum finges & ſimulabis. Accipe Cryſtallum in tenuiſſimum pollinem redactam, & Ovorum albumina, excluſis germinibus, tamdiu agitata, & deſpumata, donec in aquam ſolvantur. Illis ſupradictum pulverem immiſce, & coagita, addito momento Croci ſubtiliter pulverati, ſi luteam Ambram tibi comparare ſatagis. Tum demum omnia hæc in fiſtulam arun-

arundinaceam, vel inteſtinum aliquod, ſeu ampullam vitream injice, ac ferventi aquæ tantiſper committe, dum ſolidam & duram conſiſtentiam adepta fuiſſe deprehendes. Extracta ſuper marmore expoli, & in quam viſum erit formam effinge. Si ſphærulas precarias habere ſatagis, aut gladii capulum, perfora antequam ſicceſcat, poſtea Soli expone. Poteris pro concepto voto, & arbitrio alias colores miſcere, & ita lapides precioſis affines perbellè mentiri. Sed tum ante coctionem percolanda erit materia, ut corpus gemmæ diaphanum ſit, ac pellucidum. *Ex ſecreto artificio cujusdam ingenioſiſſimi amici mei. Mizaldus.*

Ad Succinum fingendum aliter.

Succinum imitaberis, ſi Maſtichen in olla liquidam per colum trajeceris, ut ſordibus expurgetur, & lucidior interniteat; parum deinde radicis, Curcumæ dictæ, cum ea remiſceto, & imagines efformato. Habebis etiam, ſi in Cryſtallum liquefactam Tartarum Vini albi crudum immittitur, & in vaſe ore circumlito, per naturalem diem igni detinetur. *Joan. Bapt. Porta.*

Succinum quomodo liqueſcat.

Succinum ſeu Ambra digitis, ac ſi eſſet Lutum facilè tractari poterit ac fingi, ſi in Ceram efferveſcentem, & deſpumatam projiciatur. Nam illinc adeò mollis, & tractabilis reducetur, ut etiam in ſigillis commodè uti poſſis, aut rebus aliis, quas formare tibi viſum erit. *Accepit à quodam ingenioſo plaſte & lapidario Mizaldus.*

DE SECRETIS GEMMARUM rubrarum.

CAP. IV.

Ad Rubinum fingendum.

SUNT qui Rubinum ad hunc fingant modum: accipiunt Salis alkalis vocati uncias quatuor, pulveris Cryſtalli uncias tres, battituræ Æris ſic nuncupatæ in officinis Italicis, unciam ſemis & Foliorum Auri grana ſex. Miſcentur omnia, & fuſorio Aurifabrorum vaſculo deliqueſcunt ad ignem reverberationis appellatum. Ubi in ipſomet igne elangueſcente refrixit vaſculum, frangitur, & materia ex eo ſecluditur, lapidarioque artifici formanda, & expolienda

da traditur, ac poſtremò includenda Auro, celebri Gemmario committitur. De quovis alio lapidis colore idem licebit tibi experiri, tantiſper dum variam rerum iſtarum methodum, & ſylvam à nobis aliquando accipies. *Mizald.*

Carbunculus quomodo fiat.

Si autem Carbunculus, vel, quem vocant, Rubinus placuerit, ſic mentieris, ludi gratiâ: friabiles enim ſunt, multumque cedunt, & particulas diſſilientes facilè habent. Tritum Auripigmentum in rotundam immittes phialam, & igni accommodabis, inque ejus vaſis collo reperies optimos, & colore flagrantiſſimos, quique multum ſuffunduntur Cocci rubore, rutilos emittentes ex ſeſe radios. *Joan. Bapt. Porta.*

Modus efficiendi Rubinos.

Quòd ſi Rubinos efficere voles, ſumito gummi Arabici, Aluminis Zuccharini, Aluminis rupini, ſingulorum partem unam, miſceantur & coquantur, in aqua communi addendo aliquantulum verzini, minutatim inciſi, Aluminis catini, quantum ſatis eſt (quantò enim plus ponitur, eò etiam obſcurior redditur color) quò Maſticis lachryma tingatur. Quod cùm factum fuerit, ſumito duo paria fruſtula Cryſtalli ad rotam expolita, quâ voles formâ, & magnitudine, ita tamen ut ſuperius fruſtum ſit inferiori terminus: ſintque non ſecus agglutinata, & ab omni parte conjuncta, quàm cum digito unguis. Horum alterum, nempe inferius in pala ferrea ſuper carbones ponito, donec calefiat: deinde prædictâ tinctâ lachrymâ in ſtylo poſitâ, & calenti, ut fluere poſſit, tingito quantum ſatis eſſe videtur: mox alteram partem, nempe ſubtiliorem calidam, alteri ſuperimponito, & ſic agglutinabitur perfectè abſque denſitate aliqua, & erit ab omni parte pellucida gemma. *Alexius.*

Pyropus quomodo fingatur.

At Carbunculi, quæ Græcis *Pyropus*, nobis *Rubinus* dicitur, & magis fuſci ſpeciem, quæ Granata dicitur, ſic efficimus, quæ purpureâ micet alacritate, aut vivaciore etiam ſuffundatur cocceo rubore per omnem intimam ſui partem; quam ſi puram feceris, inoffenſam admittet perſpicuitatem. Cryſtallum in fuſorio vaſe forti ad colliquefaciendum fornaci imponito, cui Minii parum addito, &

per

per diem immorari ſinito, poſtero die detrahito, & refrigerari ſinito; poſtea pilâ tundatur, & cribro excutiatur, quibus quàm minimum in calcem redacti Æris addimus, igni iterum imponimus, & in colliquatum hujus pulveris ſequentis parum addimus. Igne fuſum Stannum triduo detineatur, & croceum, quod peſſum ierit, ne ampliùs eluvies illa innatet, remiſceto, & per naturalem diem ferro verſato, & nunquam ceſſa, quin verſes, quouſque refrixerit: ſic languidiùs, & lividiùs omnes rutilabunt, uti libuerit. *Joan. Bapt. Porta.*

Ad fingendum Lapidem Amethiſtum.

Si Amethiſtum lapidem velis fingere: accipe ſalis Alcali vocati uncias tres, Cryſtalli pulverati uncias quatuor, & limaturæ Æris unciam ſemis. Liqueſcant omnia forti igne in vaſculo Aurifabrorum, & ubi perfrixerit materia, fracto vaſculo educatur. *Mizaldus.*

Hyacinthus arte quomodo fiat.

Fictili ollâ & durâ Plumbum immittatur, ac Vitrariorum fornacis igni immittatur, inibique teneatur per menſem & dimidium, ſic Vitrum adipiſcetur hyacinthinum colorem naturalem: multumque gloriaberis, quòd non factitia deprehendatur, quæ loco inter iſtas habetur principe. *Joan. Bapt. Porta.*

Chryſolitus quomodo fingatur.

Chryſolitus ſic fiet. In colliquatam Cryſtallum ſextuplum Ferri ſtercoris, vel excrementi permiſceas, & pertinaciore igne vas crucietur tridui ſpacio. *Idem.*

Ad Balagios ſubtiles denſandos.

Balagii æquè ſubtiles, ut charta, in hunc modum augeri poſſunt: Sumito Cryſtallum optimam colore Balagii tinctam, granum Maſticis unum, & in cultelli, lignive mucrone ad ignem ponito, donec lachrymam Margaritæ ſimilem reddet, qua cum Balagio Cryſtallum agglutinato. Nam ea lachryma conglutinat ſine corpore, nec colorem mutat. Cryſtallum verò talem expoliendam, & illuſtrandam, atque demum in annulo figendam tradito: & erit pulcherrima, ac ſi tota Balagium eſſet. *Alexius.*

Ad Corallium ementiendum.

Corallium ingenioſo artificio ad hunc mentieris modum.

dum. Cornua Hirci derasa in pulverem & scobem converte, eaque forti lixivio, ex lignis Fraxini compositо, diebus quindecim infunde. Postea extrahe, & Cinnabari in aqua solutæ misce, & lento igni committe, ut fiat spissamentum. Id si veri Corallii præ se feret colorem, in quas visum erit formas effinge, sicca, & secundùm artem expoli. Experimentum constat. *Mizaldus.*

Corallium in formulas digerere, & è multis fragmentis unum efformare.

Sæpè usu venit, ut multa fingantur ex Corallio gestamina, & nonnunquam ex assulis in plures formas digestum reddatur, ut vasa efformentur, cæteraque concretitia, ut in testæ duritiem transeant, nec minimi consurgunt pretii, ideò ritè rationem parandi exhibeamus, cùm à multis hujusmodi compositiones flagitentur, si optimè curabis, à marino parum differre scito. Optimorum Coralliorum, quæ eximiè rubent, ramenta, vel scidia pilâ tundantur, vel molâ, incerniculo succreta, quæque non transmeant, denuò pilâ tundantur dum in tenuissimum redigantur pulverem, ut autem abstergatur spurcitia, ferventi in aqua Sal alcali demergatur, ut liquescat in humorem; In Aquam hanc crateri infusam ubi pulveres injeceris, diligenter manibus exagita, ac probè versa. Postea ubi considere desierint, excolato, & priore aquâ effusâ, alia superinfundatur, manuque expansa denuò exagitentur, usque dum sordes omnes abierint; deinde copiosa aqua perfusa simplici tractentur tamdiu, donec sal abeat totum, & aqua salsilaginem non ampliùs sapiat, cùm hoc agnoveris, aheno transferas unà cum rebus maximè tingentibus, ut proniores ad colorandum reddantur, qualis est Cinnabaris, Sanguis draconis, Minium, Hæmatites, Bolus armenas, Rubrica, Coccus Baphica, Santalum, Brasile, Eritrodani radices, & similia, largè affusa Limonum succo, quem priùs parato, & purgato vel penicillis, vel vitreis Chymistarum organis, coquito dum aliquid habuerint humoris, sæpè rudiculâ, vel cochleari vertendo, ut permisceantur in vitrum: deinde transferto materiam cum reliquo succo, ut ipsius acrimonia solvatur, in vas longi colli, lati alvei, in cujus medio promineat foramen, quod ferè contingat mixturam, rectè permiscendo, vas fimo condito, ac innovato, dum dissolvantur, quod hujus-

hujuſmodi argumento percipere licet, dum guttatim Oleum rubicundiſſimum emergere conſpicies indies: ubi abundaveris, vas inclinando oleum decapula, ſervato & mixturam manibus tractabilem, & mollem accipito, manus autem munire primùm lardo, vel adipe aliquo oportet, nam inhæreſcens pertinaciter vix convellitur. Tunc vas efformato, imagines, aut ramoſiſſimum effinge, primoque ruderatum deformatum calenti Soli expone, caveto, ne pulvere ventoque infeſtetur, vel ſuperficiem deturpet vel in phialis in fimo condito, ſervato ſemper oleo perungendo: puniceum enim illum colorem conciliat, ac paulatim ſic corallium lapideſcens, in duritiem redit priſtinam, & ſonum, nitoremque ei induces expoliendo, vel leviter lævigando, ſic facilè peculiari, nativæque conſtitutioni reſtituetur. *Joan. Bapt. Porta.*

Corallium ut liqueſcat.

Corallium Berberorum ſucco, ut Uniones aceto, colliqueſcit. De cujus liquore cochlear aſſumtum, Dyſenteriam curat. Utrunque aſtringit, & refrigerat, ſanguinis excretiones coërcet, & ſtomachum laxum, languidumque roborat, ut *Dioſcorides*, *Galenus*, & Medici omnes teſtantur.

DE SECRETIS GEMMARUM viridium. CAP. V.

Smaragdus quomodo fingatur.

SMARAGDUS effingitur, ſi tali eum parabis modo. Æs optimum in fornace per triduum comburitur, detrahitur, pilâ contunditur, & ſuccernitur, dein vas cum communi oleo iterum fornaci imponitur: igni verò imbecilliori, per quatuor immoretur dies cum dupla arenæ, ex qua vitrum conficitur. Hinc in duro vaſe remiſſiori igni committatur per diei medietatem, & craſſiùs virentem reperies, viſu jucundiſſimum Smaragdum fictum, ut ſuaviter oculos alliciat. *Porta.*

Smaragdi aliiq; lapides precioſi quomodo conficiendi.

Accipe Salis alcali quantum ſatis eſt, diſſolvatur in aqua: deinde coletur per pannum è lana confectum, & ſiccetur, & poſtea rurſus in aqua diſſolvatur, ac ſiccetur.

Quod cùm tertiò factum fuerit, fiat pulvis, cui addatur Cryſtalli in pollinem redactæ, & à Pharmacopolis cribratæ unc. duas & ſemis, Salis alcali unc. duas, Floris Æris in aceto infuſi atque colati unc. unam, ponantur in vas aliquod vitreatum novum, optimè luto obductum, clauſumque, ne quovis modo reſpiret: deinde cùm in fornace Figuli, vel Vitriarii per horas vigintiquatuor fuerint, auferantur, fientque Gemmæ ſecundùm artem, preciosis ſimiles. *Alexius.*

Topazion quomodo fingatur.

Si vis componere Topazion: arenam ſumito, & cum ejus quadruplo combuſtum immiſceas Stannum, & in teſtaceo duro vaſe lento fornacium igni adhibe ibi per diem tenendo indeſinenter: valdè enim arena fuſibilis eſt. *Porta.*

Ad Topazium ementiendum.

Ovorum albumina vivæ Calci admixta, cum Croci pulvere diu agitata adeò dura evadunt intra menſem, ut Topazii gemmam ementiri poſſint; ſi orbiculari incluſa typo ficcentur, excluſa perpoliantur & annulo accuratè committantur. Ex Italo quopiam. *Mizaldus.*

Praſius quomodo fingatur.

Sic quoque Praſius fit adulterinus: Cryſtallus colliquetur, cui duodecima immiſcetur Ferri, & Æris in Calcem bis redacti pars, per artificialem diem ſuper ignem ferreâ rudiculâ permiſceto ſine intermiſſione, & Smaragdo eveniet ſimilis, ſi dilutioris peroptas coloris, ſextum immiſceas Plumbo Calcis & Stanni: pòſt verſato, & igni per naturalem diem committito, mox ab igne amotum vas, ubi refrixerit, Praſium dabit. *Joan. Bapt. Porta.*

Cyanus quomodo fingatur.

Lapidem Cyanum ſi effingere velis: In liquefactum Cryſtallum terræ illius puſillum immittas, quam in Saphyro indicabimus, ritè firmâ rudiculâ permiſcendo, dum combibat, & per diem relinquatur, paria dein Argenti calcis pondera remiſceto, per æquale tempus in igne detinendo. *Idem.*

DE

DE SECRETIS GEMMARUM cœrulearum. CAP. VI.

Turcheſia Lapis.

TURCHESIAM annulo geſtatam, ſi ex equo cadat homo, excipere omnem ictum creditur, atque frangi etiam in fruſta, ſervato homine: adjiciunt, oportere dono eſſe acceptum. Lapis hic colore cœli conſpicuus eſt, nitetque. Probatur autem, quòd nocte ſubviridis videatur, quòd pars averſa, & quæ in imo eſt, nigra ſit, quòd venas ex inferiore parte recipiat, quòd levis ſit, nec admodum frigidus, quòd denique diluta calx ei ſuperpoſita cœrulea videatur, coloremque gemmæ excipiat. Et cùm talis etiam fuerit, nec perſpicuus, nec gemma; lima tangitur. Quin etiam ignibus propè admotus efflореſcit color, & ſolo manuum udo flacceſcit, & diluitur. *Cardanus.*

Saphyrus quomodo fingatur.

Saphyri facilis eſt tinctura talis. Si vitri pulvis cum cœrulea terra illa, quam figuli *Zapharum* vocant, portionis ſemiſſe mixtus, fornaci inditur, & triduo requieſcere pateris vaſe forti, tunc perficitur. *Porta.*

Saphyrus ut in Adamantem commutetur.

Hoc Secretum gemmarum commune eſſe videtur: nam uno tantùm modo ferè omnes utuntur, qui quidem mihi non improbatur. Verùm ubi eum, quo utuntur ipſi, poſuero, alium multò præſtantiorem apponam. Primùm omnium ſcobem Ferri, Auríve ſumunt: major tamen pars Auri ſcobe utitur: credunt enim ad hoc aptiorem eſſe quòd majoris ſit pretii, ſed falluntur cùm Ferri ſcobs longè ſit aptior. Hanc ſcobem in crucibulis ad ignem ponunt, donec non liqueſcat quidem, ſed candere ruberéve incipiat. Deinde Saphyros diluti coloris, & albicantes in ea ſepeliunt, ſinuntque non diu: mox exemtos (ſiquidem verum Adamantis colorem nondum attraxerunt) rurſus imponunt: hocque toties faciunt, donec verum perfectumque acquirant colorem. Quo facto, in annulis ligant, ubi priùs pala eorum ſupradicta tinctura illita fuerit. *Alexius.*

Aliud ad idem, multò perfectius.

Accipe Enchauſti albi, quod *Smaltum* vulgò vocant,

ſubtiliſſimè contriti, ſcobis Ferri Auríve, ſingulorum partem unam, miſce: deinde Saphyrum ſumito, & Smalto puro, cum ſaliva in paſtæ formam redacto, obducito, beneque ad ignem exiccato. Hoc facto, filo ferreo tenui, & recocto, Saphyrum vinciunt, ut ex igne manu filo capto, extrahi poſſit: & ſic vinctum in dicta Ferri ſcobe, enchauſtoque rubenti condunt, ſinuntque ad ignem aliquandiu, ut ſuprà eſt dictum; deinde eximunt, & ſi colorem verum nondum aſſumſerit, rurſusque condunt, donec perfectum, ac verum acquirat colorem. *Idem.*

Saphyrum in Adamantem vertere.

Si placeat Saphyrum in Adamantem vertere: Saphyrum ſumito dilutioris coloris, ut ferè albedinem retineat, eum in Ferri elimata ſcobe fuſorio in vaſe obruito, ac validiſſimo igne ubi excanduerit, (ne tamen colliquetur, neque plus, quàm deceat igne detineatur) & perfectum recepit colorem, de Adamante ſcilicet multùm fuerit mutuatus tum ab igne detrahe, & in uſum transfer. *Porta.*

Adamas quomodo molleſcat.

Adamas, qui etiam incudes (*Plinio teſte,*) reſpuit, molleſcere ac ſolvi fertur ſanguine calido Hirci, modò aliquandiu antè vinum biberit, ac Petroſelinum, vel montanum ille Siler comederit. *Albertus.*

DE SECRETIS GEMMARUM ad Sculpturam aptarum.

CAP. VII.

Sardonix albus quomodo fiat.

ALBUS Sardonix, quem alii *Cameum* vocant, ſi fieri debeat, imitarique eum velis, hunc obſerva modum: Conchas terito multas, parvas illas, quibus mulieres facies fucant, & expoliunt ornamenti cauſâ, & Limonum purgato ſucco imponito, ac dies decem fimo obruito, & lotam mixturam Ovi albore ſuper porphyritem terito, & quamvis imaginem effingi, & reſiccari curabis, factam tamen ſic lapidis materiam annulo infigere etiam poteris, ut libuerit. *Porta.*

Ad formandos lapides Carmenos.

Accipe Cochlearum marinarum albarum optimè tritarum quantum volueris· ponantur in ſucco malorum Limoniorum, quinquies vel ſexies, per pannum è lana, quem filtrum vocant, colato ut ad digitos tres, vel quatuor emineat, & relinquatur ſic per dies decem in vaſe probè cooperto. Quo facto, ſuccus ſenſim effundatur, & reſiduum in fundo aquâ fontanâ lavetur: deinde ſuper lapide porphyrite conteratur optimè, cum Ovorum albis priùs diligenter contuſis. Quum aut materia, ut voles, liquida fuerit, ut ad formas recipiendas apta eſſe videatur, ſumito typos concavos, eosque dulcium Amygdalarum oleo inungito, atque in eos typos materiam efformato, haud ſecus, ac ſi cera eſſet. Verùm antequam ex typis eximatur, typi ſunt diligenter componendi, illâ præſertim parte, in qua imagunculi in plano collocantur: cultelli igitur acumine poſtquam erit efformata, erit eximenda, inque papyro ad Solem ponenda, donec ſicca fuerit. Quum verò Cryſtallo nigrâ ſive Carneolæ alióve lapillo affigere voles, granum maſtiches ſumito, cultello aut ligneo ſtylo granum affixum igni admoveto: ubi verò lachrymam ſtillare videbis, eâ ſic fervente imaguncula & lapillum eâ parte, quâ agglutinantur, calefacta eſſe oportet: nam frigida non rectè adglutinari poſſent. Quòd ſi dictam materiam aliquo colore tinctam eſſe volueris, poſtquam è ſucco Limoniorum exemeris, quemvis cum Ovi albo colorem ſimul terendo admiſcere poteris, ſed colores oportet eſſe tenuiſſimos, alioqui materia neque ſolida fieret, neque ad formas effingendas apta. Qui autem in hac materia ſe exercere probè noverit, res pulcherrimas conficiet, non modò in Carmenis aliisve annulorum lapillis, verùm etiam in omni alio imagunculârum genere, tam eminentium, quàm concavarum. *Alex.*

Gemmæ, quâ arte cælentur.

Gemmæ cælantur & terebrantur mirâ arte. Hæc autem eſt: Rota magna lignea funiculo circumambitur, eodemque rurſus parva quæ magnæ ſuperſtat, eâ ratione, quâ à latere deſcriptas vides. Cùm igitur tanta portio A. B. C. quæ ſit A. B. quanta eſt D. E. F. tota circumagitur, vertitur



G. parva rota. Quoties igitur A. B. continetur in A. B. C. toties in una conversione rotæ majoris, quæ vocetur H. parva rota D. E. F. circumversabitur. Igitur qualis porportio magnitudinis ambitus H. vel axis ad ambitum G. vel axem, talis erit numeri revolutionum G. ad revolutiones H. igitur G. maximo impetu circumagetur, quia in brevissimo temporis spacio: quare axis G. K. terebrabit & comminuet gemmas. Ea ratione factis in G. denticulis, qui axem alterius rotæ circumagant, dentibus illius implicati, quò rota major esset, eò velociùs revolvetur. *Cardanus.*

Smaltum quomodo fingatur.

Si vis lapidem, quem vocant vulgò Smaltum, & album, sic fiat: Plumbi cinis cum crystallini pulveris duplo permisceto, in pilulas conglobato, & per noctem lento imponas igni, præcave tamen, ne res inhæreat vasi, ferri spathâ permisce, & colliquationis ignem auge, & fiet. Si vis ut hinc interniteat, hinc verò albescat, è dicta terra cum vitri duplo ex aqua globulos effingito, ac per noctem in reciprocationis igne apto vase liquato, rude aliquando ferreâ permiscendo, sic translucidæ partes, & hebetes parvo ejus orbiculo deprehenduntur. Si vis autem viride, quo solent parietes incrustari, ubi album effeceris, cum terræ cœruleæ illius pusillo misceas, & colliques, rude ferreâ agitando per noctem, & fiet. Horum exemplo reliquos tuo Marte effingere poteris, ut si Jaspidem, antiqui Lateris pulvere: si lacteo colore, Calce & Gypso. Omnes hæ tamen gemmæ si languidiùs micant, vel nube aliquâ circumfunduntur, angulis atterantur pluribus, ut nubilus color angulorum repercussu excitetur, & ad nitorem accedant pinguiorem. *Porta.*

DE

DE SECRETIS GEMMARUM ad Sculpturam ineptarum.

CAP. IIX.

Adamas ut fiat ex Saphyro.

SAPHYRUM coloris dilutioris in Adamantem convertes si scobe, seu limaturâ Ferri obrutum, in vase fusorio tamdiu validissimo igni exponas, donec incandescat. Ubi perfectum admiserit colorem, & ab Adamante plurimum fuerit mutuatus, tum demum extrahetur, repolietur, ac annulo affabrè inseretur. A quodam Aurifabro accepi. *Mizald.*

DE SECRETIS MINUS PRECIOSORUM. CAP. IX.

Lapides duri, ut pugno frangantur.

LAPIDEM frangimus palmi crassitudine, quem malleo frustra quando tentare licet, solo pugno. Ea res sic se habet: Lapis extenditur super planum ligneum, melius super lapideum elevatur ab altero capite, sic ut solum sustinetur, nullâ vi adhibitâ, inde pugno elata percutitur, quo ictu alliditur simul plano, & in multa frusta frangitur. Quòd si celeriùs feriat pugnus, aut seriùs, quàm extremam lapidis tabulam tetigeris, irrita evadit percussio, nec frangitur. Ita etiam levi ictu lateres fregimus. Cùm enim extremum simul cum vi ictus tabulæ illisum fuerit, pondus jungitur cum impetu, & fit non secus, ac malleo ictu vehementi percuteretur. Sed jam placet hoc demonstrare. Sit planum A. B. lapis in eo erectus C. D. impellaturque adeò violenter hic super A. B. ut aër, qui est medio è directoque sub E. dilabi nequeat. Omnis enim motus tempore indiget. Cùm igitur non dilabitur, necessariò lapidem franget: quia duo corpora penetrare se non possunt, nisi quod solidum est scindatur. Manifestum igitur ex hoc, quòd quanto lapis latior fuerit, & planum utriusque æquale, & quanto magis lapidem elevamus, & celeriùs erit ictus, eò faciliùs frangetur. Vidimus autem, qui super fune positum frangerent. *Cardanus.*



Ut lapides quivis molleſcant.

Lapides quivis facilè molleſcunt, ſi illos in ſanguine calido Bovis, & pinguedine Vervecis, cum forti Aceto pernoctare conceſſeris. *Mizaldus.*

Ad frangenda Saxa.

Refert *Olaus Magnus*, non aliâ re magis ſaxa frangi, quàm lardo accenſo. Quod veriſimile eſt, quoniam pingue humidum ſaliſque admixtum flammam diu acrem & efficacem retinet.

Lapis ignem humido quovis excitans.

Magnetem lapidem in ollam, vel aliud conſimile vas conjice, vivâ Calce immerſum: meliusque fuerit, ſi Colophoniam adjeceris cum Calcis pari portione: cùm vas expleveris, figulari cretâ circumlito ſpiſſamento, fornaci alternis eadem ignibus calcina, donec vehementer inalbuerit, cùm opus fuerit, aqua vel ſaliva ſuperinfuſa flammam excitato, quâ ſopitâ, loco calido ad uſum recondito. *Joan. Bapt. Porta.*

Lapidis conficiendi ratio, qui ſputo madefactus flammam edat.

Accipe Calcis vivæ, Salnitri puriſſimi, Tutiæ Alexandrinæ non præparatæ, Calamitæ ſingulorum partem unam, Sulphuris vivi, Caphuræ ſingulorum partes duas: redigantur in pulverem tenuiſſimum omnia, cribrenturque, deinde pulvis in panno linteo novo, probè conſtringatur, atque in crucibulo ponatur, mox aliud crucibulum ſuperaddatur, atque filis ferreis, & luto ſapientiæ, optimè concludantur, ne ullo modo reſpirare poſſit, & ad Solem ſiccetur. Quibus factis, ponantur crucibula in fornace lateriâ, vel figulinâ, donec comburatur materia: quibus deinde ablatis, invenies materiam lateritio colore, & perfectam. Quæ cum gutta aquæ, vel ſputo madefacta erit, ſtatim Sulphure adhibito, flammam edit, quæ flatu deinde extinguitur. *Albertus.*

Alia faciendi ratio.

Sic aliter idem hoc efficies. Sumatur Magnetis lapidis prænarrata Calx, Salnitri ſæpè purgati quadruplum, æquale pondus Camphoræ, vivi Sulphuris ignem nondum experti & Terebinthinæ reſinæ oleum, & Vini fecis concretæ, quas ſemper Tartarum vocabimus, hæc omnia mola, vel pila trita

trita cribrentur: quæ infracta ſuperſunt, denuò terantur, cribrenturque, inſuper auſteri Vini Ardentem aquam paratam habeas, eamque infundas, ut ſuperemineat: vitreo vaſe condito, operculato, ne halitum expiret, fimo ſupponatur duobus vel tribus menſibus, denis viciſſim diebus innovando, donec mellis craſſamentum imitetur, nec ullum diviſionis judicium præbeat, flagranti inde carbone inferveſcat, dum humiditas omnis evolet, & penitus ſiccata in lapidem coeat. Si hoc cognoveris, vas frange, & exemtam iterum terito compoſitionem, aquâ vel humore aliquo leviter ſuperinfuſo, flamma erigetur, & inter omnes principem hæc ſibi vendicat locum. *Porta.*

Lapis qui ſalivâ accenditur.

Conſtat ex libris tribus Calcis vivæ, Picis græcæ unciis tribus, & Herculei lapidis uncia: coquuntur trita in olla fictili lateribus concluſa, inde ſepelitur in Oleo laurino per dies quindecim, tum ſervatur in ſicco. *Cardanus.*

Aliter.

Si vivi Sulphuris, Salnitri purgati pari pondere, Camphoræ duplum, novæ Calci addantur, ac omnia mortario conterantur, uſque adeò tenuia, ut in auram evolare poſſint ſimul ſtrictè linteolo deligata, convolvantur, teſtaceo vaſe clauſa, ſuperillita argilla, ferventi deſiccentur Sole, hinc figulorum imponatur fornaci, cumque figulinum vas fuerit excoctum, in quo maxima eſt adhibenda diligentia, in lapidis duritiem quoque coibunt, & redigentur; extracta verò hinc ad uſum adhibebuntur. *Porta.*

Lapis Bufonis ut eliciatur.

Lapidem ex Bufone (qui Gallis *Crapaudina* vocatur) ad hunc modum eliciunt nonnulli, Bufo in quampiam caveolam cum panno puniceo detruditur, Soli ardentiſſimo dies aliquot exponitur, ibique tantiſper retorretur, ac ſiti excruciatur, donec onus capitis per os deponere, & evomere cogatur: quod per medium caveæ foramen, vaſculo ſuppoſito, excipi debet, vel aliter detrahi, idque celeriter, ne ab eo reſorbeatur. Sunt qui paulò tutius ac faciliùs rem eam exequuntur, Bufonem pertuſo multis locis, fictili immittendo, & Formicis depaſcendum in myrmecia exponendo. Sic enim fit, ut exesâ ejus carne, lapis ipſe

cum ossibus relinquatur: sicuti frequenter à nobis, & aliis plerisque expertum fuit. *Mizaldus.*

Bufonis lapidis proba.

Crapaudinem, seu Bufonum lapidem, de quo antè, legitimum experieris esse, si in illum præostensum vel objectum, se ita attollat Bufo, ac si vellet contingere & saltu præripere: usque adeò lapidem eum homini invidet. *Ex relatione cujusdam Medici Regii, qui id se vidisse nobis affirmabat. Mizaldus.*

Marmoreæ formæ variæ ut fiant.

Imagines & statuas marmoreas sic effinges: Cortices Ulmi & Populi cacumina decoque, & dum fervent, Calcem purissimam immittito, donec formam coagulati quasi lactis acceperint: inde marmor candidissimum tritum, ac cribratum adde, & in formas injice, siccaque in umbra. Sic vasa etiam fingere licebit eximiâ pulchritudine, impensâ exiguâ. *Cardanus.*

Crystalli sectio.

Crystallus tali durus valet arte secari.
Opportuna tibi quæretur lamina plumbi,
Huic etiam bini clavi jungantur utrinque,
Qui solito medium consument undique plumbum:
Nam plumbo soli tribuetur cura secandi:
Ipsi custodes laminæ sint exteriores,
Ut sibi dent rectum recto consumere cursum:
Sed nec duritiem poteris prærumpere tantam
Mollitie plumbi, nisi quædam junxeris illi
Tanquam pulverea fornacis fragmine mittas
Quæ teneræ possit laminæ connectere plumbi,
Æquum rursus habent lateris fragmenta vigorem
Concidis adjuncta paulatim fluminis unda:
Si vim crystalli cruor antea temperet: hirci
Sanguis enim facilem ferro facit hic Adamantem.
Arnoldus Villanovanus.

Silices fluviales, quomodo fiant.

Lapides aquæ cursu atteruntur, atque ideo rotundos fieri necesse est. *Scaliger.*

Gluten pro lapidibus.

Rec. Vitrioli libram sem.

Gal-

Gallarum tritarum unc. ij.
Aceti acerrimi Menſ. j.

Ponantur ad ignem, donec diſſolvatur Vitriolum, poſtea addatur

Limatura ferri libr. j.
Arenæ ſcriptoriæ pars tertia.

Miſceantur benè: quo rimæ lapidum conjungantur. Quo facto, ſumito Vernicis liquidæ, Olei lini ana part. j. miſceantur ad ignem, quo junctæ forinſecus oblinuntur. *Ex lib. manuſcripto.*

Modus occultandi res in ſolidis corporibus.

Ex Onychis fragmentis, Ceruſſa, Ovi cortice ac Cera gluten fit, quod fiſſuras & rimas occultat in marmoribus, parietibus, ovis, atque aliis rebus albis: addi poteſt gypſum & pro ſubjecti ratione variari, quoniam ex his quædam candidiora, quædam minùs candida. Eadem quoque ratio Silicum, lignorum & metallorum. *Cardanus.*

DE SECRETIS

LIBER XII.

Effectrices variorum operum cauſæ ſunt Ars, Natura, Deusq. De naturalibus, Divinis operibus à nobis libris præcedentibus actum eſt: Jam ergo res artificiales aggrediemur, quæ ſedulâ manûs dexteritate, ſolerti hominum induſtriâ exſtruuntur, quales domus, fontes, pannus & varia veſtimentorum, & aliarum rerum genera, quarum ſecreta huc quoque transferenda duximus.

DE

DE SECRETIS DOMORUM.

CAP. I.

Ædificia quæ multum excalefacere aërem poſſunt.



LIQUET autem ædificia poſſe fieri, quæ etiam hyeme non parum aërem excalfaciant. Hæc verò non ad terræ centrum erecta rectè eſſe oportet, ſed ut Solem hyemalem ad perpendiculum excipiant. Itaque ut exemplum rei præbeam, ſit habitatio noſtra in A. ſuper plano A. F. perpendicularis è noſtro vertice ad centrum terræ A. B. quam conſtat diſtare ab æquinoctii circulo partib. XLIV. & media: ab hyemali igitur diſtabit partib. LXXVII. fiat igitur circuli pars quarta B. C. F. & fiat B. C. partium XXII. ex his quib. B. F. eſt nonaginta, diſtabit igitur punctus C. partibus nonaginta ab hyemali tropico: quare cùm Sol ibi erit erecta plana, aut cava cylindrica ſuperficie A. C. in meridie radios perpendiculares excipiet. Fiat etiam arcus C. E. partium XLVII. & juxta declinationem cujuſque diei Solis deſcribantur partes, & moles A. C. retrò agatur: ſicque perpetuo anno radios perpendiculares excipiet, ut ante tempus olera & fructus habere poſſit, reddaturque jucunda manſio. *Cardanus.*

Cubicula quomodo elegantia fieri debeant.

Contra ventorum injuriam, maris halitum imbriumque damna, pice parietes, Carthaginenſium more illinantur: non negligendum conſilium, neque dubium, quamvis Plinii ſit. Meliores tamen ſunt cruſtationes, quæ inter delicias cubi-

cubiculorum etiam adnumerari poſſunt. Fiunt autem parva impenſa jucundiſſimæ, marmor ipſum æmulantes, atque diuturnæ, hoc modo: Calcem candidiſſimam, aquaque maceratam ſubigito: ejus verò ſpumam, quæ cruſtæ inducendæ aptiſſima eſt, mortario marmoreo diu tundito, diluito, compingito, ut ſerum non detineat, tunc enim aptiſſima eſt: cruſtam inducito, dum vireſcit planatoriis bacillisque fundito verberatoque, donec denſetur: ſi rimas induxerit ſparti aut Ibiſci manipulis virgularum fiſſuras caſtigato: ſic enim optimè conſtat experimento emendari poſſe: nam nec veſtigium ullum manet: ſiccata igitur denſataque cruſta, ceram, maſtichen pari pondere, adjectoque olei modico, colliquefacito, ac illo, carboneque ignito ex pelvi concalefacito, donec murus plenè unguentum ipſum combibat, ſic enim ſplendorem dabit ſpeculi: marmora vincet candore, quòd ſi caniculæ ardoribus, cruſtam contingat inducere, rudentes vetuſtos minutiſſimè concidito, calcique admiſceto: ſic enim immunius à fiſſuris evadit, quòd ſi ſculpturas, aut ſigna, ſive retonſa, ſive prominentia, parieti adjicere libuerit, ſigillis ex gypſo celeriter perficies: materia quidem cerea, ceruſſa denſata, aut calce demum unguento prædicto illita, decorem & integritatem ſervabunt per ſecula. *Idem.*

Habitationem delutare.

Si habitationem delutare velis, terram quàm maximè cretoſam, vel rubricoſam ſumito, ei amurcam affundito, paleas indito, ſinito quatriduum fraceſcat. Ubi benè fracuerit, rutro concidito, ubi concideris, delutato. Ita neque abſterſio nocebit, neque mures cava facient, neque herba naſcetur, neque lutamenta ſcindent ſe. *M. Cato.*

Areæ quomodo faciendæ.

Quòd ſi Aream facere velis, ſternito ſolum, non ad libellam, ſed læviter caſtigatum, & confodito: poſtea Amurcâ conſpergito benè, ſinitoque combibat, poſtea comminuito probè in glebas, deinde cylindro, aut palmicula coæquato, & paliculis verberato; poſtea denuò Amurcâ conſpergito: cùm aruerint, neque Mus, neque Formica nidum faciet, neque luteſcet, neque herba naſcetur: creta huic operi plurimum affert ſoliditatis. *Cardanus ex Catone.*

Area

Area quomodo fiat.

Aream, in quâ frumentum teratur, ſic facito: confodiatur minutè terra, Amurcâ benè conſpergatur, ut combibat quam plurimum, comminuito terram, & cylindro aut paviculâ coæquato. Ubi coæquata erit, neque Formicæ moleſtæ erunt, neque cùm pluerit, lutum erit. *Cato.*

Caminus fumum non repellens.



Venti repellunt fumum, & anguſtia Camini prohibet exitum, vel ſi anguſtior ſit in imo, ut non recipiat. Maxima autem cauſa eſt à ventis. Nam fumus altiùs ſemper aſcendit, tum ob levitatem; Ubi ventis occurrit, maximè cùm copia viridium lignorum adfuerit, retrogreditur, qui autem ex quatuor partibus foramina habet, à nullo vento impeditur: nam undique patet auxilium à nobis ratione excogitatum. In quatuor partibus Oriente, Occidente, Meridie, Septentrione binos colloca canales fictiles ex adverſo poſitos, ita ut alter ſurſum feratur, alter deorſum: nam impoſſibile eſt octo ventos, quatuor inferiùs tendentes, quatuor autem ſuperiùs, à quatuor cœli principalibus regionibus ſpirare. Quod ſi fiat, fumus minimè poteſt retrò pelli: atque id etiam experimento ad amuſſim comprobatum eſt. Adjuvat autem non parum latitudo Camini ſuprà non nihil amplior.

amplior. Plerunque etiam tutiores canales declives tantùm. Sed tutior omnibus eſt, qui vagina circumcingitur, quæ inferiùs non cohæret tecto. *Cardanus.*

Cubiculum ut viride videri poſſit.

Sit viridis Lampas, vitrea, & pellucida, ut pertranſeuntes radii medii colore inficiantur, & (quod in hoc plurimum conducit) oleo, vel omni, quo vivit, humido, immiſceatur ærugo, unà ritè terantur, ut humor fiat viridis, Ellychnium ex linteo coloris ejuſdem, vel goſſypio paretur uncto lampade in illa peruratur, oppoſitum feriens lumen; viride omne, & irruentium vultus oſtentat. *Porta.*

Cubiculum aliáq; omnia, ut nigra videantur.

Atramentum immiſce oleo, fuliginem, vel ſimile: melius autem è Sepiis factum & affuſum atramentum: nam lucernis admotum, ſi accenditur, atra lucet flamma. Sic *Anaxilaus* ex atramento Sepiæ aſtantes, Æthiopes reddebat, & nigros. *Idem.* Plura de his quære ſup. lib. 3.

DE SECRETIS HORTI.

CAP. II.

Hortus ut viridis & floridus fiat.

FLORIDUS evadet Hortus, ſi Loto tuſa, & in aquam conjecta, eum reſperſeris: aut Fœno græco in aqua trito ſulcos irrorâris: aut Aſini calvariam in medium Horto depoſueris. *Vindanionius.*

Vivæ ſepis extructio.

Opportuno tempore colligito Rubi vaſtiſſimi, quem Caminum vocant, nec non Paliuri ſemina maturiſſima: ad hæc Acanthæ fructus, & cum Ervi farina ex aqua ad mellis craſſitiem omnia macerato: eaque miſcellâ puteales vel nauticos funes, aut alios veteres, detritos, ac jam putreſcentes imbuito, & ita inducito, ut intra illorum fibras, & capillamenta recepta ſemina ſervari poſſint, uſque ad verni temporis initia. Quo tempore ubi Sepes futura erit, duos ſulcos, à ſe duobus, tribúsve pedibus ſeparatos, ſeſquipedali altitudine inſtitue: prædictos funes cum impreſſis ſeminibus levi terrâ ibi adobrue, & ſi opus fuerit, identidem irriga. Ita fiet ut intra menſem, plus minus tenel-

tenella ſentes ſurgat, ac procedat. Quæ adminiculis adjuvanda erit: quibus inter ſe per vacua ſulcorum ſpatia, enata conjungentur ſpineta, futura Horti vel Agri validiſſimum munimentum, & adversùs externas injurias tutiſſimum propugnaculum. Alii virgeam ſepem ſpatio quod ſulcis interjacet erigendam præcipiunt: quam ſuperſcendant utriuſque ſulci ſentes, & habeant, priuſquam roborentur, in quo conquieſcant. Alii vivam Sepem hunc in modum erigunt. Virgas Rubi craſſiores in ſegmenta, & particulas proſcindunt, easque ſcrobibus palmari altitudine apertis ſedulò obruunt, ac quotidie donec germen erumpat, & frondere conſpiciantur, foſſione ac rigatione, ſi tempus invitet, nutriunt, ac refocillant: & ita Sepem validam, tutam ac perennem conſtruunt, & ædificant. *Democritus*, *Columella*, *& Diophanes.*

Ad mirabiles extruendas Sepes.

Si plura diverſi generis ſemina ceræ, vel tenaci cuipiam materiæ in longitudinem tenuiter protenſæ incluſeris, eâ ſolo optimè ſtercorato ac ſubacto commiſeris, mirabilis ex ea congerie pullulabit Sepes. Regii olitoris hoc artificium & experimentum. *Mizaldus.*

Clepſydra ad hortos irrorandos.

Inter vaſa tam admiratione dignum, quàm vulgatum eſt Clepſydra, noſtris œnopho, magnitudine & formâ amphoris perſimilis: gracileſcit enim in collo, fundus perforatus, ut cribrum, ſuprema pars oſculum tantùm habet, fit ex Argilla figulino opere: poteſt & ex quacunque alia materia confici, aperto ſuperiore oſculo vacua demittitur in aquam, impleturque ad certam menſuram; inde obducto pollice, extrahitur ab ea, retineturque, irrigatur Horti pars, & cùm ceſſare vis, obducto pollice aquam continebis. *Cardanus.*

Secretum pro Hortis ſiticuloſis.

Quòd ſi puteo, vel fonte, vel piſcina caruerit Hortus, hortum tribus vel quatuor pedibus altius fodies, ad ſimilitudinem paſtini: nam ita cultus ſiccitates negliget. In quo id quoque obſervabis, ut quem humoris natura non adjuvat, per partes dividas: & hyeme ad meridiem, æſtate verò ad ſeptentrionem ſpatia colenda convertas. *Mizaldus.*

Terræ

Terræ hortenſis probatio.

Terram Hortis accommodatam deprehendes, ſi aquâ lotam ac diſſolutam limum multum habere videbis. In quo ſi ſuperaverit aquoſitas, ineptam ac infœcundam judicabis. Si manu ac digitis illam contrectando valdè glutinoſam, ac tenacem repereris, ac ſi eſſet cera, prorſus inutilem cenſebis. Oportebit autem ante omnia elapidatum eſſe Horti ſolum, ad hæc quàm minimè rimoſum, ne Sol penetrans plantarum radices exurat. Erit autem terra illa temperatæ ubertatis, & culturæ facilis, quæ nec madida eſt valdè, nec ſitiens, adhæc, quam recenter effoſſam alites quærunt, maximè Corvi, foſſoris veſtigia comitantes. Si improba fuerit, quidam emendari dixerunt, ſi ſuper tenuem pinguis injiciatur, aut gracili, aridulæque humida ac pinguis miſceatur. *Mizaldus.*

Quænam obſervanda ſunt in ſtercorando Horto.

Quocunque tempore hortum, vel agrum ſtercorare libuerit, valdè curandum eſt, ut ab occaſu æquinoctiali ſpiret ventus, ſitque Luna decreſcens, ac ſicca. Nam obſervatione tali mirum in modum augetur ubertas. *Plin.*

Hortus quando ſeminandus.

Non ſum neſcius quoſdam præcepiſſe, Hortum vel Agrum non eſſe diſſeminandum, niſi cùm terra pluviis permaduerit. Quæ ſi tempeſtivè & opportunè deſcendant, non improbo. Si, quod nonnunquam evenit, tardè labantur, quantumvis ſitienti Horto, vel Agro ſemen committi poterit ex Columellæ ſententia. Quæ res in quibuſdam provinciis, ubi cœli ſtatus talis eſt, uſurpari ſolet. Nam quod ſicco ſolo ingeſtum eſt, perinde ac ſi eſſet domi repoſitum, non corrumpitur. Atque ubi redit imber multorum dierum ſementis uno die ſurgit: ſed ab Avibus & Formicis interim periclitatur: niſi ante ſationem ei ſuccurratur illis auxiliis, quæ ſuo loco exponentur. Ut ut fuerit, dabitur opera, ut hortus, vel ager qui Vere conſeri debet, ſub finem Autumni ante gelicidia paſtinetur. Et qui Autumno oleribus, aut herbis veſtiendus erit, Æſtatis initio convertatur: ut hybernis frigoribus, vel æſtivis Solibus (de magnis hortis loquor) gleba ſolvatur: ad hæc ut pravarum herbarum radices necentur. Cumque ſationis appetet tempus,

quod unicuique regioni ſuum eſt ac proprium, runcandus erit, ac prorſum exherbandus Hortus: deinde ſtercorandus. His peractis, in areas digeretur: quæ ita informandæ erunt, ut runcantium manus ad dimidiam latitudinis partem facilè pervenire poſſint: ne dum herbas inutiles illæ perſequuntur, ſemina pedibus interim conculcet Olitor. Verùm ſummè adnitendum erit, ut ſationi ſerenitas, & temporis clementia ſuccedat. Nam favente cœlo, tepentibus locis, & à Sole illuſtratis citiſſimè prorumpunt, ac pullulant ſemina: quibus ætas etiam nonnihil conferre ſolet. Quapropter videndum erit, ne vetuſta, exuſta, miſta, emaciata, languidà, aut adulterina ſint ſemina. Quæ dum projiciuntur, boreales dies, ac valdè frigidi vitabuntur. Nam in his, terram veluti horridulam & occluſam, ſemina ægrè recipere, ac fovere manifeſtum eſt: diebus ſerenis ac temperatè calidis contrà. Si verò timor fuerit, ne frigoribus, pruinis ardoribúsve perurantur, paleis contegi poterunt: quibus tranſverſæ virgæ imponentur: & virgis Arundines, aut Sarmenta. Sunt apud Græcos rerum agreſtium ſcriptores, qui ſementem, augeſcente Lunâ, à quarta ſcilicet uſque ad plenam facere conſulant, dum ſub terra eſt. Alii ſecuriorem viam excogitantes, ſationem præcocem non probant: quare in duo & tria, & quatuor tempora illam partiuntur: futuri temporis incertitudinem hoc modo vitare ſatagentes: & ruſticanum *Columellæ* adagium in memoriam revocantes. *Serere ne dubites.* Oportebit igitur eum, qui ſeriam olerum plantationem inſtituit, videre, ut proba ſint ſemina, terra apta, ſtercus bonum, & aqua prompta. Nam proba ſemina, quæ inde generabuntur ſimilia efficient: terra apta, ſic credita optimè ſervabit, ac fœcundabit: ſtercus ſucculentiorem reddet terram, ad hæc laxiorem, ut aquam facilius admittere poſſit, quæ radicibus impertiatur: aqua verò, quaſi ex ubere omnia alet, ac fovebit. *Mizaldus.*

Secretum pulcherrimum pro ſervandis in terra ſeminibus abſque noxa.

Si ſemina terræ mandanda ſucco Sempervivi paulò ante ſationem madefacta fuerint, ab Avibus, Formicis, agreſtibus Muribus, & aliis Hortorum prædonibus, non ſolùm illæſa ſervabuntur, ſed quæ inde naſcentur, etiam præſtantiora evadent. *Aphricanus.*

Auxi-

Auxilium adversùs mala omnia & monstra hortensia.

Græci à malis omnibus & hortensibus monstris tuta servari tradunt, si Equæ aut Asinæ calvaria, sed non virginis, intra hortum ponatur, vel in ejus medio, affixa palo erigatur. Nam quæcunque spectabit, suâ præsentiâ fœcundabit, & illæsa custodiet.

Ad tuendos Hortos.

Uva intorta si sepibus apponatur, non solùm alienorum ingressum prohibet, verùm etiam maleficia ab Hortis propulsat. *Dioscorides.*

Rigationis opportunum tempus, & qualis debet esse aqua.

Rigatio, quæ Solibus æstivis, & maximè circa exortum Caniculæ, summopere solet prodesse ac probari, hora matutina, & vespertina, ne à Sole inferveſcat aqua, & radices adurat. Sed ne tum quidem nimiæ debent esse rigationes, quoniam inebriatis radicibus nocent. Pro quibus non haurienda est aqua Putei altissimi: ne nimia frigiditate, & cruditate radices percellat. Quòd si alterius præsens non adfuerit facultas, horis aliquot antè haurienda erit, & sub dio exponenda, ut tepeſcat. Rigationis modum stirpium ætas temperabit. Novellæ enim plantæ minùs sitiunt, & quæ assuevêre, summè rigari desiderant. Idque leviter ex clepsidra, ut æqualiter bibant radices, & non immergantur: nam ita animam terræ exhalatione vaneſcentem retinent. Ergo non universum ingurgitabuntur plantæ, sed quomodo sitient, ita stillabitur aqua, vel ex ubere alent, & non inundans. *Mizaldus.*

Adversùs Tonitrua, Fulmen & Grandinem.

Nolarum & campanarum tinnitus (amotâ superstitione,) aut bombardarum longè lateque reboantes crepitus ut clamor eat cœlo, auxilium præsentissimum adversùs tonitrua, fulmina, & nubes grandinem horrendam minantes. Nam vi soni moventis aërem sursum & ad latera exhalationes ad tertiam aëris regionem expelluntur. Item quicunque tergore fluvialis Equi, quem *Hippopotamum* nuncupant, circumsepti fuerint nequaquam à fulmine tanguntur. Quin & noxiæ non erunt tempestates, ut Archibius ad Antiochum Syriæ regem scripsit, si obserata fictili

novo Rubeta, in medio Horti, vel Agri defodiatur. Per cujus ambitum plerique etiam Laurum multam, eâm in rem plantant. Alii Aquilæ pennas, aut Vituli marini pellem in medio Horti, vel per quatuor ejus angulos ſuſpendunt. Bulbus non ſui corporis exiguitate fulminis impetum evadit, ſed adverſam, & fulminis ictum retorquentem, naturam poſſidet. *Ex Mizaldo.*

Aliud.

Ferunt lapidem, qui cum fulmine cadit (ut aliquando contingit) ſi in oſtio ſuſpendatur, domum à Fulmine præſervare. *Guliel. Gratar.*

Adversùs inſtantem Pruinam, & Rubiginem.

Si inſtanti & prævisæ Rubigini ac Pruinæ obviam ire voles, paleas multas, ſi adſunt, aut Horti vel Agri evulſas herbas, frutices, & ſpineta, pluribus locis combures, maximè quâ parte ventus ſpirabit: ita enim impendens malum averti ſcripſit *Diophanes.* Porrò fumum trium Cancrorum uſtorum cum bubulo vel caprino ſtercore aut paleis, auxilium præſentiſſimum eſſe ſcripſit *Apulejus. Plura de his vide lib.* 9.

Prognoſticum fertilitatis, vel ſterilitatis ſeminum quorumcunque.

Quod attinet ad prognoſticon fertilitatis, aut ſterilitatis ſeminis cujuſcunque, tam ſati, quàm ſeminandi, hac viâ procedes. Diebus viginti, aut triginta ante Caniculæ exortum, in quopiam loco diligenter ſubacto, de unoquoque ſemine legitimo, & recenti, probationis gratiâ, diviſis ſpatiis, ac ſignatis, paululum ſeres: & ſi aëris urgebit incendium, opportunè negabis: ut projectum in aridam commodiùs pullulet, & ante coſmicum dicti ſideris exortum, tempeſtivè ſe prodat. Hoc peracto, ſedulus obſervabis, exacto Procyone, quodnam è jactis ſeminibus incolume, vegetum ac illæſum emerſerit, & duraverit: atque illud fertile ac fœcundum evaſurum prædices: reliquum verò, quod non prodiit, aut vietam, languidamque & flaccidam plantulam emiſit, inutile ac ſterile futurum tibi perſuadebis. Nam certò certius eſt, inſanum & æſtuans Caniculæ ſidus per illa ſua canina incendia, quædam ex ſatis lædere, alia minimè. Ex quo noxa, vel beneficii judicium per annum futurum unicuique ſementis generi, ſidus naturâ aridum

dum ac fervens præſenti exitio vel ſalute nunciabit ac præmittet. *Mizaldus ex Zoroaſtre, & eſt unum ex Ægyptiorum experimentis.*

Adversùs Horti Erucas.

Veſpertilionis ſtercore, & Allii lignis, exemptis capitibus, ſuffitis, ita ut vapor per omnem Hortum diſpergatur, Erucæ necabuntur. *Anatolius.*

Ad Blattas Horti.

Ventriculum ovillum recentem ſtercore plenum & illotum defodito, non in profundum, ſed in ſuperficie. Invenies enim ipſum Blattis, praſocoridibus dictis, repletum. Si verò idem iterum feceris, omnes congregabis, & ſic apprehenſas perdes. *Dioph.*

Adversùs hortenſes Pulices.

A Pulicibus non lædentur plantæ, ſi naturali auxilio Erucam herbam pluribus locis admiſcueris.

Adversùs grandinem irruentem.

Si voles grandini irruenti occurrere, Vituli marini pellem, vel Hyænæ, aut Crocodili, per Horti vel Agri ſpacia circumferes, & in eorum congreſſu ſuſpendes, quemadmodum ſcripſit *Philoſtratus.*

Aliter.

Sunt qui grandinem inſtare animadvertentes, oblato ingenti Speculo imaginem nubis accipiunt, eoque remedio nubem, ſeu ſibi objecta deſpiciat, vel diſpliceat, ſeu tanquam geminata, alteri cedat, exemplo avertunt & amoliuntur. Plerique alii hac ſuperſtitione imbuuntur, ut plurium domorum clavibus de funiculo pendentibus, omne Horti ſpacium in orbem cingant, exiſtimantes grandinem ſine damno hac arte aliò cum ſua nube migraturam. Sunt qui dextrâ manu Teſtudinem paluſtrem ſupinam ferentes Hortum vel Agrum perambulent: & reverſi unde exierant, eâdem figurâ illam humi ſternant, ac glebas curvaturæ dorſi ejus objiciant, ne obverti poſſit, ſed ſupina permaneat, nubemque grandine prægnantem rectà intueatur. Quod quidam fieri præcipiunt horâ diei, vel noctis ſextâ. Non defuerunt apud priſcos qui eam in rem omne horti, vel agri ſpacium albâ Vite cingerent: aut Noctuam alis patentibus extenſam in illo ſuffigerent. *Mizaldus ex Columella, Philoſtrato & aliis priſcis.*

DE SECRETIS VESTIUM.

CAP. III.

Ad Maculas omnis generis ex veſtibus, pannisq; delendas.

ACCIPE Salis communis optimè triti, Saponis nigri, ſingulorum quantum ſatis eſt: quibus optimè miſtis, maculæ inungantur: deinde cùm ſiccatæ fuerint primò lixivio, deinde aquâ tepidâ laventur & evaneſcent. *Alexius.*

Ad maculas pannorum ſericorum, & aliorum delendas.

Vervecis pedes anteriores in cinerem redigito, ut fiat pulvis, quo panni priùs aquâ madefacti aſpergantur, poſtea cùm ad Solem ſiccati fuerint, iterum aquâ humectentur, pulvereque, ut priùs aſpergantur. Quibus ſæpius iteratis, pulvis optimè aquâ abluatur, & abſque dubio maculæ evaneſcent. *Idem.*

Smegma ad omnis generis maculas ex pannis delendas.

Accipe dimidium Fellis bubuli, Albuminum ovorum n. j. vel ij. miſceantur benè, addendo Aluminis uſti libram unam, pulveris Ireos unc. vj. Salis contriti parum & miſce. Quo facto addatur tantum Saponis albi, inciſi, vel raſi, quantum ad globos effingendos ſatis eſſe videatur, & ſiccentur in umbra, quoniam Sol iis adverſatur. Quæ ſi vendere volueris, æquali pondere ea conficito. Cùm autem maculas delere voles, pannum priùs aquâ frigidâ humectato, fricando optimè jam dicto Sapone; deinde aquâ frigidâ abluatur. Quòd ſi adhuc comparuerint maculæ, ſiccetur pannus: deinde rurſus, ut priùs, lavetur, & prorſus abſtergentur. *Idem.*

Aliud.

Accipe Smegmatis albi Veneti libram unam, Vitelli ovorum n. vj. Salis triti cochleare dimidium, ſucci Betæ quantum ſatis eſt. Miſceantur & fiat maſſa ad globos formandos, qui in umbra ſiccentur. Quando autem uti voles, pannum aquâ priùs abluito: deinde dicto ſapone fricato, mox aquâ abluito, & adimentur. *Idem.*

Aliud.

Aliud.

Accipe Smegmatis albi raſi libram unam, Fellis hircini, vel bubuli, Aluminis catini, ſingulorum unc. unam, Vitelli ovorum n. iij. Cineris parum: miſceantur in mortario benè, fiantque pilæ, quibus, ut jam dictum eſt, utitor. *Idem.*

Aliud.

Accipe Fellis veteris bovis, quantum ſatis eſt, Fœniculi græci in pollinem redacti libram j. Smegmatis albi lib. unam & dimidiam, Lixivii fortis menſuras tres: miſceantur, & coquantur ad ignem, uſque ad conſumtionem medii, & ſervetur ad Maculas delendas. *Idem.*

Aliud ad Maculas unctuoſas.

Accipe Aluminis rochæ, Calcis vivæ, ſingulorum libram unam, Aluminis ex vini fecibus unc. ſex, Smegmatis albi raſi, libras tres, Aquæ fontanæ libras quatuor. Miſceantur, & aliquandiu ad ignem coquantur, deinde percoletur, & ad uſum ſervetur. Quando autem uti voles, Maculas unctuoſas ex utroque latere calido, benè confricato, mox aquâ purâ abluito. Quo facto, bis aut ter Sapone & aquâ abluantur Maculæ & abſque dubio adimentur. *Idem.*

Aliud ad eaſdem Maculas.

Accipe Aquæ fluvialis menſuras duas, Fellis bubuli n. j. Aluminis uſti unc. quatuor, Aluminis ex vini fecibus uſti unc. tres, Camphoræ ſcrupulos duos, miſceantur & coquantur uſque ad conſumtionem medietatis, deinde coletur, quo Maculæ lotæ bis térve delebuntur. *Idem.*

Ad Maculas ex panno purpureo, ſive è lana ſit ſive ſerico, ſine coloris detrimento delendas.

Accipe Succi Saponariæ quantum volueris, & ſuper maculas ponito, ac ſic per horas duas, vel tres ſinito: deinde aquâ calidâ diligenter eluito. Quòd ſi nondum macula prorſus deleta ſit, iterato. Quòd ſi pannus grano tinctus non fuerit, dicto ſucco aliquantum Saponis adjungito, & permiſceto diligenter, atque iterum eluito, & Macula evaneſcet omnino. *Idem.*

Ad Maculas delendas ex pannis ſericis albis & chermeſinis.

Aquâ Vitæ ter diſtillatâ maculæ priùs humectentur deinde Ovi album ſupperaddatur, & ſiccetur ad Solem,

aquaque frigidâ abluantur probè. Quod cùm bis factum fuerit, Maculæ extinguentur. *Idem.*

Aliud.

Accipe Aquæ Aluminis quantum ſatis eſt, quâ maculas eluito benè, confricando pannum: deinde aquâ frigidâ abluito, & delebuntur, maximè ſi ſecundò factum fuerit. *Idem.*

Aliud.

Accipe Lixivii quantum ſufficit, ponatur in ollam aliquam mundam ad ignem, donec ferè bullire incipiat; deinde addatur Aluminis contriti, Tartari in pulverem redacti, Smegmatis albi raſi, ſingulorum unc. iij. Fellis bubul. unc. ij. Commiſceantur & coquantur ad conſumtionem tertiæ vel quartæ partis, & fiat aqua, quâ cùm maculæ bis, aut ter lotæ, deinde ſiccatæ, denique aquâ frigidâ ablutæ fuerint, evaneſcent. *Idem.*

Ad Maculas panni.

Rec. Cineris Fagi q. ſ. cum aqua frigida fiat lixivium, cui adde parum Amurcæ Vini, & parum Luti uſti ex clibano, miſce, fiat lixivium, quo panni maculati laventur. *Ex lib. Germanico.*

Modus parandi aquam maculato linteo candido colorem reſtituentem.

Poteris autem hac ratione parare, ſi recipiantur Aluminis fecum unc. iiij. Fellis Equæ unc. ij. ebulliant ad quartæ partis conſumtionem, cui dein adde Smegmatis albi fruſtulatim ſecti, nec non Aluminis unc. j. relinquatur per dies duos. Utere tandem, uti ex præcedentibus didiciſti. *Ex lib. Germanico.*

Ad vinum ex panno quovis tollendum.

R. Lixivii ex cineribus Fagi parati & Fecum Vini albi ana q. ſ. His immerge pannum & per noctem relinque. Tandem abluatur, & Soli ſiccandus exponatur. *Idem.*

Modus tollendi omnes Maculas ex ſerico Carmeſino.

Paretur Lixivium ex cineribus Vitis: in hujus Lixivii pelviculas duas conjice Aluminis de fecibus unc. ſem. & relinque aliquandiu. Pòſt per linteum coletur addendo ei Aluminis, & Saponis duri ana drach. ij. Saponis mollis drach. ſ. communis Salis unciæ partem quartam, totidem Salis Ammonia-

moniaci, ſucci Chelidonii dimidium, Fellis vitulini unciæ partem quartam. Hæc omnia invicem commixta per pannum lineum colabis. At ſi opus fuerit, oportet ut ſumas ſuccida lanarum Coccini, quibus adde lignum Braſilium minutim inciſum; decoquantur ad ignem paululum, & per lineum pannum rurſus exprimantur, ſic habes aquam rubram, quæ delebit omnes maculas.

Ad maculas Holoſerici.

Rec. Lixivii ex cineribus Vitium facti quantum ſufficit.
Aluminis fecis unc. ſem.
Aluminis rochæ drac. j.
Saponis Veneti drac. ıs.
Saponis liquidi drac. ſem.
Salis communis drac. ij.
Salis armoniaci drac. iis.
Succi Chelidonii drach. j.
Fellis Vituli drac. ij.

Miſceantur omnia, & colentur per pannum linteum. Cùm uti voles, ſumito lanam tonſam ejuſdem cum Holoſerico coloris, & in ſupradicto liquore intinge, atque cum eâ maculæ Holoſerici fricentur. *Ex lib. Germanico.*

Atramenti Maculæ quomodo ex panno adimendæ.

Pannum priùs Aceto acerrimo lavetur, exprimendo benè cum manibus & fricando, deinde cum aqua & ſapone, & delebuntur. *Iſabella Corteſe.*

Ad Maculas panni.

Rec. Aluminis rochæ drach. iij.
Aluminis fecis libram j.
Saponis albi unc. j.
Aquæ fontanæ q. ſ.

Contundantur, & in vaſe vitreato coquantur ad ignem leviter; deinde per filtrum colentur, quo panni laventur. *Roſcellus.*

Pannus, ut priſtinum colorem acquirat.

Rec. Calcis vivæ unc. ij.

Cineris Cerri unc. j.
Aquæ fontanæ unc. ij.
Miſce. *Roſcellus.*

Ad delendas Maculas atramenti vel vini ex pannis lineis, vel è lana confectis.

Accipe Succi Malorum limoniorum, vel aurantiorum vel citriorum quantum ſufficit, quo Maculæ humectentur, & ſiccentur ſæpiùs; deinde aquâ frigidâ abluantur, & delebuntur. Quòd ſi ex Atramento fuerint maculæ, Sapone albo & Aceto laventur. *Alexius.*

Ad Colorem Maculis imminutum pannis reſtituendum.

Rec. Tartari in cinerem uſti unc. unam, Aceti albi fortis menſuram unam: miſceantur & ad ignem ponantur tamdiu, donec bullire incipiat, deinde ab igne auferatur, & fiat aqua, quâ panni ſenſim & ſæpiùs humectati, priſtinum colorem recipient. *Idem.*

Aqua ad Maculas delendas, ex pannis quovis colore tinctis.

Accipe Fellis bubuli unc. ij. Aluminis ex vini fecibus, ſingulorum ſcrupulos duos, Tartari albi unc. iiij. Camphoræ ſcrupulum unum, Aquæ communis menſuras duas. Conterenda conterantur, miſceantur, & coquantur, donec ſpumare deſinant; deinde addantur Aquæ vitæ ter diſtillatæ unc. quatuor, & ſervetur ad uſum. Quòd ſi pannus fuerit purpureus, ſumito panni fruſtum aliquod ei panno ſimile, in prædicta aqua madefactum, quo maculæ bis vel ter fricentur optimè, deinde aqua communi abluantur. Si verò alterius coloris fuerit Pannus, ejuſdem quoque coloris fruſtum aliquod ſumito, fiatque ut jam dictum eſt. *Idem.*

Ad Oleum aliudve pingue ex pannis ſine lotione tollendum.

Rec. Oſſa recta pedum Vervecis, quot volueris, in figulina, vel lateraria fornace comburantur optimè, fiatque pulvis ſubtiliſſimus, qui priùs calefactus ſuper maculas ponatur ad Solem donec nigreſcat, quod ubi fieri videris, illi-

illicò abjicito, novumque imponito: idque toties facito, quoad videris pulverem non jam nigreſcere, atque ſic maculæ abſque coloris detrimento delebuntur. *Idem.*

Cuilibet panno colorem amiſſum reddere.

Rec. Cineris Roboris libram j. ſuperfunde menſuras Aquæ quatuor, & relinque ſic per noctem, Lixivio dein ſeparato, adde Fellis Tauri n. 2. & Foliorum Betulæ exiccatorum M. j. ſimul bulliant ad horam ſemis, quoad Folia fundum petierint, frigeſcant. Poſtea ejus coloris Lanam, quo tingere vis pannum in Lixivio coquito ad ebullitionem uſque & ad dies quatuordecim ſeponito, ita enim Lixivium colorem lanæ adſciſcit. Tandem expreſſâ Lanâ pannum in lixivio tingito, & colorem priſtinum recuperabit. *Ex lib. Germanico.*

Maculæ ex laneis Pannis quomodo delendæ.

Accipe Lixivium ex cineribus Fagi paratum, cui adde inſuper fecum Vini, & Luti uſti ex fornace Piſtoris ſing. pauxillum. His immerge Pannum, quodque maculatum eſt, & extrahet omnes maculas. Abluito tandem aquâ purâ & ad Solem relinquito, ut ſicceſcat. *Idem.*

Aliud.

Rec. Aluminis fecum unc. vj. Tartari crudi unc. iiij. Aluminis unc. ij. Camphoræ, Sanguinis Draconis ana drach. ſem. Terendo hæc tenuiſſimè commiſceantur diligenter, his addes Fellis taurini novi, & pelviculos aquæ fontanæ totidem, invicem cum prædicta materia in lebete miſceantur, ignique appoſita ad conſumtionem tertiæ partis ebulliant, & per pannum exprimantur: ſi verò non habueris Mel & Camphoram nihil refert, ſufficit enim aqua. Ad uſum autem accommodabis hac ratione. Panno lineo novo, in aqua hac immerſo, frica maculas, & hoc iterando fac, donec evaneſcat. Quibus deletis, Pannum in eo loco antea maculatum aquâ calidâ ablue. Sin autem volueris delere maculas in panno candido, recipe aquam jam dictam, addendo ſmegmatis portiunculam, deſtilla & fac de cæteris, ut prioribus. *Idem.*

Veſtimenta ne Tineæ tangant.

Veſtimenta ne tineæ tangant, Amurcam decoquito ad dimi-

dimidium, ea ungito fundum arcæ, & extrinſecus, & pedes, & angulos. Ubi ea adaruerit, veſtimenta condito. Si ita feceris, tineæ non nocebunt. *M. Cato.*

Ad Maculas nigras pellibus albis inducendas, ut Leopardi, vel Pantheræ referant pelles.

Accipe Lithargyrii unciam unam, Calcis vivæ uncias duas, Aquæ menſuras tres. Miſceantur, & ponantur ad ignem lentum, donec calefiant tantùm, & non effervescant, deinde ab igne auferantur, & miſceantur, & fiat tinctura, qua pelles penicillo, è ſetis ſuillis confecto, maculæ inſpergantur. Quo facto, ſiccentur ad Solem, deinde virga aliqua percutiantur, & erit factum. Quòd ſi maculæ non probè conſpiciantur rurſus eadem maculæ tingantur, ut priùs, & compos fies. Hic color perſtat, ac pelles coloratas reddit. Quòd ſi & capilli, vel barba tingantur, venuſti reddentur. *Alexius.*

Calcei incorruptibles.

Albertus tradit ad compendium rei familiaris calceos optimos, & penè dixerim incorruptibiles fieri ex corio aſinino ea parte tergi, quâ onera bajulare ſolet Aſinus. Nam nullo temporis tractu atteruntur: neque ſi per lapides quis perpetuò ambulet, aut per ſpinas: nimiâ tamen vetuſtate adeò dureſcunt, ut fieri non poſſit, quemadmodum ſcripſit *Cardanus.*

DE SECRETIS FONTIUM.

CAP. IV.

Putei in locis maritimis, ut Aquas dulces reddant.

MUNIENDA ſunt Putei latera perpetuo opere: quemadmodum ubi pilam ſtruimus ad pontes ſuper fluviis fabricandos. Defixis namque ſublicis materiam circumponimus, ultra quam humorem exantlamus. Ita fabris cæmenta, & lapides, mediis undis circumfluentibus, in ſicco ponere licet. Operis igitur ratio erit hæc. Latiſſima primùm foſſa fiet: puta ad demetientem lineam pe-

pedum centum, palis priùs defixis quàm longiſſimis. Quod limi intra valli ambitum fuerit, extractum batillis, aut arutænis, aut aliis machinis trans palos jacietur. Ita mare ſubmovebitur, & ab ejus aſſultibus corona munietur. Ubi id ſpatii exhauſto humore aut ſiccum, aut propemodum tale fuerit, rurſus intra munimentum, alium palorum ordinem quàm longiſſimorum inſtituemus: qui ordo à priorum ordine denum pedum ſtabit intervallo, quod ejecto limo interiore complebitur. Idem tertiò ac quartò fiet, quoad Aquæ dulces hauriantur. *Scaliger.*

Machina Cteſibica.

Ratio conſurgit machinæ Cteſibicæ: quæ ſic conſtat, ut etiam *Janellus Turrianus* Cremonenſis, Vir magni ingenii in omnibus quæ ad machinas pertinent, opere ipſo expreſſit. Catinus æreus, cujus ſummum os, per quod effundi aqua debet B. in imo ejus duo foramina C. & D. ſuper quibus axes aut coria ita collocentur ut in follibus: quæ ex inferiore parte eleventur verſùs A. ſed ſi comprimantur, occludant oſcula illa: hæreantque Catino ex oſculis C. & D. fiſtulæ duæ, dextra ac ſiniſtra producantur E. & F. & modiolis inferantur in G. & in H. Modioli inanes ſunt, & in aqua merſi, in imo habentes foramina K & M. in medio ſupra quæ axes cum corio ut in catino, qui elevari poſſint ad ſuperius, cùm verè premuntur oſcula, ad unguem concludant. In modiolis autem emboli maſculi M. & N. torno politi & oleo ſubacti, ut modiolos ad amuſſim impleant: inde vectibus & regulis ita ſint aptati ut ultrò citroque permeantes, cùm M. aſcendit exinaniturq; ſubjectum vas, alterna



terna vice N. descendat, & impleat Embolum, exprimatque quicquid in eo continetur. Hac ratione parata cùm ex N. trahitur M. embolus Masculus, locus Q. modioli eximanitur: quare elevatur axis & corium supra K. aquaque B. ascendit, donec impleatur modiolus ex primi motûs ratione: interim verò cùm N. pressus sit incipiat ex imo trahi alterno motu, descendetque M. embolus, cumque aqua quæ in spacio Q. continebatur non possit effluere, M. concludente superius modioli capacitatem ad unguem: descendere per K. quoniam axis foramen premit, & quò magis urgetur pondere & impetu ex superiore loco ab aqua, ita magis exquisitè hæret K. foramini: sequitur ut aqua per G. exeat, quâ solùm exitus patet, ascendensque per fistulam E. ingreditur elephas operculum in catinum per C. foramen, donec catinus impleatur: pòst cessante impulsu ex E. subsidet corium, & axis in C. vasque A. plenum manet. Interim verè dum M. ad K. descendit, N. ad summum modioli ascendit, modiolusque impletur aqua eâdem ratione: unde cùm rursus premitur, exprimit aquam per H. in F. & per D. eadem ratione in modiolum, qui cùm jam plenus sit aqua, nec illa per C. egredi possit, cùm axis & corium eo magis hæreant foramini, quo magis ab aqua ex superiore parte premuntur, sequitur ex secundi motus naturalis ratione, quo etiam gravia sursum feruntur, ut aqua per A. in B. ascendens effundatur, atque ita alternante motu ac pleno semper existente catino, ut effluere ex imo K. & I. in altum ascendes, quantum liber per B. desinat. *Card. de subtil.*

Machina Bambilica.

Ejusdem argumenti est tuba navium, quâ solent naves aquâ periclitantes, evacuare. Cujus exemplo constructa est machina *Bartholomæi Bambillæ*, quam nos vidimus Mediolani, nulla ex parte antiquis artificio inferior. B. D. tuba, inanis intus, lignea rotunda, vectibus & regulis fixa, latior parte superiore tota D. M. inferiore arctior: qua parte excipitur C. vase aquæ immersæ, & undique à lateribus perforato, ut aqua ingredi possit, lapilli autem & arena minimè, fundo vasis C. solido existente, sic fiet ut tubam aquam ex vase puram, cùm opus fuerit,



fuerit, non lapillos aut arenam, quibus machina impediretur, hauriet. In loco M. ubi arctior pars latiori committitur, corium ſuperius ex parte M. annectitur, cui ſuperimminet lamina tenuis plumbea, ut cùm elevetur ex parte Q. pondere ſuo denuò cadat, & integat canalem L. exquiſitè, embolus autem maſculus A. E. minor tubæ latitudine, ſed tamen in ſupremo ubi eſt D. ad amuſſim tubæ, foramen obſtruet. Inane autem ſit O. P. Ex imo emboli tres ferreę ſolitæ prodeant, ad latera tubæ intus pertingentes, quas corio circumveſties, ne contactu tubam exulcerent. Hæ tripodis imaginem referunt. Inferius latiores ac magis diſtantes, ubi F. quàm ſuperius ubi E. Manifeſtum eſt igitur, totum ſpatium juxta N. eſſe inane, nec præter virgulas aliquid eſſe in eo: quo fit, ut pervia ſit via ex O. & P. in N. atque viciſſim ex N. in O. & P. totum enim ſpatium ſupra F. inane eſt, nec in eo aliquid continetur, præter embolum & virgulas H. In imo harum virgularum circulus F. capitibus earum annexus conſtituatur, nec totus inanis, ſed in medio tantùm, & ubi foramen relinquitur, corio ſupernè, ac ſuper corium plumbi lamina tenui, ut in M. dictum eſt, integatur, ſic ut cùm integitur ne aër poſſit tranſire, & corium tamen cum plumbo elevari poſſit verſùs N. & foramen ipſum detegere. Hoc itaque fiat ſic, corium

media

media quaſi parte annexum fuerit circulo, capiat virgarum continente: reliqua parte disjunctum, ac ſolum ad amuſſim foramen aliud, cùm hæret, occludens. Ex ipſis rurſus virgarum capitibus tres aliæ virgæ recta prodeant, lateribus introrſum tubæ hærentes. Has corium circumambit undequaque ad F. ſupremâ parte uſque in G. hærens, ad amuſſim lateribus tubæ introrſum, ne vel aër ex K. in N. poſſit permeare. Ita fiet, ut H. modiolum, ſed inverſum, videatur: eſt enim fundus F. & corio circum veſtibus undequaque tereti forma, & in G. apertus ac patens. Quo peracto ita aptetur A. embolus, ut citro ultroque commeare modò deſcendendo uſque ad M. parte G. modioli inverſi, modò ſurſum ubi nunc pingitur retrahi poſſit. His itaque ſic diſpoſitis, jaceat G. ſuper M. Q. & incipiat elevari, tunc aër contentus in ſpatio H. rarior factus demum trahit Q. & elevat: cujus ſucceſſu aſcendit aër ex L. in K. ſpacium, hujus ſucceſſu aqua aſcendit ex B. in L. Cùm autem embolus deſcendit aëris impulſu & plumbi gravitate, ilicò Q. deſcendit: quare aqua quæ eſt in L. neceſſariò manet: nam recluſo operculo M. Q. ſi aqua deſcenderet, convelleretur modicus ille aër, qui eſſet in ſuprema parte L. ſupra aquam, cùm non poſſit alium haurire aërem ex K. propter operculum M. Q. aër verò qui in K. continebatur, dum deſcendit per G. elevans operculum F. effugit in ſpatium O. & per P. formam exit foras: ita ſæpiùs repetito aſcenſu deſcenſuque G. & emboli impletur locus L. aqua, pòſt rurſus elevato G. & ob motus primi rationem ne aër in K. nimis convellatur, elevato Q. operculo aqua ingreditur ſpacium K. donec impleatur & ſimul cum eo ſpatium H. quod, ut dixi, commune eſt K. quia G. eſt modioli os patens, & nulla ex parte concluſum. Sit igitur jam plenum & rurſus embolus deſcendet; aqua igitur quæ in H. eſt, elevabit operculum F. & implebit ſpacia N. & O. Cùm autem rurſus trahitur embolus, ne aqua quæ O. aſcenderat rurſum deſcendat prohibet operculum F. quòd gravitate tum propriâ tum aquæ ſuperincumbentis, cadens obturat foramen. Itaque conſtat, hac machinâ aquam ſemper aſcendere, & nunquam poſſe deſcendere: unde cùm pervenerit ad P. effunditur per P. os tubæ in locum quem volueris, tuncque minimo labore quantum voles aquæ ex B. exhauries: nam plena jam tuba facilior fit motus emboli A. *Card. de ſubtil.*

Tubæ

Tuba ad Aquas hauriendas.

Tubæ verò quibus ſiccantur naves, tum fontes & ſcaturigines aquarum, ſimpliciore conſtructione conſtant. Manente ratione B. & C. ne lapides machinam impediant, embolus quatuor habet corii fruſta in imo, & totidem juxtà, duorum tamen cubitorum, aut paulò plus ſpatio diſtincta, quæ ſupernè alligantur. Palmi longitudo eſt eorum: & ut trahuntur, aqua ingreditur vacui ratione: cùm deſcendunt, dilatantur propter aëris impulſum, ſed & ob celeritatem aliquid rurſus permeat aquæ ſuperiùs. Itaque non ſolùm trahendo, ſed & premendo aqua aſcendit. *Cardan. de ſubtil.*

Ut Aqua ſe ipſam exhauriat.

Quomodo Aqua tantum aſcendat, quantum deſcendere poteſt, dum à motu raritatis adjuvatur: id ipſum planius exemplo patebit. Vas ſit aquâ plenum, cujus ſupremum E. imum F. in quo canalis A. B. C. Sit autem C. D. linea æqualiter à finitore diſtans, ſecundùm quem libella ducitur: Impleatur autem canalis A. B. C. aquâ, & emittetur aqua per C. dico, quòd exhauriet quicquid eſt aquæ ſupra C. D. lineam, nihil autem ejus quod eſt intra C. D. lineam, ſed canalis plenus pendebit, & vas uſque ad C. D. aquâ plenum conſpicietur. Hoc itaque ſic eſſe, declarat exemplum. Forſan quis dicat, hæc ad aquæ contractionem debuiſſe transferri: ſed non oportuit, quandoquidem ſeu aquâ, ſeu vino, oleo, lactéve vas plenum fuerit, nihil interſit. Itaque hujus potius ratio reddenda eſt experimenti. Aqua igitur quæ ſupra C D. eſt, cùm tanta ad unguem ſit, quæ aſcendit, quanta eſt illa, quæ ex C. effunditur, ſeu Canalis latior ſit in C. quàm in A. ſeu arctior, quia ſemper totus canalis ad unguem plenus eſt, levior eſt aqua quæ effunditur per C. Quòd verò levior ſit aqua in parte ſupra B. D. quàm in C. fit, quia aqua ſupra C. D. deſcendere appetit, ut ſit inferior illa quæ eſt in C. igitur comprimit aquam & in canalem impellit. Quæ autem eſt infra C. D. non appetit eſſe in C. quia C. altius eſt loco ejus, ideo non vult aſcendere, ſed aqua quæ effluit ex C. non præbet conſiderandi cauſam, cùm tamen ſit humilior ipſa aqua quæ in vaſe continetur: quia attractio illa non fit niſi continuitatis ratione: continuitas pendet ex ratione raritatis, quæ nulla eſſe poteſt aquâ egrediente os canalis C. Denique tota hæc contempla-



tio absolvitur hoc argumento, quòd aqua quæ debet trahere aliam aquam secum, oportet ut vase contineatur, quoniam sine illo convelli nequit, sed ab aëre juvatur adveniente, & ut sic corpus continuum ad æquilibrium perveniat. Cùm igitur humilius est osculum C. ad aliud perveniet: Cùm autem sublimius, non descendet: quia quæ è directo est loci inferioris; ut in A. ascendere cogetur ad C. quod est in directo D. Si autem aqua descendat primò, deinde ascendat, ut in figura sequente, ex A. in B. inde in E. postmodum in C. & in D. tunc pervenire poterit si D. minus distet à linea B. C. quàm A. locus ex quo descendit. Sed oportet in singulis spatiis certam esse differentiam altitudinis A. & D. Quantò enim longior fuerit, eò major differentia A. & D. juxta altitudinis mensuram esse debet. Hinc errores quorundam, qui ad libramen cùm conati essent aquas deducere, maximas jacturas impensarum susceperunt. In singulis igitur millibus passuum, altius palmo esse debet quàm D. ut in decem millibus passuum decem palmis. Causa hujus rei est aquæ rotunditas evidens, quæ etiam in urceorum superficie apparet. Unde ad libramentum licèt A. sit altius, quàm D. non tamen erit altius quandoque loco medio inter A. D. indiget etiam impetu quodam. Sed hæc nunc præter intentum quasi sunt, volui tamen ob magnitudinem periculi, & erroris frequentiam hæc subjecisse. *Cardan. de subtil.*

Machina Heronis.

Nunc de motu qui ex gravi & levi componitur, dicendum



dum erit. Pro cujus exemplo mirificè ſe offert Heronis machina, quam nos ſæpe tractavimus. Ea ſic habet : A. labrum aquâ plenum, ſub quo vas B. & ipſum aquâ plenum, ſit junctum A. ut ex altero in alterum aqua permeare non poſſit ſub B. vas aliud quod vocetur C. inane. Fiſtula D. feratur ex B. in C. cujus ſummum os fermè ad labrum perveniat. Fiſtula alia E. quæ ſupra labrum non parum aſcendat, & inſerta labro in medio penetret uſque ad imum primi vaſis, non tamen ipſi imo jungatur alia fiſtula F. cujus ſupremum in imo labri oſculo ſitum ſit, inferius in ipſo ſepto inter duo vaſa finiatur, ita tamen ut aqua ex labro per ſuperius os in vas C. deferatur. Tunc verò videmus aquam, quæ eſt in B. vaſe, per E. fiſtulam emitti, ac eò donec finiatur labri aqua, uſque perſeverare. Id quomodo fiat ex duobus motibus compoſitis demonſtrandum. Aqua deſcendens per F. fiſtulam in vas B. ſuperius. At verò cùm ibi locus aquâ plenus ſit, cogitur aqua deſcendere per E. fiſtulam preſſa ab aëre, atque ſic effunditur. *Cardanus de ſubtil.*

Cochlea Archimedis.

Eſt Archimedis inventum Cochlea appellata, cujus meminit *Diodorus Siculus* in antiquâ hiſtoriâ bis dicens Ægyptum ſiccatam beneficio cochleæ ab Archimede inventæ. Quòd ſi ita eſt, cùm Archimedes ſecundi belli punici temporibus floruerit, neſcio quo pacto antiquo tempore benè potuerit Ægyptus habitari. Utcunque tamen res habeat, inſtrumentum id nobiliſſimum procul dubio eſt, atque tali artifice haud indignum. Meminit hujus *Vitruvius* in fine ſui operis. Sed Geleaz de Rubeis civis noſter

ſter faberque ferrarius, cujus infrà mentionem facturi ſumus, cùm jam olim inventam ipſe quaſi primus autor exiſtimaret ſe reperiſſe, præ lætitia inſanivit. Vidimus eum verſantem truſatilem machinam, ac paulò pòſt mente excuſſum. Erat autem machina talis. Lignum A. H. ſolidum, rectum, rotundum, æqualeque, ac tam longum ac inclinatum, ad ſuperficiem aquæ, infixumque alveo quantum opus eſt, ſupra ipſam aquam promineat, ca-

nali ut vides metallico ſimplici ad cochleæ imaginem fabricato circumtegatur. Sunt qui multiplici utantur, tres mihi neceſſarii eſſe videntur, quique adeò ſenſim aſcendat, ut omnia ſpatia compleantur. Duo ora habet canalis: inferius quidem latius; anguſtius, quod ſuperius eſt. Vocetur autem illud K. Demonſtrandum eſt igitur, quòd ubi terminis A. & H. tignum claudatur, ita circumverti poſſit, quod motu aquæ circumvertetur. Secundò, quòd ubi circumagatur aqua aſcendet effundeturque per K. Nam pinnæ, quæ additæ ſunt B C D E F G. ſeu inter ſpacia alterutrinque ſeu in conjunctionibus tigni cum canali, occurrentes aquæ neceſſariò vertent illud inſtrumentum: quia augeri poſſunt longitudine ac latitu-

latitudine: pondus verò A. H. parvum eſt, & longè minus etiam factum ob inclinationem & axes in annulis poſitos, ita ut circumagi poſſit. Oſtendunt id etiam molæ in fluminibus, Pado atque Ticino, ut licèt leniſſimè fluant aquæ, hoc tamen ingenio lapides molares circumactitant, ac molunt triticum. Sed quòd aqua ipſa aſcendat ex Loin K. patet: Cùm enim E elevatur, parsque ſuccedit, fit humilior: igitur aqua deſcendet, quâ aſcendente, iterum pars ſuccedens deſcendit: eademque ratio ſemper oſtendit aquam verſùs K. tendere: hocque experimento pulcherrimè congruit, nos non ſemel periculum de hac fecimus, converſo igitur axe ſeu tigno in fœmineis cardinibus A. & H. in quibus intruditur, dònec aquâ canalis impletus fuerit, effundetur per K. in planum ripæ. *Cardan. de ſubtilitate.*

Machina Auguſtana.

Eſt & alius machinæ modus ut intelligo Auguſtæ, qui tamen ſub hoc genere comprehenditur, columna verſatilis A. B. rota cum paxillis vertitur à flumine juxta rationem à nobis ſuperiùs declaratam, dum de motuum translatione ageremus. In ea curriculi pro numero cochlearum, exempli gratia, C D E F G H K. & cochleæ, pro numero vaſorum, & vaſa pro alitudine: vaſa autem L M N O P Q R. fixa in columna S T. Verſa A B. vertuntur in curriculis cochleæ omnes, quarum infima C. haurit aquam ex ſubjecto flumine, & transfundit eam in vas L. à quo haurit cochlea D. fundens aquam in vas M. atque ita uno motu columnæ A.B.C. in L.D. in M.B. in M.F. in O. G. in P. H. in Q. K. in R. aquam fundunt haurientes è ſubjectis vaſis. K. autem transfert aquam per os V. in locum deſtinatum. Contingit rurſus dubitatio: quia cochleæ ore ſuperiore aſcendente, aquam mittere haud debent. Quamobrem primam triplicem fecimus. Sed videntur ſubſultim effundere dum aſcendunt: quia, ut demonſtratum eſt, partes deſcendunt, & aqua tota deſcendit, quam ob cauſam compreſſa exilit, ſed non quemadmodum ore cochleæ deſcendente, ſed pluribus circa eundem axem cochleis poſitis, fit continua non ſolùm, ſed æqualis aquarum effuſio. *Card. de ſubtil.*


A
K
H
G
F
E
D
C
B
T
R
Q
P
O
N
M
L
S

DE SECRETIS METEORORUM.

LIBER XIII.

De appellationibus Ventorum.

AQUATUOR mundi partibus quatuor venti primarii ſpirant, Subſolanus, Favonius, Boreas, & Auſter. Subſolanus itaque ab Orientali illâ plaga fertur, habetque à lateribus adſpirantes ipſi, Eurum & Cæciam. Favonius autem ex Occidentali plaga ſpirans, Japygem habet & Aphricum, qui ipſum medium conſtituunt. Boreas ex Septentrionali parte ſpirans, habet Thraciam, & Aquilonem, qui ipſum medium conſtituunt. Auſter porrò à Meridie fertur, habetque medium ipſum facientes Aphricoauſtrum, & Euroauſtrum. Quo fit, ut in totum duodecim venti exiſtant. Cæterùm Favonium præ aliis ventis agriculturæ commodum eſſe, etiam *Florentinus* ait, & nos quoque fatemur. *Dionyſius.*

Prænotiones ſereni Aëris.

CAP. I.

LUNA tertiâ & quartâ die tenuis, & pura apparens ſerenitatem ſignificat. Plena etiam exiſtens ſi pura apparuerit ſerenitatem portendit. Quin & ſemiplena pura apparens, ſerenitatem annunciat. At verò rubicundior exiſtens, ventum ſignificat. Si qua pars ejus denigrata videatur, pluviam indicat. Sol quoque purus exoriens, ſerenitatem ſignificat, & modicâ nebulâ ante exortum ipſius apparente, ſerenitas erit; ipſo occidente, ſi nebulæ circum ipſum diſtractæ extiterint, pluvia timenda non eſt. Occidens autem citra nebulas purus, etiam ſequentem diem ſerenam promittit. Si verò citra nebulam Sol emerſerit, nebulæ autem poſtea prope ipſum ſteterint rubicundiores, neque nocte, neque ſequenti die pluet. Nebulæ rubicundiores divulſæ circa occaſus, pluviæ timo-

rem eximunt. Noctua continenter canens per noctem, & cornix leniter die vociferans, & Corvi plures gregatim veluti gaudentes & clamantes, ſerenitatem ſignificant. *Aratus.*

Prænotiones tempeſtuoſi Aëris, & ex quibus ſignis Pluvias exſpectare oportet.

CAP. II.

LUNA tertiâ ac quartâ die obtuſa habens cornua & tenebricoſa pluviam ſignificat. Circulus autem ejus rubens, aut igneus apparens, tempeſtatem indicat. Plena Luna, ſi quid circum ipſam denigratum videatur, pluviam oſtendit. Si verò circum totam Lunam areæ duæ ſive tres extiterint, maximam tempeſtatem futuram ſignificant, præſertim ubi illæ nigriores fuerint. Sol rubeus in exortu, & nigreſcens, pluvias deſignat. Sole exoriente ſi circa radios tenebricoſa nebula apparuerit, pluviam ſignificat. Occidens verò Sol ſi juxta ſiniſtram partem nebulam nigram habet propinquam pluviam ſtatim ſperare oportet. Tonitrua & fulgura ex qua parte fiunt, inde tempeſtatem portendunt. Si modò ex Auſtrali parte; modò ex Boreali ventus progreditur, ampliusque aviculæ paluſtres & marinæ ſi in aqua aſſiduò lavent, tempeſtatem annuntiant. Iris dupla apparens, pluviam præſagit. Scintillæ ex ollis, aut vaſis æreis micantes, pluviam deſignant. Cornix in littore caput madefaciens aut tota natans, & noctu vehementiùs vociferans, pluvias annunciat. Gallinæ domeſticæ frequenter pulvere ſe opplentes, & clamantes, & corvi & graculi gregatim apparentes, & crocitantes, & hirundines circa paludes aut piſcinas, aut fluvios cum clamore volantes, imbrem indicant. Muſcæ etiam amplius pungentes, & anſeres cum clangore cibum appetentes, & araneæ citra ventum deorſum latæ, & lucernarum flammæ nigreſcentes, & ovium greges laſcivientes, tempeſtatem futuram ſignificant. Boves ad meridiem ſpectantes aut ungulas circumlingentes, & poſt mugitum in bubile progredientes, pluvias deſignant. Similiter & lupus animatior propè domos accurrens, & canes terram effodientes, & ulula matutinum ululatum edens, & aviculæ ad partes pelagi fugientes, tempeſtatem portendunt. Grues citiùs venientes, ac feſtinantes, tempeſtatem ſtatim futuram

turam oſtendunt. Mures ſtridentes tempeſtatem ſignificant. Porrò ubi plura ſigna ſimul concurrunt, firmior ſpes erit. Maximè verò quartas tum augeſcentis, tum decreſcentis Lunæ obſervare oportet. Hæ enim Aëris motum mutant. *Idem.*

Tempeſtatis ex marinæ Aquæ concoctu præſagia, tum quid portendant hyberna Tonitrua.

CAP. III.

OBSERVAVI ſæpiùs ſcaphâ in ulteriora littora devectus, manu ſalo immerſa, aquas marinas prorſus egelidas, ac tepore imbutas, quod ipſum tempeſtates ante triduum imminere portendit, ventosque impetuoſos, ac fluctus validos. Cùm enim in alto remotoque mari, unde ad nos æſtus devehitur, tempeſtas incubuit, aqua marina concuſſa, atque agitata ferveſcit, utque manus comploſo calore perfunditur, mox ad nos turbines ac tempeſtates devolvuntur, fluctusque in ſummam altitudinem intumeſcunt. Sic ineunte Vere tempeſtates auſtrinæ herbas, & gramina eliciunt concuſſu, & agitatione aëris concalefacta. Similiter ſi quando hybernis menſibus tonitru ingruat, ac cœlum fulmine coruſcat, crebriſque ignibus æthera micat: ſubſecuturam tempeſtatem ventosque Typhonicos exorituros, ac ſæviſſimos in Oceano æſtus indicat. Cùm enim præter temporis rationem contraque naturæ ordinem excitatur aëris illa intemperies, neceſſe eſt validam ſubeſſe cauſſam, quæ illos turbines commoveat: nunquam enim tale quiddam obſervavi, quin poſtridie horrendæ tempeſtates ſint exortæ, magnaque aquarum eluvies deſcenderit. Fulmen enim, & tonitru æſtati familiaria ſunt, quemadmodum & ardentes febres: quæ ſi hyberno tempore invadant, ac concitentur, ex vehementi id fieri cauſa oportet, quam prohibere ac reprimere temporis contrarietas non potuit. Quo ſpectat illud Hippocratis: Minùs periculosè ægrotant ii, quorum vel naturæ, vel ætati, vel conſuetudini, vel tempori familiaris morbus eſt, quàm quibus horum nulli affinis cognatusque exiſtit. *Lemnius.*

Prænotiones longioris Tempeſtatis hyemalis.

CAP. IV.

Ilices & Quercus multum fructum ferentes diuturnio-

rem Hyemem fore ſignificant. Et Capræ & Oves initæ, rurſusque iniri expetentes, longiorem hyemem portendunt. Si animalium greges terram effoderint, & capita ad Boream extenderint, magnam hyemem prænunciant. *Idem.*

Prænotiones an præcox, aut ſerotinus futurus ſit Annus.

CAP. V.

PRAESTAT prænoſſe utrum præcox, aut ſerotinus Annus fiet. Etenim ſemine uberiore uti melius eſt ſerotino anno apparente, propterea quòd quædam ex ſeminibus in medio tempore corrumpantur. Si igitur poſt vindemiam imber continget ante Plejadum occaſum, præcox annus erit. Si verò ſimul cum occaſu Plejadum imber fiet, medius. Si verò poſt Plejadum occaſum pluvia cœperit, ſerotinus fiet annus. Democritus autem & Apulejus ajunt, talem futuram expectare oportere tempeſtatem, qualis erit dies ejus feſti, quod Romani Bruniam appellant, hoc eſt, quarta & vigeſima menſis Novembris, qui Græcis aliquibus Dios vocatur. Alii quidem ex obſervatione quadam aſſerunt, juxta ſimilitudinem quartæ & vigeſimæ prædicti menſis Novembris in qua Bruma ſit, futurum eſſe deinde ſequentem Decembrem menſem. Juxta ſimilitudinem autem ſextæ & vigeſimæ ejuſdem Novembris, Februarium. Verùm hoc aliquando quidem contingere ſolet, aliquando verò nequaquam. Quin & illud quidam ex obſervatione tradunt, quòd à ſeptima menſis Martii die uſque ad decimam quartam ejuſdem menſis aër frigidior fieri ſoleat. In illis enim diebus 40. martyres in paganorum manus traditi ſupplicio affecti, fidei ſuæ teſtimonium præbuerunt. *Didymus.*

Significatio effectuum ex primo Tonitru ſingulis annis, poſt Canis ortum.

CAP. VI.

PRIMUM tonitru cenſendum eſt ſingulis annis, quod poſt Canis ortum contingit. Quare obſervandum eſt, in qua domo circuli Zodiaci Luna exiſtat tum, cùm primum tonitru auditur. Etenim ſi, Lunâ in Ariete exiſtente, tonitru fiat, conſternatos & dubiæ rationis quoſdam in regio-

regione futuros ſignificat, & futuros timores, hominumque fugam, poſtea verò quietum ſtatum. In Tauro verò Luna exiſtente ſi tonuerit, frumenti & hordei corruptionem portendit & locuſtarum inſultum. In regia autem aula gaudium. His verò qui ad orientem habitant, anguſtiam & famem. In Geminis ſi tonuerit, turbas & morbum indicat, frumenti corruptelam, & arborum perditionem. In Cancro hordei corruptionem, & ſiccitatem, & bonam mortem, circa Martium verò & Aprilem pluviarum copiam. In Leone frumenti, & hordei perniciem in montana regione, & pruritus & impetigines. In Virgine regis interitum, & alienigenum regionis Regem, navigantibus periculum, circa ſata rubiginem. In Libra bella, & plagarum multitudinem, & fructuum corruptionem. In Scorpione fames erit, volatilia autem multiplicabuntur. In Sagittario, commotionem ſignificat in regione, in montana regione frumenti fertilitatem, in campeſtri corruptionem. In Capricorno, pluvias fore ſignificat in dies quinquaginta, & Regis dolum, ac vituperium, & indecoram loquacitatem, & alieni Regis apparitionem ab Oriente, qui univerſo terrarum orbi dominabitur, fructuum abundantia erit, & Virorum præcellentium mors: ovium verò generatio. In Aquario, bella grandia in regione maritima, fructuum aliorum fertilitatem, leguminum autem perniciem. In Piſcibus, frumenti corruptionem modicam, & mortem Viri potentis. *Zoroaſter.*

Pluviæ præſagium. CAP. VII.

ILLUD ſanè mirum, his qui cauſam non expenderint: quòd ſi Pluvia non imminet, ſaltant Tineæ: ſi imminet, contorquentur ſolùm: non enim adeò afficiuntur cùm humidus eſt Aër, ob id nec adeò exiliunt: plerunque autem imminente Pluviâ, Aër humidus eſt. *Cardan.*

Ventos præſagientia. CAP. IIX.

VENTOS prænunciant mare undis exæſtuans, & in littoribus valdè reſonans. Idem faciunt montium juga pura exiſtentia. Spinæ item, & arida folia in contrarium à ventis volutata. Tonitrua & fulgura in æſtate undecunque ferantur, inde ventum expectare oportet. Quocunque ſtellæ delabentes vergunt, illinc ventum expectandum ſignificant. *Zoroaſter.*

Quo-

Quomodo Grandinem abigere oporteat. CAP. IX.

AJUNT quidam ſuperſtitioſi, quòd ſi quis Speculum incumbenti nubi oſtendat, Grandinem præterituram. Et rurſus ſi Hyænæ, aut Crocodili, aut Phocæ pellem loco circumducas, eademque præ foribus domus ſuſpendas, Grando non cadet. Si verò & claves multas diverſarum ædium per circulum Regionis funiculis alligaveris, Grando præteribit. Et ſi in domibus Tauros ſtatues ligneos, valdè juvabit. Et Teſtudinem paluſtrem ſi in dextra manu poſueris ſupinam modica terra circum eam aggeſta, ut nequeat ſeipſam vertere ac abire, quod ipſum facere non poterit, ſi terra ſub pedibus ipſius concavior fuerit facta, quum enim non reperiat, quod inſtar ſuſtentaculi apprehendere queat, manet in loco: quo facto neque in arvum, neque in ullum aliquem locum Grando cadet. Sunt autem qui tradant, horâ ſextâ diei, aut noctis circumgeſtationem Teſtudinis, & depoſitionem fieri oportere. *Apulejus Roma* ait, uvam in tabellâ depictam in vinea conſecrandam eſſe occidente Lyrâ, & fructum manere illæſum. Incipit autem occidere Lyra ad decimam Calend. Decembris: Perfectè quidem occidit primâ Nonarum Februarii, id eſt, ipſo Nonarum die. Atque hæc quidem à Veteribus tradita ſunt. Ego verò quædam ex relatis valdè indecora eſſe opinor & vitanda, omnesque moneo talibus, ut nequaquam animum advertant. Quin & Equi fluviatilis pellis ſegmenta ad ſingulos terminos poſita, Grandinis, ùt ſuperſtitiosè ferunt, minas cohibent, ac ſiſtunt. *Philoſtratus.*

Adversùs Fulmen. CAP. X.

HIPPOPOTAMI pellem intra Regionem defodito, & eo loci fulmen non cadet. *Idem. Superſtitio Phyſica.*

Aliud.

Laurum adverſùs Fulmen remedium eſſe *Plinius* ſcribit. Unde antiqui Fulmen timentes, Lauri coronam ſuo capiti imponebant. Idem de Ficu fertur. *Guil. Gratarol.*

Adversùs Tempeſtates. CAP. XI.

IN Apennino Italiæ intra Bononiam & Piſas monte, exortâ tempeſtate, mulieres ad oras procurrunt, eas elevatis manibus conſignantes, caſeo in die Aſcenſionis Domini

preſ-

preſſo, decuſſatimque ſignato, crucis figura impreſſo fune, atque ita ſe per annum fore illæſas arbitrantur. Eodem in Apennino ovum in Aſcenſionis feſto excluſum adſervant, ſummoque illigant tecto, atque hoc modo iſtas ædes à Tempeſtatis injuria tutas fore exiſtimant. Alii ſtratâ menſâ in medio cubiculi, imponunt inter duas cereas ardentes Ceraunium lapidem ein Donnerkeyl is tum ſudat, quod ipſis videtur miraculum: cùm tamen non minùs naturâ id fiat, quàm vitrearum feneſtrarum ſudatio, aut tum temporis, aut in hypocauſto calente. Cæterùm Tempeſtates agris non nocebunt, ſi Corallii triti in quatuor agri angulis præcipuis ſpargantur. *Vvierus & Fallopius.*

Iris quomodo videri poſſit. CAP. XII.

IRIS multis modis videri poterit, commodius tamen è Cryſtallo paretur, vel ex Iride quoque gemma, ſexangulæ Cryſtallo ſimili, quam ſic Majores appellavêre, cùm Solis ſubdita radiis, ſumma tecti laquearia ſubjectumque planum tremula verberet umbra, Iridique colores ſimiles oſtendat. Sic enim naſcitur hexagona: ſin minus arte paretur trigona longitudine dodrantali, latitudine duorum digitorum, inde rota expoliatur, & concinnetur. Cùm ergo Iridem videre quæſieris, Cryſtallinum, vel Vitreum Priſma manibus ſumes, & in longitudine oculis accommodabis, ſi per infernam ſuperficiem intueberis, omnia diversè colorata puniceo, viridi, xantho, & cæruleo: item ſi ad ſupernam ſuperficiem oculos flexeris, permutatur colorum ſitus, cùm permutentur perpendiculares, & hoc clarius Solis Luce, nec contemnendum rei ſpecimen erit, ſi Hortos inſpexeris undique tapetis ſparſos, floribus & coronis ornatos, & ambulantes Homines, uti Angeli viſuntur veſtium fimbria iiſdem coloribus redimita: ſi ſecundùm latitudinem oculis accommodabitur, in latum colores videbis: ſi ſupra, vel ſub oculos invertes, inverſa, & erecta abſque coloribus vides, ſpectans verò quaternis inſpicietur oculis, omnia tamen inflexa, ob oculorum convexitatem, aliquam inde cera ſuperficiem opacando, & ſæpè per oculos revolvendo ea videt, quæ potiùs ſunt faſtidientis, quàm voluptuoſæ narrationis pertractare. Idem quoque ſic videre poſſumus. Sic ſi in pelvim aquæ plenam ſpeculum immergatur, diligens intuitor in parietum marginibus, iridis colores generatos reperiet, & pulchriores. Aliter vitreum vas, vel pellucidum aliquod

quod rotundum, foris aqua perfuſum Soli oppones: radiis enim ſolis ictum, rutilo aëris repercuſſu in ſubjecto plano cœleſtis arcûs ſpeciem imitabitur, per varias Solis inflexiones. Sic Soli aquam objiciendo ſtillatim, è regione nigra in ſuperficie diſſultans, Iris ſpectabitur, ut ſæpè remigantibus evenit, aquarum motum: idem quoque evenire conſpicitur circa lucernas Auſtro flante, & maximè humidos oculos habentibus. *Joan. Bapt. Porta.*

Draconis volantis conſtructio. CAP. XIII.

EXTAT & artificium, quod aliquibus Draco volans, vel Cometæ ſidus dicitur, cujus talis eſt conſtructio. E ſubtilioribus Arundinum paxillis quadrangulum conſtituatur, vel longitudo ad latitudinem hemioliam, ſit proportionis diametrorum duorum, & ex oppoſitis partibus vel angulis immittantur, quarum interſecatione funiculus illigetur, & ejuſdem quantitatis, cum duobus aliis jungatur, è capitibus machinæ provenientibus: ſic papyro, vel ſubtili lino obtegatur, ne quod grave in ea ſit; inde è terris, montibus, vel altiorum locorum faſtigio, æqualibus, & uniformibus ventis credenda, non validis ne diſrumpatur machina, nec levibus, ſi undique ſilebit aura: nam eam non ſublimat, ventorumque ſegnities irritum faciet laborem: ipſa recto non incedat tramite, ſed obliquo, quod efficit funis tractus è capite uno, ex altero longa cauda, quam è reſtibus effinges æquidiſtantibus & papyris paſſim religatis, ſic levi tractu immiſſa artificis manibus committenda, qui nec ſegniter, nec oſcitanter, ſed validè impellat: & ſic volutans carbaſus aëra petit, ubi paululum fuerit elevatum (hic enim ex domorum anfractu diſruptus eſt ventus) ut vix manibus compeſci, vel retineri queat, Laternam aliqui ſuprà locant, ut Cometa videatur. Sclopum alii, charta & pyrio pulvere involutum, & cùm in aëre quieſcit, immittitur per reſtim accenſus funiculus annulo, vel lubrico aliquo, ſtatimque velum petens, ignem ori admovet, maximoque Tonitru, in plures machina diſſilit partes, & ad terram procumbit. Ælurum aliqui vel catulum ligant, ac per aëra immiſſas auſcultant voces. Hinc auſpicari poterit ingenioſus principia, quonam pacto & homo volare poſſit ingentibus alis, cubito & pectore deligatis, eas autem à pueritia paulatim jactare aſſueſcat, loco ſemper ſublimiori. Quòd ſi quiſquam id mirum putaverit,

verit, adjiciat ea, quæ Archytam Pythagoricum commentum esse, atque feciſſe traditur, plerique enim nobilium Græcorum, & *Favorinus Philoſophus* memoriarum veterum exequentiſſimus, affirmatiſſimè ſcripſerunt, ſimulacrum Columbæ è ligno ab Archyta ratione quadam diſciplinaque mechanica factum volâſſe, ita erat ſcilicet libramentis ſuſpenſum & aura ſpiritûs incluſa, atque occulta concitum. *Joan. Bapt. Porta.*

DE SECRETIS ORGANICIS.

LIBER XIV.

DE SECRETIS GRAMMATICIS, quomodo videlicet occultè loquendum.

CAP. I.

Locutio quomodo occultetur.

VOCES ſeptem modis occultantur: primus eſt abſentia, hæc tutiſſima eſt, & cùm non deprehendatur, ſuſpicione caret. Inde obmurmuratio, vel locutio ſubmiſſa quæ indecora eſt, & ſuſpicione plena, & ſæpenumero maximorum malorum cauſa fuit. Tertius linguam alienam, ut Græca-Latinis, Germanica-Italis miſcendo; ſed & hic ſuſpicionem parit, & eſt indecorus. Quartus eſt per nutus ut colludentes: eſt autem hic maximè turpis & irriſorius. Quintus eſt per verba alia ſignificantia, qui circulatoribus eſt familiaris. Itali ad Calman locutionem vocant. Ea indiget longâ obſervatione: ſi quis tamen dextrè eâ utatur, ſuſpicione carere poteſt. Utilis eſt, ad pueros inſtituendos, qui in domo ſerviunt. Sextus eſt cùm circumcisè loquimur, hic haud irriſorius eſt, & gravem Virum decet, cùm ancipitem ſenſum reddat. Adeoque legitimus, ut etiam ſcriptis magnorum Virorum ſit familiaris. *Cardanus.*

Locu-

Locutio per ſibilum.

Locutio per ſibilum duobus modis contingit, alter quidem ut in his Fiſtulis, quibus canimus ſimul & loquimur. Vox lingua dearticulatur, latet non animadvertentibus parvum ſub magno, & umbra ſub ſono. Conſtant fiſtulæ illæ cicutis ſimplicibus, ligneis, unico foramine lato, ſub eo poſito, per quod inflantur: id verò membranâ tenui contectum eſt undequaque, ita & vox & ſermo reſonat. Sed reliquus modus in elevatione vocum per paria ſpatia conſtat; quibus ſingulæ literæ ſignificantur, & ex literis dictiones, & oratio tota indiget conſuetudine, ſed non eſt aſſuetis ardua res. *Idem.*

Quomodo cum Urbe obſeſſâ, per faces procul colloqui liceat.

Eſt & aliud communicandorum conſiliorum obſeſſis Urbibus remedium, quod tutum eſt, & ſemper paratum: nec minùs licet intelligere, quæ velint, qui auxilio veniunt, aut venturi ſunt, quàm Urbis ſtatum patefacere, parumque differt ab epiſtola. Igitur ſi civitas ipſa cupit exploratori, quæ velit, ſignificare, aut exercitus duci in auxilium venienti, ſuper quinque turres procul invicem poſitas, ita ut longè diſtinctæ videantur, ſingulæ faces ardentes collocentur, ſingulique qui eas tenent, verba quæ ſignificaturi ſunt ſcripta ante ſe habeant, & ut in litera ſuccedit quæ ad facem pertineat ſuam,

aut

aut duæ tréſve, eam eáſve facem elevando, aut deprimendo, aut in dextram, aut ſiniſtram flectendo, ſignificet. Pari ratione, ex altiſſima turri conſilia Ducis in auxilium venientis, exercitu hoſtium intermedio, quiſque literas conjungendo intelliget, prorſus hoſtibus nec advertentibus, ne dum inſciis, quòd faces auxiliariorum humiles erunt. *Card.*

Modi quibus res ex Urbe obſeſſa ſignificentur.

Nunc tempus eſt, ut doceamus, quomodo abſque epiſtola res procul ſignificari poſſint: id cum facibus fieri poſſe modò docuimus: exiſtimantes noſtrum eſſe inventum, ſed olim à Polybio in quodam fragmento deſcriptos duos modos hujus generis, alios tamen à noſtro invenimus, qui cùm obſcuri ſint, & mutili, non ab re eſſe exiſtimavi, ut à nobis explicarentur, ſimul locupletem facturus doctrinam de hoc, ut commodè ea uti poſſimus. Igitur ænea vaſa utrinque conſtituit longa, arcta ſed profunda, in ternas, aut quaternas partes diviſa, & in his, ut in lampadibus fieri ſolet, ligna cum ſubere poſita, ſuper lignis tædæ impoſitæ, è directo in limbo vaſis res inſcriptæ principaliores, veluti frumento indigemus, ſeditio in urbe eſt, præſidium receptum, peſte laboratur, cras foras erumpemus: atque multa alia capita rerum. Ergo utrinque impletis vaſis aqua: & tædis accenſis, ubi aliquandiu arſerint, detracta fiſtula, fax deſcendit ad imum: ſubducta aqua, alter legit, quæ in limbo ſcripta ſunt. Sed hic modus ſatis rudis eſt: nec docet, quæ velimus, verùm ex infinito numero fortuitorum pauca admodum, nec perfecta. Alium deinde ſubjungit, noſtro ſatis conformem, qui talis eſt; Ex conſtituto utrique habent 5. tabellas, in quarum ſingulis alph. elementa 5 aut 4. ſaltem eo ordine, quo vides deſcripta ſunt.



Qui verò volunt oſtendere, quæ velint, decem habent tedas ardentes, quarum quinque à dextris, aliæ à ſiniſtris ſunt collocatæ: igitur primùm faces elevantur ab eis qui aliquid ſignificare voluerint, ac toties, donec alii facem elevent, ne initium incertum ſit. Ubi reſpondemus ſigno, & ſi quæ fiunt animadvertere docuerint, totidem faces elevantur à dextra quotus eſt numerus tabulæ, in qua litera eſt deſcripta, inde à ſiniſtra totidem, quotus eſt numerus elementi in tabula. Gratia exempli, volo ſignificare *Veniemus*, à dextra quatuor faces, quia V. in quarta tabula eſt, & totidem à ſiniſtra elevabimus, nam V. quarto in ordine tabulæ collocata eſt: inde X. nam à dextra ad quintam à ſiniſtra pro E: eſt enim in prima tabula quinto loco deſcripta. Inde tres à dextra, duas à ſiniſtra pro N. & pro I. duas à dextra: eſt enim I. in ſecunda tabula: & quia eſt in quarto loco, quatuor à ſiniſtra: rurſus pro E. unam à dextra: quinque à ſiniſtra: & pro M. tres à dextra, unam à ſiniſtra: & pro V. quatuor à dextra, totidem à ſiniſtra: & pro S. quatuor à dextra, duas à ſiniſtra. Nos verò alium modum ab his, atque etiam eo, quem ſuprà deſcripſimus, trademus: ut cum duobus facibus res tota abſolvatur, ad omnem confuſionem vitandam. Igitur conſtitutis duabus facibus prælongis, ut ſufficiant ad totam ſententiam per elementa declarandam, atque in tanta diſtantia inter ſe, ut pro intervallo eorum, quibus ſignum hoc proponitur, in diſtantia quatuor cubitorum eſſe judicetur. Datoque ac recepto ſigno à complicibus utrinque facibus elevatis, aut abditis ut initium rei ſtatuatur, ſiniſtra elevata, elementum unum ſignificabit: debet autem elevari decem cubitis, depreſſa ſicut lateat, aliud in ſiniſtrum latus inclinata, aliud in dextrum, aliud ut quatuor amplectatur elementa, totidem dextra ſignificabit, erit autem pro arbitrio, & pro condicto elementorum ordine ſit ita hoſtibus, ut amicis res pateat, poteris enim primo loco pro A conſtituere N. vel aliud quodcunque volueris elementum, habes igitur jam octo elementa,



quatuor

quatuor habes ſi ambæ faces moveantur ſimul: utpote elevatæ I. abſconditæ L. in ſiniſtram inclinatæ M. in dextra N. Rurſus ſiniſtra elevata & dextra depreſſa O. in ſiniſtram inclinata P. in dextram Q. Siniſtra quoque depreſſa, tres alias notas, in ſiniſtram tres alias, ut ſint viginti & unum elementa, & abſolutum alphabetum uſque ad Z. literam. Superſunt præter has, tres aliæ differentiæ, quæ à ſiniſtra face in dextram partem inclinata prodeunt, cùm dextra ſimul mota fuerit ſurſum aut deorſum, aut in ſiniſtram partem. His igitur conſtituemus 0. 1. 2. Et ſic repetatur 3. 6. 9. ut conſtituantur ſecunda vice ab I. uſque ad 1. repetiti prima conſtitutio 9. 18. 27. Et ita habes ab uno uſque ad 38. Quòd ſi quarto repetieris primum ſignum 27. ſecundum 54. tertium 81. ſignificabit, perveniesque uſque ad 119. Ita quinto habebis 81. 162. 343. & ſummam omnium 462. Neque parum eſt tam brevi duabus funibus, quarum altera eodem modo ſemper ſe habet, ſcilicet ut ad dextram inclinetur, reliqua trivariam variatur omnes numeros ſignificari ab unitate uſque ad 462. Atque hic modus minimè fallax eſt, aut confuſus, breviſque & perfectus. Verùm exercitatione in talibus opus eſt, & ut antea de his, obſeſſi cum auxiliaribus convenerint. Noctem etiam eſſe claram atque ſerenam, & abſque Lunæ lumine. *Idem.*

DE SECRETIS SCRIBENDI.

CAP. II.

Literæ in tenebris conſpicuæ quonam fiant pacto.

SI quis furtivo ſcripto rei conſcio, novo aſtu excogitata quæpiam nuntiare quæſierit, quæ tantùm nocte intempeſtâ conſpectari queant, in tedularum liquore graphicè deſcribendo pagina ſaturetur, maximâ adhibitâ ſedulitate, & ineffigiata interdiu apparebit. *Joan. Bapt. Porta.*

Literæ occultæ, quas non quivis legere poſſit.

Occultandi ratio triplex eſt, tranſmutandi, quæ in uſu, ut de Cæſare olim Suetonius, velut ſi pro a. d. pro b. n. ſcribatur. Eſt autem infinitorum generum. Secundus translatione fit, atque hic duplex. Primus cùm tribus literis exempli gratia, omnia ſcribimus, facilius autem ad-

dita aſpiratione, ne quid de his prorſus præter hanc ſit varietatis. Cb ‘abb ‘aacb acaccab bb ababbba cabbca ‘abb ‘abcbacab bbb ‘acabbcbbabbabb ‘ab ‘b cbaabbaacb ‘acc ababbbab cab cbbb bbb ‘aa ‘ac ‘aaabaa bbb ‘ca cbabb ‘abacabbaa ‘ca ‘abbca cbabab. Alter translationis modus eſt, ut deliteſcant, in quibuſdam ſuſpicionis nota quædam, ut in Laconica ſcytala, in aliis nulla penitus relicta, qui modus eſt elegantiſſ. Nam membranas duas æquales accipiet delineatas ad ſcribendum, atque in ipſis lineis foramina ſparſim è regione in utraque parva, ſed tamen pro elementorum magnitudine ſeu altitudine facies. Quædam ſeptem, quædam tria, quædam octo, vel decem elementa continebunt, ut omnia ſimul foramina CXX. elementa ſimul junctis omnibus, quæ inſcribi poſſunt, contineant. Harum alteram dabis illi, ad quem ſcribere deſideras. Cùm verò opus eſt, ſcribe primùm ſententiam tuam quàm breviſſimè potes, ſic ut numerum elementorum minorem contineat ſententia, quàm is eſt, quem cupiunt intervalla. Inde in membrana ſuppoſita foraminibus ſcribes eam ſententiam, atque item in alia atque alia: demum imple ſpacia primæ membranæ ſententias complendo, donec ſenſus conſtet. Hanc ſecundam ſententiam complebis in ſecunda membranâ, ſic ut verba N. ſententiæ cohærere videantur: in tertia quoque ita aptabis, ut illæſis primis literis, ſententiâ totâ verborum numerus magnitudoque conſtent, ac concinnitatem retineant. Quibus peractis ſuperpone exemplar, quod præcidiſti membranæ coæquali, atque ita terminis foraminum puncta tenuiſſima ſignabis eò uſque, quò literæ pertingant, quas ſcribere deſideras: tum tertiam membranam accipe, epiſtolamque continuis verbis decenti ſpaciorum ordine ac magnitudine, tum etiam literarum ſcribe, ſic ut primò ſententia ac verba illius inter punctorum terminos contineantur. Ergo fuci ſuſpicio tunc nulla manet, alter cùm recipit, ſuperpoſito exemplari ſententiam animi tui illicò intelligit. Nec huic rei tametſi laboris haud levis ſit, aliquid ad ſignificandam ſententiam periculoſis temporibus amicis ſuis par inveniri poteſt. Tertia occultandi ratio fit, cùm literæ alumine ſcribuntur: latent enim: immerſæ aqua leguntur, quia aqua membranam reddit obſcuriorem, in qua candicat alumen. Quæ verò ſale ammoniaco, apparent dum igni exponunt. Ita alii ceparum ſucco ſcribunt, quæ omnes ignibus expoſitæ legi poſſunt, ſecus

ſecus deliteſcunt. Sed opus eſt haud mediocri diligentiâ. *Ex Cardano de Subtilitate.*

Literas lumine interpoſito legere.

Hæc eſt ſcribendi inopinabilis latebra, nec ut cæteræ leviter igne detegitur: Si colore corporeo albo ſcriptita-veris, uti Ceruſſa liquido immixta gummi, vel conſimili ſit chartæ concolor, néve aliquid ſit diſcerniculi, vel conjectare poſſit, tunc oculo, & lumini interjecta ſideris vel candelæ, ubi deſcriptæ fuerint literæ, ocularibus radiis penetrari non ſinunt, ſic obſcuriuſculæ conſpiciuntur. *Porta.*

Literæ indelebiles, quomodo corporibus humanis inſcribantur.

Si placeat quandocunque novas inſcribere figuras, facillimè efficies in æſtuario diviſa ſummâ cute novaculâ, vel phlebotomo, prius depicta atramento in cute figura: inde rimas minio, vel cæruleo, aut terra coloris quem depingere cupis implebis, & ſtatim ob calorem contracto colore cutis concreſcit in imaginem. Aliter ut experimento didici, & abſque balneo: Aquæ ſeparationis Auri cantharides toto die naturali immerſas fines: inde calamo tenui ſeu literas, ſeu formam aliam quam volueris delineabis in cute, ſic ut aquæ veſtigia relinquantur, confeſtim erumpent veſicæ albæ locis, quæ aqua occupavit. His perfractis & die una conſolidatis, perpetua cicatrix alba ſuccedet, atque omnino indelebilis niſi vi, formam depictam ad unguem referens. *Cardanus.*

Literæ ut nigro exemplo candicent.

Si velimus, ut literæ in nigro exemplo candicent, eſt adhuc occultior mentis conceptum proferendi ratio. Luteum, Oviúque albumen validè exagitatum, inſtar ſcriptorii atramenti liqueſcat, hujuſmodi literas, vel lineamenta protrahe, jam exiccatis, colore atro papyrus ſuperlinatur, & inquinetur: ubi verò literæ jam obrutæ liqueſcant velis, lato ferro, vel cultro leviter eas erodendo, tenebricoſum dilacerantes velum, uti nebulas diſcutientes ſupra modum candore panduntur inſigni. *Porta.*

In Ovo modus ſcribendi.

Alumen ex Aceto ſubtiliter, multumque terito, & cortici

quidquid velis affigurabis, ferventi Soli exiccato, muriæ vel acri aceto impone tribus, vel quatuor diebus, reſiccatum coquito, cumque fuerit toſtum, cortice nudabis, & duro Albumini inſcriptas literas reperies. Inde occurrit alterum: Cera circumlinito ovo, ſtylo literas exarando, fatiſcentes rimas humore reple, ac aceto macerari ſinito per diem, cùm ceram ſuſtuleris, decorticato & pervium corticem, & ovo impreſſas leges literarum figuras. *Aphricanus.*

Literæ deliteſcentes ut conſpiciantur, & conſpicuæ deliteſcant.

Si optabis ut literæ deliteſcentes conſpiciantur, & conſpicuæ deliteſcant, potieris, ſi ſtillatitio Calcanthi liquore, vel Ardenti Aqua affuſa, donec ſolutum fatiſcat, ac papyro literas duxeris: jam enim ſicceſcentibus celantur: porrò combuſtam paleam ex aceto triturabis, & quæ ſumus ſcripturi, in priorum interſtitio verſuum latè deſcribito. Omphacitis inde Galla albo Vino decoquatur, ſpongia madida, cùm cordi evenerit, leviter expergificando, & ſuper eas inducta atterendo, vernaculus nobis color ater obliteratus deliteſcit, priſtinus verò inviſibilis refricatus nobis fiet conſpicuus. *Porta.*

Scripta quomodo occultentur.

Diluitur tantum Atramenti ſcriptorii in aquâ, ut vix in ſcripto exemplo veſtigium nigredinis appareat: qua ſiccata, ſuper eadem verba, iiſdemque lituris alia, ex carbone Salicis, & Aqua pluvia ſpiſſata ſcribitur, quæ verum Atramentum refert. Ubi ſiccata fuerit tranſmiſſaque, libeatque legere, Galla aquæ incoquitur, impoſitaque ſpongia ac expreſſa mediocriter detergitur epiſtola nuper conſcripta, ita ut neque Carbo nec Lachryma nec Galla adhæreat, reliqua prior emergit cum Gallæ colore, & in tenacitate affigatur chartæ & obumbretur. *Cardanus.*

Literæ quæ igne, vel aquâ viſibiles redduntur.

Aſt reddere Literas igne vel aquâ viſibiles ſic poſſumus, & literas in carminum intercapedinibus, & ſyllabarum coagmentis, & diſtantiis protrahere. Contineat epiſtola inane quippiam, ut inconditè putet poſitas, & interceptæ, aut nihil omnino aut ægerrimè ſentient. Si Citrii, Medici mali, Cepæ & omnium ferè acrium ſucco deſcripſeris,

ris, ſi igni inferveſcit, eorum acrimonia deteguntur illicò. Majus aliquantulum ſubtilitatis habet, ſi Alumine aquâ diſſoluto ſcripſeris: cumque lectioni accedit, aquæ immergendo, latè evadent viſibiles, & elegantes. Si verò candicent, velis, & lacteas, ſic facies. Lithargyrium primò teritur, in fictile aquam continens cum aceto conjicitur, decoquitur, & decoctum per colum trajicitur, ſervatur: inde Limonis ſucco citrigeri generis literas exarato: jam enim ſicceſcentibus abduntur, ſi ſervato liquore immerſeris; lacteas & conſpicuas videbis. Si Mulierum ubera, vel manus ea madeant, prædicto inſperſo liquore lacte reſudabunt, utitor ſi inops aliquando eorum fueris. Sic quoque literæ Hirci adipe lapideque occultæ prorſus, ſi lapis idem aceto demergatur, prodeunt illicò, & quaſi ſculptæ foras eminentes extabunt. Si autem abſoluta aqua perſcribendo, literas increſcere jubes, ut gnavius expeditiusque itineribus accingamur: Gallas, & Calchantum ſubtiliter pinſito, inde pulverem chartæ inſpergito, panno perfricato, rectèque expoliantur, & ut ſit chartæ concolor, & pertinacius inhæreat, contuſo Juniperi gummi (quod ſcriptoribus *Vernigo* dicitur) addatur reliquis, cùm uſu evenerit, aquâ, vel ſalivâ ſcribito, & nigreſcunt. *Idem.*

Literæ quæ non leguntur, niſi de nocte.

Literas, quæ non leguntur niſi de nocte, cum Felle Teſtudinis ſcribe, aut lacte Ficus ſi ponatur ad ignem, aut cum aqua vermis lucentis de ſero. *Albertus.*

Modus cognoſcendi Literas in charta latentes.

Cùm ſint tria genera eorum, cum quibus literæ occultæ ſcribuntur, atque imperfectæ: vel quia res alia deſideratur, ut quæ ſebo, cinere aut carbonibus indigent, vel quia aquâ, & lachrymâ Arabica, Calcantho, aut perſpicuo verbo verbi gratiâ, Alumine (in aqua enim candor videtur) pinguntur: vel quia denſitate, ex. gr. ſcribentur ſoluto Sale ammoniaco, nam ab igne coguntur: neceſſe eſt ut qui explorare velit, & inunctam Oleo chartam contra Solem inſpiciat, & ut mergat in aqua, & ut igni exponat, & ut Calcanthi pulverem inſpergat. *Cardanus.*

Literæ, ut conſtitutis diebus deciduæ ſint & evaneſcant.

Quantum humanum evolat ingenium, dum naturæ ſe-

creta pandis? Demergantur tenuis elimatus Chalybs in ſeparationis aquam, pondere jam triplicato, quibus liquidæ Picis, vel Terebinthinæ reſinæ fuligo addatur, ut nigrior fiat, & dolium cooperies, ſuper porphyrite multum teratur, ſcribe, & conſeneſcentes decident literæ. Hoc ſilentio prætereundum non putavi, quod præcipuum, & tanquam rei caput eſt, periculum frequenter facere oportet: nam ſi diutiùs in charta commoratur, fortis Aquæ pluſculum ſuggeratur, & ſi fueris ſedulus, ſubcrocea non remanebunt veſtigia, hac indicii normâ frui poteris. Sic aliud conſimile genus habebis, ſi ſic mentiri ſatius fuerit: Chryſocolla, ammoniacum Sal, & Alumen æquali certent inter ſe pondere, tuſa omnia fictili condantur, & forte ex Calce parato Lixivium, & faucibus excepturi vaſis lineo panno obtento, colato: ſi igitur parum ebulliat, atramento immiſce, & ubi incolumes aliquantulum durabunt, jamque flacceſcentes fient & caducæ, ad uſum recondito. *Porta.*

Modus delendi literas.

Ceruſſam in æſtate cum lacte ficus miſce, & in paſtillos redige: ſiccato in umbra, & tere, ac rurſus novo lacte Ficus imbue, forma paſtillos, ſiccato, terito: atque id repete quater, inde ſerva. Cùm opus eſt, literas leviter madefacito, & pulverem illum inſpergito, ſic ut undique adhæreat, ſinito per horas duodecim ſaltem, confricato tenui linteo aſperiuſculo, in quo goſſipium includatur. *Cardanus.*

Literæ quomodo deleantur.

Rec. Salis communis
Salis gemmæ
Aluminis rochæ ana unc. ij.
Salis ammoniaci unc. iiij.

Miſta deſtillentur ſecundum artem. Hac aquâ literæ humectatæ, evaneſcent. *Fallopius.*

Literæ ut penitus abſtergantur.

Sed lituras, maculas, vel literas penitus abſtergere ſi quæſieris; Calcanthi & Salnitri aquâ calamo ſupra literas delineato. Vel è Sale alkali & Sulphure, parvis conglobatis orbiculis perfrica, ſic erodet, ut nec veſtigium remaneat. *Porta.*

Literæ in lapidibus quomodo inſcribantur.

Si in ſilicem nullo compendio aliquid inſcribere velis, obli-

oblinito totum cerâ, inde inſcribito quod lubet, cerâ tamen exactè derasâ, ubi literæ ſunt, ut nudus Silex appareat: pòſt merge lapidem in aceto acerrimo per ſeptem horas, & exime: at ſi pluribus horis immerſus maneat, citiùs cruſta excidet. Contingit enim fermè, quod in humanis corporibus, cùm eſcharotica vocata medicamenta applicantur: ſupplet in aceto vim potentioris medicamenti mora, & multitudo aceti, cùm mergatur. Siccat enim & penetrat. Unde lapidem comminui neceſſe eſt. Palàm autem eſt, & hoc ad alios lapides traduci poſſe, qui non ſint multò duriores. *Cardanus.*

Ad Literas obliterandas.

Literas ſic facilè obliterabis ac delebis. Accipe carnem leporinam, ſicca, tere in pulverem, & vivæ calci miſce, ac literis ſuperpone, vel illine, & infra triduum nullum comparebit illarum veſtigium. Ex vetuſtiſſimo quodam exemplari. *Mizaldus.*

Epiſtolæ quomodo concludantur, ut aperiri clanculum nequeant.

Epiſtolarum uſus, & ratio obſignandi tam utilis eſt, quàm etiam neceſſaria. Si igitur adſit ſigillum, antequam cera imponatur, charta ſub eo in capillamenta divaricanda eſt, ſi id feceris, inde cera tolli non poteſt ullâ arte, quin capillamentum pereat. Dignoſcitur ergo apertâ epiſtolâ ex adverſa ſigilli parte fraus. Rurſus ſigillum non adſit, altera ex parte regula & ſtylo divaricanda eſt pars A D. poſtquam jam plicata fuerit, epiſtolæ cohæret pars AD. (quæ rectangula, & oblonga eſſe debet) duabus ſciſſuris, altera tangente A. altera propè valde deducenda eſt adverſam partem epiſtolæ per B. inde rurſus reducenda per C. & demum præciſa parte, & in mucronem formatâ reducenda iterum pars mucronata E. ſub BC. ex B. in C. ita ut pars, quæ tegit B C. quadrata ſit, non mucronata. Pòſt ex adverſa parte

pars foliis ad unguem æqualis ac ſimilis A. D. abſcindenda eſt: ita fiet un ſimiles ſint alterutrinque partes, nec unde clauſa ſit dignoſcere quiſquam facilè queat. Inſcribendæ etiam ſunt literæ utrinque ſuper obſignatum locum. *Cardanus.*

Epiſtola quomodo clam aperienda.

Literas obſignatas aperire ſolent ſeta Caudæ Equinæ, ſed priùs parum ceram excalefaciunt, res hæc manuum agilitate & judicio, quàm doctrinâ conſtat: reſtituere oportet è regione prioris loci, ne conſuetudine ſigilli, ſitus mutatus prodat dolum. Aliter inunge ſigilli locum, inde ſuperinfunde dilutum Gypſum tenuiſſimum, ex aqua cum modico glutinis piſcium, aut lachrymæ Arabicæ; ſinito cogi, & ita ſigillum adulterinum habebis. *Idem.*

Literæ ne comburi poſſint.

Ne literæ poſſint comburi, Accipe Acetum acerrimum, & Ovorum albumina. In quibus dilue, & coagita Hydrargyrum, eaque miſcellaneâ papyrum ter inunge, ac toties reſicca. Poſtea ſcribe ibi quicquid viſum fuerit, & in ignem projice, videbis abſque ulla combuſtione reſilire. *Ex antiquo libro.*

Literas ut à muribus tuearis.

Atramentum librarum diluto Abſynthii temperatum, literas à muribus tuetur, herba verò ipſa veſtibus inſerta, tineas arcet. *Dioſcorides.*

Albæ literæ ut legi poſſint.

Ammoniacum ſal tritum, & aquæ miſtum, literas albas, & à papyri colore nihil diſtantes reddit: ſed ſi igni admoveris, nigreſcent. Ad hunc modum Aluminis pulvere ſcripta non apparent, niſi chartam, dum voles legere, in aquam demerſeris. *Mizaldus.*

Scytale Laconica.

Duo lina teretia polita æqualiaque omnino, charta ſic ad cochleæ inſtar ſtricta, & æquali à ſummo uſque ad imum involvebant alterum, ut nihil omninò è ligno con-

conſpici poſſet, inde alterutrinque capita, quæ non integebantur præcidebant in formam, quam è latere vides. Unum ex his lignis Imperator exercitus accipiebat, reliquum apud ſe retinebant. Ubi opus eſſet epiſtola, chartam ligno prædicta ratione involvebant capitibus utrinque affixis, & in medio etiam tenuiſſima cera certis locis: inde ſcribebant, quæ vellent: eaque à ligno avulſa, epiſtolæ loco tranſmittebant. *Cardanus.*

Literæ ut aquâ viſibiles reddantur.

Cum aqua, in qua Alumen diſſolutum ſit, ſcribito, cumque lectioni accedis, aquæ immergendo, latè evadent, viſibiles, & elegantes. *Alexius.*

Literæ albæ, ut citò nigreſcant.

Aceto vel Urinâ clanculum in manibus, vel alibi literas exarabis: cùm exiccatæ fuerint, nec veſtigia apparent, & vis eluceſcat, fuligine, vel colore, quem ubertim infectoriæ dant officinæ, extricato, & nigricabunt valdè. Si easdem albas quæſieris, chartas ficulneo lacte delineato, exiccatas carbonis polline inſperſo confricato, & detergito. *Joan. Bapt. Porta.*

Atramenti conficiendi modus optimus.

Sumito Gallarum optimarum in tres aut quatuor partes inciſarum, vel leviter contritarum quantum volueris, quæ cùm in oleo pauco, aliquantulum fuerint frixæ, ponantur in ollam vitreatam, ſuperinfundendo Vini albi tantum, ut ad quatuor, vel plures digitos emineat: deinde adde Gummi Arabici contriti lib. ſ. Vitrioli contriti unc. viij. miſceantur, & ponantur ad Solem per dies aliquot, miſcendo quotidie. Poſteà cùm aliquantulum, & ad ſufficientiam cocta fuerint, coletur, & erit perfectum. Cæterùm fecibus relictis recens Vinum addi poteſt, deinde coqui, colari, & hoc toties fieri poteſt, quoties vinum non ampliùs à fecibus tingitur. His quidem vinis ſimul miſtis, addantur Gallæ, Gummi, Vitriolum recentia, ut ſupra: deinde cùm

rur-

rurſus ad Solem poſita, demumque cocta fuerint, multò melius erit, quàm priùs. Quò enim ſæpius iterentur hæc, eò etiam melius evadet Atramentum. Quòd ſi Atramentum ſpiſſius, quàm par eſſet evaderet, addatur parum Lixivii, & fiet fluidum. Si verò nimis eſſet fluidum, addatur Gummi Arabicum. Cæterum Gallas parvas, criſpas, ac duras eſſe oportet, quemadmodum Vitriolum coloris cœrulei: gummi præterea lucidum & friabile. *Alexius.*

Atramenti pulvis, quem quiſque proficiſcens ſecum ferre poteſt, modò aquâ vel vino contemperetur. Hic etiam pulvis reddit Atramentum perfectius.

Sumito nucleos Perſicorum, vel Armeniacorum, vel Amygdalarum, & ponantur ad ignem, donec candeſcant, auferantur, & ferventur. Quo facto, ſumito Reſinæ piceæ quantum ſatis eſt, ponatur in vas aliquod, vel ollam ad ignem, & cum candelâ vel carbone accenſa fuerit, cooperiatur operculo aliquo, ita ut ſpirare, non extingui, ſed fumus optimè recipi poſſit: deinde cùm Reſina omninò conſumta, vaſaque frigida fuerint, abſtergatur fumus in operculo hærens, & ſervetur. Quòd ſi quis tantum laboris, pro conficiendo fumo inſumere nollet, emat ab iis, qui Typographorum Atramentum conficiunt. De hoc itaque fumo ſumito part. j. pulveris Nucleorum accenſorum part. ij. Vitrioli part. j. Gallarum frixarum, ut ſuperiùs dictum, part. j. Gummi Arabici part. iv. Redigantur in pulverem, cribrentur, & miſceantur, fiatque pulvis in corio ſervandus. Quando autem uti voles, ſumito hujus pulveris parum: cui adde aliquantulum Aquæ, vel Vini, vel Aceti, & miſce benè & utitor. Atque ſic habes Atramentum repentinum, quod quiſque ſecum, abſque effuſionis periculo ferre poſſit. Quòd ſi hic pulvis addatur Atramento non bono, perfectiſſimum redditur. *Idem.*

Atramentum paratu facile, neque magno precio: præterea non ſolùm ad ſcribendum, verum etiam ad libros imprimendos aptum.

Rec. Ejus tincturæ, quâ coria tinguntur, quantum volueris, Fellis Sepiarum, quantum ſatis eſt, miſce & fiat Atramentum. Verùm ſi melius efficere voles, adjungito prædictum

dictum pulverem ex illis carbonibus, Vitriolo, Galla & Gummi. Hoc etiam Atramento libri imprimi poterunt: præsertim si aliquantulum Vernicis, & olei Lini additur, ut liquidius & tenacius fiat. Cæterùm Atramentum pro imprimendis libris, ex solo fumo Resinæ conficitur, ut suprà dictum est, addendo Vernicis liquidæ quantum satis est, & coquendo parum, fiat Atramentum, vel liquidius, vel spissius, ut res ipsa poscere videbitur. Nam hyeme liquidius, æstate firmius esse debet. Quòd si liquidius efficere voles, adde plus olei Lini: si verò durius, minùs olei, & plus fumi, meljusque coque. Verùm durius Atramentum elegantiores efficit literas. Quòd si rubrum Atramentum conficere cupias, loco fumi sumito Cinnabaris optimè contritæ, quantum volueris: si verò viride, Æris florem accipito: si cæruleum, ut paucis retro annis utebantur, sumito cæruleum Germanicum, vel enchaustum vitreum, quod Venetiis habetur. Reliqua fiant, ut in communi Atramento dictum est. *Idem.*

Atramentum perpetuum.

Stuchum vocant Artifices colorem perpetuum, quo maximè sepulchris literæ solent inscribi, jam prius literis in marmore incisis: constat fumo olei è semine Lini Pici navali commixto. Ejus enim fumi nigredo non mutatur, nec pix ab aqua, aut vento corrumpitur. *Cardanus.*

Rubrica scriptoria.

Accipe ligni Brasilii minutim inciſi unc. unam, Cerussæ, Aluminis, singulorum drachmas duas: terantur & miscentur: quibus tantum Urinæ superinfundito, donec cooperiantur, relinquanturque sic per tres dies, miscendo quotidie ter aut quater: deinde coletur per linteum, ponaturque in catino aliquo vitreato, vel mortario, & siccentur in loco aliquo, ab aëre & Sole remoto, & serventur. Quando autem ad scribendum uti voles, Aqua gummi temperata conficito. *Alexius.*

Pulvis abstergens Atramenti maculas, vel literas, scriptas in papyro.

Accipe Cerussæ optimè contritæ, lactis Ficuum, singulorum quantum sufficit. Miscentur, & fiat massa, quæ cùm exsic-

exſiccata, deinde rurſus imbuta lacte, atque ſic ſexies factum fuerit, fiat pulvis & ſervetur. Quando autem Atramentum, vel literas à papyro auferre velis, ſumito Pannum aquâ imbutum; deinde expreſſum, ponatur ſupra Atramentum, vel literas tamdiu, donec humectata ſint. Quod cùm factum fuerit, pulvis prædictus ſuperaſpergatur, & relinquatur ſic per noctem unam: deinde manè cum panno aliquo linteo ſicco fricetur leviter, quo facto, papyrum candidiſſimum videbis, & ad ſcribendum aptiſſimum. Quòd ſi omnino deletum atramentum non eſſet, iteretur, ut prius: & fieri nequit, quin auferatur. Quòd ſi attenuata charta nimium ſit, ea frictione glutine, quo ligna ferruminantur, leviter liquefacta, Ceruſſæ vel farinæ puſillo admiſto, denſabitur. *Idem.*

Ad literas aureas.

Ad ſcribendum aureis literis ſume Croci, & Auripigmenti partes æquales, dilue cum Felle caprino, & tamdiu ſub fimo equino ſepeli, donec fiat veluti ſpiſſamentum. Cum quo pinge, vel ſcribe. Idem fiet, ſi acceperis drach. ij. Aloes & Croci tantundem, eaque in pollinem redacta, Albumine ovi exceperis, & diu multumque agitaveris. *Ex quodam Grammatographo. Mizaldus.*

Ad literas aureas aliter.

Accipe Auripigmenti, Cryſtalli, ſingulorum unciam unam, redigantur in pulverem ſingula: deinde miſceantur cum Ovi albo, & fiat liquor ad ſcribendum. *Alexius.*

Ad Literas argenteas.

Argenteas literas ſic facies abſque Argento. Sume Stanni optimi unciam unam, Argenti vivi uncias duas, miſceantur, & liqueſcant. Deinde terantur cum aqua Gummata, & ex ea materia ubi opus erit, formentur literæ. *Mizaldus.*

Color viridis ad ſcribendum.

Accipe floris Æris, Lithargyrii, Argenti vivi, ſingulorum quantum ſufficit: terantur, & miſceantur ſimul cum Urina Infantis maſculi, & habebis colorem pulcherrimum Smaragdo ſimilem, non ſolùm ad miniandum, ſed etiam ad ſcribendum. *Alexius.*

Ad Literas virides.

Virides literas ſic facies: Accipe folia Rutæ, ſuccum exprime,

prime, florem Æris, & parum Croci adde, tere, & dum uti voles, aquâ gummosâ excipe, ac ſcribe. *Miz. & Alex.*

Liquor viridis ad ſcribendum & pingendum.

Accipe floris Æris, quantum ſatis eſſe videtur, ponatur in Aceto, donec liquefiat: deinde coletur per pannum ſubtilem. Quod cùm factum fuerit, ſuper lapide Porphyrite teratur optimè cum aqua communi, addendo parum Mellis. Deinde cùm benè ſiccatum fuerit, iterum ſuper lapide Porphyrite, cum aqua gummi teratur, & res erit perfecta. *Alex.*

Cœrulei parandi ratio.

Cœruleum cum Melle, ut Æris flos conterendum, ſed purgandum non eſt. Temperatur autem ovi Albo agitato, aut Glutinis aqua, & non Gummi. Aqua hæc glutinis fit ex viſcerum glutine lucido, & liquefacto & colato, ut ex gummi ſolet.

Cinnabarim parandi ratio.

Cinnabaris, cùm ſuper lapide porphyrite optimè aquâ communi contrita, deinde exſiccata fuerit, ponatur in vas aliquod oſſeum vel vitreum, urina ſuperinfundatur, relinquaturque ſic aliquandiu: nam fundum materia petet: poſtea auferatur ſenſim Urina, ac rurſus recens addatur. Quod cùm octies aut decies factum fuerit, optimè purgatum erit. Quibus ſic ſe habentibus ſumito Ovorum alba, optimè agitata, & in aquam puram diſſolvatur, eam aquam ſuper cinnabarim effundito, ut tranſverſum digitum emineat, rurſusque ſimul agitato; deinde cùm reſiduum fecerit, auferantur ovorum alba ſenſim, rurſusque recentia addantur, fiatque ut cum Urina. Nec alia ratione fit, quàm ut fœtens ille odor, ex Urina contractus evaneſcat. His omnibus factis, addantur Albumina ovorum recentia, miſceantur optimè, fiat liquor, & in vaſe aliquo obturato ſervandus erit: deinde cùm quis hoc uti volet, ligno aliquo miſcendus, ſervatur etiam diutiſſimè incorruptus. *Alexius.*

Liquor ad ſcribendum tanto candore præſtans, ut papyrum vincat in eoque legi poſſit.

Sumito Ovorum cortices optimè lotas, eaſque ſuper porphyrite, & marmore cum aqua conterito, & ſcintilla impoſitâ, finito, donec in fundo materia reſideat. Quo facto ſenſim auferatur aqua, materiaque vel per ſe, vel ad Solem ſiccetur, ſerveturque. Quando autem uti voles, accipito Gum-

to Gummi ammoniaci, exempto flavo cortice, quantum ſatis eſt, ponatur in Aceto diſtillato per noctem unam, donec diſſolvatur: deinde coletur, cui addatur aliquantulum prædicti pulveris, & fiat liquor omnium albiſſimus ad ſcribendum, & pingendum. Hoc etiam liquore, primaria quædam fœmina in Italia ad faciem dealbandam utitur, propterea quòd abſque ulla aliqua læſione cutis, & dentium, ita faciem albam reddit, ut non illita ſed naturâ ſic eſſe videatur. Verùm ſi ad faciem uti velis, liquorem multò rariorem, & tenuiorem eſſe oportet, ut meliùs penetrare & durare queat. Cæterùm ſi ad hunc effectum aliquantulum calcis combuſtæ addideris, optimè feceris. *Idem.*

Modus parandi Vernicem, ad membranas ſive papyrum lævigandum, quâ utimur ad ſcribendum: quæ melior eſt & pulchrior eâ, qua vulgò utuntur: nec ut illa vulgaris malè olet.

Vernix qua ſcriptores utuntur ad conficiendos libros, eſt gummi Juniperi in pulverem redactum. Ex hoc etiam gummi cum Lini oleo cocto liquida Vernix conficitur. Utuntur ſcriptores prædictâ Vernice contritâ, ut meliùs Atramentum ſuſcipiat charta, nec perfluat. Verùm ſi meliorem, atque minore precio parare voles, ſumito Ovorum cortices mundatos, & leviter contritos, eosque in olla aliqua benè coopertâ, in fornace vel Figuli, vel Vitriarii tamdiu finito, donec optimè in calcem ac cinerem vertantur, deinde cribrentur, & fiat pulvis albiſſimus. Quum autem uti voles, ponatur aliquantulum ſuper papyrum, ac leporino pede hinc inde ſpargatur, quod reliquum eſt, abſtergatur, & ita ad ſcribendum reddetur optima. Verùm ſi poſteaquam ſcriptum eſt, & exſiccatum, pulverem auferri deſideres, aliquantulum cum medulla panis fricetur, & abſterget pulverem omnem. *Idem.*

Modus parandi tabulas albas, delebiles, in quibus ſcribitur ſtylo æneo: cujuſmodi libelli in Germania fiunt.

Accipe Gypſi mundi ac cribrati quantum ſatis eſt, & cum colla cervina, aut alia diſſolves: quod cùm exiccatum fuerit, radatur, politum fiat, & lucidum. Quibus ſic ſe habentibus, rurſus ut priùs diſſolvatur, & radatur: deinde ſumito Ceruſſæ in tenuiſſimum pulverem redactæ, & cribratæ, quan-

quantum ſatis eſt: miſceatur cum oleo Lini cocto, & fiat Unguentum, quo illinantur tabulæ: quæ cùm benè illitæ fuerint, ſiccentur in umbra per dies quinque aut ſex, deinde panno aliquo, in aqua intincto, & expreſſo, expoliantur tabulæ, & ſic relinquuntur per dies quindecim, aut viginti, donec optimè ſiccentur, quibus ad ſcribendum, delendumque quod ſcriptum fuerit, utitor. *Idem.*

Libri quomodo obduci queant Auro.

Accipe Boli armeni ad nucis quantitatem, Sacchari candidi ad ciceris magnitudinem. Redigantur in pulverem tenuiſſimum ſimul: deinde addantur alba Ovorum, miſceantur optimè contundendo. Quo facto, ſumito librum optimè ligatum, & ſub prælo cum Ovorum albo illitum: deinde cùm exiccatum fuerit, illinatur prædicta compoſitione, & ſiccetur friceturque benè ut politum, leveque fiat. Quum autem Auro eos obducere voles, aquâ communi priùs humectentur: deinde ſubitò auro ſuperpoſito, bombyce premantur leviter, & exiccata dente lævigentur, atque ferro frigido formæ imprimantur. *Idem.*

DE SECRETIS SCIENTIARUM.

LIBER XV.

Præcedenti libro earum Artium ſecreta expedivimus, quibus veluti inſtrumentis ad varias ſcientias & Artes diſcendas aut docendas utimur. Nunc ergo ſupereſt, ut inſtrumentis expeditis ipſas Scientias, & Artes aggrediamur, & ea quæ nobis ex his inter Secreta referri debere videbuntur, exponamus. Sunt autem Scientiæ vel Phyſicæ, vel Metaphyſicæ, vel Mathematicæ, vel Morales, De phyſicæ ſcientiæ ſecretis antea paſſim

à nobis actum est. De cæteris in hoc libro nonnulla persequemur. Itaque Metaphysicæ scientiæ tractationem de Deo, & Angelis seu Dæmonibus bonis aut malis sub se complectitur. Suprà quidem primo & secundo libris de Deo, & Angelis aliquid egimus. Hìc tamen aliâ ratione Metaphysica tractaturi sumus. Suprà namque meram de Deo & Angelis scientiam proposuimus, non quatenus ad aliquod opus, aut effectum ex ipsa scientia prodeuntem referenda fuerat, quod jam paucis exequemur, ut hìc formam, suprà verò materiam tradidisse videamur. Non hìc enim quid Deus sit quotq; personis consistat, quid Dæmones sint exponemus, sed quomodo nobis Deus cognitus applicandus sit, Dæmonesq; boni conciliandi; mali verò procul à nobis repellendi. Quâ quidem ratione quævis bona consequimur, ut hæc meritò potissima secretorum pars censeri debeat.

Quâ ratione Deo conjungamur, eoq; nobis conciliato, fruamur.

CAP. I.

MULTA multi secreta magnis extulerunt laudibus, quæ vel ad scientias, vel ad opes & divitias, vel ad honores, sanitatem, aliaque corporis & fortunæ bona comparanda proferuntur: Cùm tamen in hâc vitâ nullum sit sanâ conscientiâ bonum hominibus magis exoptandum, cumque nihil sit, quod æterna felicitate magis expeti debeat, hoc certè secretum secretorum est, quod omnes Philosophi Christiano lumine destituti, nec non ex Theologis plurimi nequaquam assequi potuerunt, quomodo sc. Deo nobis reconciliato conjungamur, eoque nobis juncto fruamur, ut in hâc & alterâ futurâ vitâ genus omne bonorum consequamur. Veteres equidem Philosophi, primam rerum omnium causam animadverterunt, quæ quod malum est oderit,

oderit, & puniat: bonum verò complectatur, & præmiis afficiat. Cùm itaque judicarent Deum omnis boni, adeoque perfectæ felicitatis esse scaturiginem, probè quidem statuerunt, ita nobis nostram esse quærendam felicitatem, ut & sublimi contemplatione Deum verè agnoscamus, perfectisque virtutibus ei conjungamur: In hoc tamen aberratum est, quòd nec subtili contemplatione Deum verè agnoverint, nec perfectas obtinuerint virtutes. Quis autem, & quid Deus verè sit, aliàs ostendimus, ubi rationibus Philosophicis fidei tamen nostræ consonis, veterum Philosophorum errores palàm fecimus, eosque patefactâ veritate confutavimus. At verò quæ sint perfectæ virtutes quibus vinculum nostræ cum Deo conjunctionis describitur, suo forsan tempore docebimus, si licuerit Ethices Christianæ formulam in lucem perferre. Cæterùm ut secretum quod proponimus, intelligatur, sciendum est Deum (ut qui perfectissimè bonus sit) nihil acceptare quod quantumlibet malum existit. Novimus autem, & fateri, quisquis novit, cogitur, non saltem imperfectum esse quod in nobis est bonum, seu voluntatis seu quis intellectûs virtutes examinet, sed etiam vitiis, & erroribus conspurcatum. Quamobrem si Deo conjungi velimus, præteritorum, & futurorum habenda est ratio: Præteritorum quidem, ut expientur mala, quæ jam perpetrata sunt: Futurorum verò ut mens nostra, voluntasque ab omnibus erroribus & vitiis expurgentur optimè. Hoc fieri neutiquam potest: Illud verò fiet hac ratione, si pœnas in æternum usque reprobationi destinatas sustineamus. Hæc est vera Philosophandi ratio, quæ nos in desperationem deducit, ut viribus & jure destituti divinam gratiam imploremus. Secreti quidem hæc prima pars est, quam percepisse volunt Arist. cùm moriturus exclamat *Ens entium miserere mei*, & ob hanc deprecationem eum aliqui salvum fore credunt: Ego verò ut nulli salutem detrahere possum, ita nullum quoque propterea salvandum esse judico, si Dei gratiam imploraverit: Deus enim justus necessariò, at misericors non item: Cùm Deus dum severè justitiam exequitur, Deus sit etiam absque misericordia. Quoniam ergo justus quidem absque misericordia potest esse Deus: at verò misericors absque justitia vice versa non est: Ob id ut Divinam exoremus misericordiam aliqua nobis opus est justitia, sed ubinam hæc justitia quæretur? An in nobis, vel alio? Utique seu sit in nobis, seu sit in alio quærenda, duo ad eam justitiam omninò pertinent ac requiruntur, nimirum

ut patiendo ſufficiens pœna luatur: Deinde ut agendo Deo perfectè obediatur. Neutrum in nobis eſt. Nam ſi peccatorum pœnas examines, æterna ſunt & nullo eluibiles tempore: Sin autem dicas hanc aut illam pœnam ſatis eſſe, toto cœlo aberrabis, cùm vinculum noſtræ cum Deo conjunctionis, etiam leviſſimo peccato diſſolvatur. At hoc diſſoluto, æternæ felicitatis hæreditas abrumpitur. Præterea quod ut Deo conjungamur, perfecta requiritur obedientia; quàm hæc à nobis aliena ſit, ſatis intelliget qui perfectarum virtutum naturam agnoverit, in quibus nil vitioſum admittitur. Ubinam ergo juſtitiam exquiremus, cujus adminiculo ad exorandam Dei miſericordiam aditum habeamus? Methodica morborum curatio eſt, ut mali cauſas intueamur, & eis applicentur remedia contraria. Philoſophicis demonſtrationibus aliàs docuimus, humanum genus à duobus primis parentibus incœpiſſe, non naturali quidem modo. Sic enim ab aliis, ut nos facti fuiſſent, quibus poſteriores cenſerentur: ſed modo miraculoſo, à prima nimirum cauſa, quæ cùm perfectè bona eſſet, primos ita parentes fecit, ut finem ſuum, adeoque ſibi deſtinatam felicitatem conſequerentur. Unde igitur hoc malum cui obnoxii ſumus in nos irrepſit? Miſeria nobis, imperfectio & mali cujuslibet, peccatique fomes connaſcitur. A noſtris ergo parentibus, malum hoc, hæreditariâ ſorte nanciſcimur. Cùm itaque miſeri ſimus alterius vitio: par eſt ut (ſiquidem aliqua ſalutis ratio ſuppetat) alterius merito bonum amiſſum recuperemus, cùm ex nobis ipſis Divinæ Juſtitiæ ſatisfieri non poſſit. Sed quis ille erit qui tantum promereatur? Num Plato? Num Ariſtoteles? Num Diva Maria? Num Divus Petrus, aut alius ex Sanctis quiſpiam? Ut Deo ſatisfaciat, oportet pœnam luere ſufficientem & perfectam offerre obedientiam. At ſi dicas Platonis meritum, noſtram eſſe juſtitiam, Platonem oportuit ut Divino judicio faceret ſatis, pro ſuis ipſius peccatis æternas luere pœnas, & nihilominus eſſe Deo perfectè obtemperantem: Id ſi potuit (quod falſiſſimum eſt) pro ſe ſolummodò ſatisfecit, nec nobis quicquam fuit promeritus. Eadem eſt aliorum ratio, quicunque à peccatoribus progeniti, hujuſce mali fomitem contraxerunt. Cæterùm quòd malum hoc in omnium gentium familiis animadvertatur, rationi conſentaneum eſt, hujuſce mali ſcaturiginem ad primos referendam eſſe parentes. In nullo igitur

tur homine noſtra nobis quærenda eſt juſtitia: Talis enim ſponſor, aut interceſſor requiritur, qui Deum nunquam offenderit, atque adeò in maledictione natus non ſit, ut ſunt omnes, quos hæc naturalis hominum procreatio ſuſcitavit. Nam ſi quis vel leviſſimè peccaverit, vel fuerit hæreditate natalitiâ reprobus, pro ſe ipſo nequaquam ſatisfacere poterit, multò minùs aliis boni quidpiam promerebitur. Ecquid igitur, an in Angelis, aut Dæmonibus noſtræ ſalutis aditum quæremus? Incerti ſumus: Nam nec ejus rei ratio ſuppetit, nec authoritas Philoſophorum ſatis eſt: Cùm ratione ſalutis via nequeat inveſtigari, deſperandum eſt, aut aliò mens convertenda, ut ex auditu & credendo conſequamur, quod intelligendo non poſſumus. Judæis à primo ſtatim primorum parentum lapſu futurus redemtor Meſſias ille exoptatiſſimus promiſſus eſt, qui totius mundi peccata ſufferret. Hic homo natus eſt, & ſuâ paſſione perfectâque obedientiâ, ſevero Dei judicio, noſtro nomine, ſatisfecit. Verùm ſi homo fuit (inquies) eidem fuit, cui nos, obnoxius condemnationi, ſicque nec perfectè Deo obtemperare potuit, ſibique non alii cuipiam paſſus eſt. Myſterium hîc animadverte: Noſter hic Meſſias non eſt ex naturali hominum ſerie: ſic enim peccatorem naſci oportuiſſet: Sed eum Deus extraordinario modo ſuſcitavit. Nam non ex viri & mulieris copulâ natus eſt noſter Redemtor, qui modus eſt hæreditariæ propagationis. Sed ex Maria virgine ſacroſancto Divinæ majeſtatis lumine (quem Sanctum Spiritum vocamus) illuſtrata conceptus eſt, quo fit ut is homo, Deusque ſit, matris nimirum Mariæ virginis Filius, & Dei Patris altiſſimi. Paſſus hic eſt, mortuusque ſub Pontio Pilato, cùm tamen eſſet naturâ puriſſimus operibusque ſanctiſſimus. Quemadmodum itaque primorum parentum lapſu, vinculum noſtræ cum Deo conjunctionis diſruptum eſt, ſic hujus interceſſoris ſanctiſſimi merito, idem vinculum reſtitutum: Sed eâ ratione tamen ut naturalis hominum propagatio non ob id interrumpatur, ſed ut cœpit ad extremum uſque hominem proceſſura ſit, quò mors in omnem hominem deſcendat, ut omnis homo fiat gratiæ capax, ſiquidem gratia peccatum præſupponit. An verò ſatis eſt, hunc Mediatorem eſſe paſſum, ut omnis homo ſalvetur, cùm non uni magis quàm alteri paſſus ſit? Neutiquam certè ſatis hoc eſt: Sed ut peccatum à noſtris parentibus, in nos transfunditur, dum in

utero materno concipimur: Sic neceſſarium eſt, ut hoc noſtri Mediatoris meritum nobis adaptemus, quæ *ſpiritualis eſt regeneratio* Theologis. Hæc applicatio in hunc modum fit, cùm nos ſcilicet noſtram confitentes miſeriam, certò credimus hunc Mediatorem JESUM CHRISTUM pro nobis eſſe mortuum, ut nobis hac ratione peccata noſtra remitterentur, atque adeò Dei Patris gratiam nacti felicitatem æternam conſequeremur. Hoc itaque ſecretum eſt, quo Deo, nobis reconciliato, conjungimur, quo ſecuram nacti quietem, ſinceraque freti conſcientiâ, & ſpe nunquam deceptura gaudentes hujus vitæ terminum, noſtrique Redemptoris adventum exſpectamus, qui nos in regni ſui palatia deducturus eſt. *Nic. Taurellus.*

Quomodo ea, quæ deſideramus ſcire, aſſequamur.

CAP. II.

UNICA & vera via ad omnia ſecreta eſt, ut recurras ad Deum, omnis boni authorem; & (ſicut Chriſtus docet) Primò *quæras regnum Dei & juſtitiam ejus, & cætera adjicientur vobis.*

2. Item, *Cavete ne corda veſtra graventur crapulâ & ebrietate, & curis hujus vitæ.*

3. Item, *Commendes curas Domino, & ipſe faciet.*

4. Item, *Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, gubernans te in viâ quâ ambulas.*

5. *Et intellectum tibi dabo, & docebo te: in via quam gradieris, oculo meo te regam.*

6. Item, *vos qui mali eſtis, ſcitis dare bona filiis veſtris: quantò magis pater veſter, qui eſt in cœlis, dabit Spiritum ſanctum petentibus.*

7. Item, *Si volueritis facere voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt, verè diſcipuli mei eſtis, & veniemus ad vos, & manſionem apud vos faciemus.*

Septem hæc ſcripturæ loca, ſi de litera ad ſpiritum ſeu in actum deduxeris, errare non poteris, quin deſideratam metam attingas, à ſcopo non aberrabis, & ipſe Deus per Spiritum ſanctum ſuum te docebit utilia & vera: dabit etiam tibi miniſtros Angelos ſuos, tuos comites, doctores & adjutores, ad omne ſecretum mundi. Mandabit & omni creaturæ, ut tibi obediat, ut lætus & gaudens dicas cum Apoſtolis, tibi obedire ſpiritus. Tandem quod maximum eſt, certus eris, nomen tuum ſcriptum eſſe in cœlis.

ALIA

ALIA via eſt, & communior, ut tibi revelentur, etiam te inſcio, ſecreta à Deo vel Spiritibus, quia ſecretum in ſua poteſtate habent, vel per ſomnia, vel per fortes imaginationes, ſeu impreſſiones. Aut ex nativitatis conſtellatione per cœleſtes intelligentias.

TERTIA via eſt improbus labor, quo ſine aliquo Divino Numine nihil magni admiratione dignum aliquis aſſequitur, ſicut dicitur:

Tu nihil invita dicas faciásve Minerva.

Quia omne bonum à Deo, ſolo bono à quo quæ volumus impetrari oportet, in ſpiritu & veritate ac ſimplici corde orando. Concluſio ſecreti ſecretorum eſt, ut ſe quiſque excitet ad orandum pro eo, quod quis deſiderat, & non patietur repulſam. Nam deſpiciat aliquis orationem ſuam: nam à quo petitur Deus & largiri poteſt, & largiri vult, modò agnoſcamus authorem, à quo ſimpliciter petamus deſideria noſtra. Clemens & bonus pater amat filios deſideriorum, ſicut & Danielem, & citiùs exaudit, quàm nos evincere poſſimus duritiem cordis noſtri ad orandum, ſed non vult, ut demus Sanctum canibus, non vult eſſe deſpectum, & contemtum clenidiorum theſauri ſui. Ergo diligenter & ſæpe legas, & relegas has ſequentes regulas, ac vitam omnesque cogitationes tuas inſtituas, atque dirigas ad eas præceptiones, & omnia tibi ex animi tui ſententia cedent in Domino, cui confidis. 1. Qui vult ſecreta ſcire, ſecreta ſecreti ſciat cuſtodire, & revelanda revelet: ſigillanda ſigillet: & ſacrum non det canibus, nec Margaritas projiciat ante porcos. Hanc legem obſerva & aperientur tibi oculi mentis ad intelligenda ſecreta, & audies tibi divinitùs revelari, quicquid animus tuus deſideravit. Habebis etiam promta Angelorum Dei & ſpirituum in natura miniſteria obſequentiora, quàm ullus animus humanus deſiderare poſſit. 2. In omnibus invoca nomen Domini, & ſine invocatione Dei per unigenitum Filium nihil ſuſcipias ad cogitandum vel faciendum. Utere autem ſpiritibus tibi datis ac attributis tanquam miniſtris, ſine temeritate & præſumtione cum debita reverentia erga ſpirituum Dominum, tanquam legatis Dei, & quod reliquum eſt vitæ, pacificè perages ad Dei honorem, & tuam ac proximi utilitatem. 3. Vive tibi & Muſis, multitudinis amicitias

vita : temporis ſis avarus : omnibus beneficus : utere donis tuis : vocationi invigila : verbum Dei nunquam recedat ab ore tuo. 4. Obtempera benè monentibus, fuge procraſtinationem omnem : ad conſtantiam & gravitatem in dictis & factis tuis te aſſuefac : tentationibus tentatoris reſiſte per Verbum Dei : fuge mundana ; cœleſtia quære : non innitaris prudentiæ tuæ, ſed in omnibus ad Deum reſpice, ſecundùm Scripturæ ſententiam. Cùm neſcimus quid facimus, ad te, Deus, elevamus oculos noſtros, & à te expectamus auxilium. Ubi enim humana nos deſtituunt præſidia, ibi Dei affulget auxilium ſecundùm Philonis dictum. 5. Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex omnibus viribus tuis, & proximum ſicut teipſum, & Dominus te cuſtodiet tanquam pupillam oculi ſui, & ab omni malo liberabit, ac te replebit omni ſuo bono, nihilque deſiderabit anima tua, cujus non compos ſis futurus, modò tibi ad ſalutem corporis & animi contulerit. 6. Quicquid didiceris, frequenter repete, & menti tuæ infige, & multum diſcas non multa : quia animus humanus non poteſt omnibus par eſſe, niſi divinitùs quis regeneratus ſit. Huic nihil eſt tam arduum, aut tam multiplex, cui par eſſe non poſſit. 7. Invoca me in die tribulationis, & exaudiam te, & honorificabis me, dicit Dominus. Omnis autem ignorantia eſt tribulatio animi : Invocato ergo in ignorantia tua Dominum, &exaudiet te : & memento, ut honorem tribuas Deo ac dicas cum Pſalmiſta : *Non nobis, Domine, non nobis : ſed Nomini tuo da gloriam. Ex Magia veterum.*

Ut boni Dæmones nobis concilientur.

CAP. III.

INEXPLETUS eſt hominum animus, utpote qui non ſit iis contentus, quæ natura, Deusque conceſſerunt: Magicis enim artibus Dæmones in auxilium convocantur, ut & prædictione rerum abſtruſarum, & edendis miraculis humanæ libidini ſatisfiat. Duplices autem fecerunt magi Dæmones, proprios nimirum, & communes. Proprii ſunt qui nobis ab ortu primo aſſiſtunt, geniosque nuncupant, quaſi congenitos. Horum triplex quoque genus conſtituitur : Alius enim ſacer eſt, qui vitæ hujus actiones ad omne bonum dirigit : Alius eſt genituræ, qui propriè genius appellatur : Tertius autem profeſſionis eſt, de quibus copiosè *Cornelius Agrip-*

Agrippa. Hi ſunt vitæ cuſtodes, & actionum directores, qui non alliciuntur quidem, utpote qui jam nobis adſint: ſed vitæ ſanctimoniâ, puritate cordis, & ſedulitate conſervantur, & ad auxilium excitantur. Genituræ Dæmones, & profeſſionis & in fluctibus cœleſtibus prodire volunt Aſtronomi, quo fit, ut ex erectis nativitatib. quid unicuique ſit expectandum, prædicere nitantur. Dæmones autem qui ſunt extra nos, magi variis rationibus alliciunt, ut voti participes fiant: Diſcrimine tamen duplici, cùm Dæmonum alii boni ſint, alii verò mali. Ut hinc aliam velint licitam eſſe magiam, aliam verò illicitam; Hanc quidem, cùm mali Dæmones circulis, aut aliâ ratione conjurantur, ut Magis obtemperare cogantur. At illam, cùm mali Dæmones verbo divino, vel exorciſmis propelluntur, vel cùm boni Dæmones inventis eorum nominibus arte calculatoriâ, & aſtronomica ex diſpoſitione corporum cœleſtium, characteribus & ſignaculis, vel etiam ſacris obteſtationibus alliciuntur. Præclara nempe res hæc eſt, niſi ſuperſtitione plena ſit, impoſturis, & impietate. Quoniam verò Magi complures ſe bonos ſpiritus habere gloriantur, res hæc diligenter obſervanda eſt, an boni vel mali ſint, ne dum ad hoſce magos confugimus, Cacodæmonis auxilium imploremus, quæ prima via eſt ad perditionem. In eos enim Diabolus poteſtatem habet, qui licitis, & à Deo traditis mediis contemtis, ad eum confugiunt. Hi nebulones (Magos intelligo) miſerrimas aniculas perſequuntur, & plures tamen animas perdunt, quàm Sagæ corpora. Sit ergo ſincera vitæ puritas, & inculpata fides hominis ſpiritum familiarem habentis, & miracula exercentis primum certumque boni ſpiritûs indicium, qualis fuit Moſi, Heliæ, Eliſæi, Petri & aliorum Apoſtolorum, licèt ſingularis Dei virtus appellari debeat potiùs, quàm ſpiritus. Ex impia verò vita, vel hypocritica contrarium intelligatur: Hypocriticam dixi, Sæpè ſiquidem ſe Diabolus in Angelum lucis transformat, ut homines hac ratione decipiantur. Alia quoque via eſt Spirituum dignoſcendorum. Nam boni Spiritus nequaquam mediis accommodant, ut vel vitris includantur, vel characteribus, aut circulationibus utendum ſit. Tales enim ceremoniæ pacti ſigna ſunt, quod icit dæmon cum circulatore: Boni verò ſpiritus non paciſcuntur. Nullum ergo bonum ſpiritum in Magis agnoſcimus: Boni ſiquidem ſpiritus ſolo Dei juſſu reguntur, nec characteribus, ſigna-

culis, nominibúſve moveantur phantaſticis, ut ſeſe cuiquam adjungant, & ad explendam ejus libidinem miracula exerceant ſuperatis naturæ limitibus. *Nic. Taurellus.*

Ut vinciantur Mali ſpiritus. CAP. IV.

CUM itaque ratio nulla ſit, ut bonos ſpiritus arbitrio noſtro ſubmittamus, cum malis paciſcendum eſt, & quia non poſſumus ſuperos, Archeronta movebimus. Ars certè magica facili negotio addiſcitur. Nam ſi te Diabolus animadvertat ejus deſiderio teneri, ſubitò edocebit. Sunt autem varia magicæ artis inſtrumenta, quibus ſeſe Diabolus accommodat, ut circulus, varii characteres, nomina, plantæ, radices, unguenta, vitra, annuli, miſſa quoque & alia hujuſmodi. Decipitur his leve hominum vulgus, ut hiſce rebus exiſtiment, divinas ineſſe vires, cùm tamen nihil minùs poſſint. Diabolus enim (ut probè *Vvierus* aſſerit) nullis creaturis, nominibus, aut ſignis uſque adeò delectatur, ut ceu canis oblato pane allici poſſit, nec ullâ re tantopere offenditur, ut fugiendum ſit; Sed characteribus, & ſignis, literis, nominibus, imprecationi & aliis ſimilibus, ut etiam herbis & radicibus hæc vis per accidens ineſt, ut ſpiritus evocari vel cogi poſſint, hoc eſt, quia ſe volunt hac ratione ligari, ut multas animas ligent, captivasque ducant.

Apparatus ad artem Magicam diſcendam eſt ſeptuplex. CAP. V.

PRIMUS eſt, ut diu noctuque cogitet, quomodo in veram Dei notitiam adſcendat, tum per Verbum revelatum inde uſque à Mundo condito; tum per ſcalam creationis, & creaturarum; tum per mirabiles effectiones, quas exhibent viſibiles & inviſibiles Dei creaturæ. Secundò requiritur, ut homo in ſeipſum deſcendat, ſeſequemet optimè noviſſe ſtudeat, quid mortale in ſe habeat, quid immortale, quidque cujuſque partis ſui proprium ſit, quid diverſum. Tertiò, ut diſcat per immortalem ſui partem æternum Deum colere, amare, & timere, atque in ſpiritu & veritate adorare: cum mortali verò ſui parte ea facere, quæ ſciverit Deo grata eſſe, & proximo utilia. Hæc ſunt tria ſumma & prima Magiæ præcepta, quibus quiſque ſe paraverit ad veram ſeu divinam ſapientiam concupiſcendam & aſſe-

& aſſequendam, ut dignus habeatur, cui Angelicæ creaturæ inſerviant, non tantùm occultè, ſed etiam manifeſtè, & de facie ad faciem. Quartò cùm ab utero matris quilibet ad certum genus vitæ vocetur invigilandum, ut quilibet pernoſcat, an ad Magiam natus ſit, & ad quam ejus ſpeciem. Quod quivis percipiet, qui hæc noſtra legens, facilè perceperit, & experiundo ſe ſucceſſus habere ſenſerit. Nam non niſi parvulis & humilibus talia & tanta dantur dona. Quintò advertendum, num circa ſe manifeſtè aſſiſtentes ſentiat ſpiritus in maximis negotiis ſuſcipiendis. Quòd ſi tales ſenſerit, manifeſtum, quod ex Dei ordinatione fiat Magus, hoc eſt, talis perſona quæ miniſterio ſpirituum utatur ad præclaras res efficiendas. Hic utplurimum peccatur, vel negligentiâ vel inſcitiâ, vel contemtu, vel etiam nimiâ ſuperſtitione; peccatur etiam ingratitudine erga Deum, quâ clariſſimi plerique viri, ſibi poſtea exitium attraxerunt: peccatur & temeritate ac pervicaciâ: ac tandem etiam, quando dona Dei non eo in honore habentur, quo requiritur & parergis præferuntur. Sextò, fide & taciturnitate opus eſt futuro mago, maximè ut nihil proferat ſecretum, quæ à ſpiritu ſibi interdicuntur, ſicut Danieli mandatur. Sigillanda quædam, hoc eſt, non proferenda in publicum. Sic neque Paulo liberum erat, quæ viderat in revelatione, ut propagaret. Nemo crediderit quantum in hoc unico præceptum ſitum ſit. Septimò requiritur juſtitia ſumma in futuro mago, hoc eſt, ut nihil impium, iniquum, injuſtum ſuſcipiat, imò ne in animum quidem admittat, & ſic defendetur divinitùs ab omni malo. Porrò cùm circa ſe ſenſerit aliquid incorporeum agens, vel exteriori aliquo ſenſu, vel interiori, ſe deinde ſecundùm ſeptem ſubſequentes leges gubernet ad magicum conſequendum finem. Prima hæc eſto lex, ut ſciat à Deo ordinatum ſibi talem ſpiritum, ac cogitet, ſe habere inſpectorem ſuarum actionum & cogitationum omnium: Ideò omnem vitam ſuam ad ordinem perſcriptum in verbo Dei dirigat.

Secundò ſemper cum Davide oret: Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me & ſpiritu principali confirma me. *Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Ne des quæſo Pater cœleſtis poteſtatem ſpiritui mendaci, quemadmodum dediſti ſuper Achab, ut periret, ſed cuſtodi me in veritate tua*, Amen. Tertiò aſſuefaciat ſe ad probandos ſpiritus,

tus, ſicut Scriptura monet: nam de ſpinis non leguntur uvæ. Omnia probemus, quod bonum & laudabile eſt apprehendamus, quod repugnat voluntati divinæ, fugiamus. Quartum eſt, ut ſimus remotiſſimi ab omni ſuperſtitione. Eſt autem ſuperſtitio hoc in loco, tribuere divinitatem rebus, in quibus nihil eſt divini: aut etiam electo à nobis cultu ſine mandato Dei velle Deum colere: quales ſunt omnes ceremoniæ magicæ ſathanæ, qui impudenter ſe tanquam Deum coli vult. Quintò fugienda eſt idololatria, quæ ſuo proprio motu potentiam divinam alligat idolis, aut aliis rebus, ubi non ſunt à Creatore vel naturæ ordine poſitæ, qualia multa Cacomagi effingunt. Sextò fugienda etiam inſidioſa Diaboli Cacozylia, quâ imitatur creationis & Creatoris potentiam, ut verbo res producat, quæ non ſunt ut ſint, quod eſt ſolummodo omnipotentis Dei, & creaturæ incommunicabile. Septimò inhærendum donis Dei, & Sancti Spiritûs, ut ea diligenter cognoſcamus & excolamus toto pectore, & omnibus viribus noſtris. *Ex Magia veterum.*

DE MAGIA IN GENERE.

CAP. VI.

MULTÆ quidem ſunt rationes, quibus Magi Dæmones alliciunt, ut tamen eas paucis contraheremus, ea quæ *Cornelius Agrippa* de Magiæ ſpeciebus in ſua declamatione de Vanitate Scientiarum, & excellentia verbi Dei conſcripſit, huc referenda eſſe duximus. Exigit etiam hic locus (*inquit*) ut de Magis dicamus: Nam & ipſa cum Aſtrologia ſic conjuncta, & cognata eſt, ut qui Magiam abſque Aſtronomia profiteatur, is nihil agat, ſed totâ aberret viâ. *Suidas* Magiam à Maguſæis & nomen & originem traxiſſe putat. Communis opinio eſt, nomen eſſe Perſicum, cui adſtipulantur *Porphyrius*, & *Apulejus*, & ſignificare eorum linguâ idem, quod Sacerdotem, Sapientem, ſive Philoſophum. Magis itaque omnem Philoſophiam, Phyſicam & Mathematicam complexa etiam vires Religionum illis adjungit. Hinc & Goetiam, & Theurgiam in ſe quoque continet. Qua de cauſa Magiam plerique bivariam dividunt, in *Naturalem* videlicet, & *Ceremonialem. Agrippa.*

DE

DE MAGIA NATURALI.

CAP. VII.

NATURALEM Magiam non aliud putant quàm naturalium ſcientiarum ſummam poteſtatem; quam idcircò ſummum Philoſophiæ naturalis apicem, ejuſque abſolutiſſimam conſummationem vocant, & quæ ſit activa portio ſcientiæ naturalis, quæ naturalium virtutum adminiculo, ex mutua earum & opportuna applicatione opera edit ſupra omnem admirationis captum: Quâ magiâ Æthiopes maximè, & Indi utebantur, ubi herbarum & lapidum, cæterorumque ad id ſpectantium facultas ſuppetebat. Ejus meminiſſe volunt Hieronymum ad Paulinum, ubi ait, Apollonium Tyanæum fuiſſe Magum ſeu Philoſophum ut Pythagorici. Ejus etiam generis fuiſſe Magos, qui Chriſtum natum muneribus inviſentes adoraverunt, quos Evangeliorum interpretes exponunt Chaldæorum Philoſophos: Quales fuerunt *Hiarchas* apud Bragmanas, *Teſpion* apud Gymnoſophiſtas, *Budda* apud Babylonios, *Numa Pompilius* apud Romanos, *Zamolxides* apud Thraces, *Abbaris* apud Hyperboreos, *Hermes* apud Ægyptios, *Zoroaſtes* Oromaſi filius apud Perſas. Nam Indi, Æthiopes, & Chaldæi, & Perſæ hac maximè præcelluêre Magiâ. Quâ idcirco (ut narrat Plato in Alcibiade) imbuuntur Perſarum regum filii, ut ad mundanæ Reipubl. imaginem, ſuam & ipſi Rempublicam adminiſtrare, diſtribuereque condiſcant: Et *Cic. in Divinationum libris ait*, neminem apud Perſas regno potiri, qui priùs Magiam non didicerit. Magia itaque naturalis ea eſt, quæ rerum omnium naturalium, atque cœleſtium vires contemplata, earumque ſympathiam curiosâ indagine ſcrutata, reconditas ac latentes in natura poteſtates ita in apertum producit: Inferiora ſuperiorum dotibus, tanquam quaſdam illecebras ſic copulans, per eorum mutuam applicationem ad invicem, ut exinde ſtupenda exurgant miracula, non tam arte quàm naturâ, cui ſe ars ita miniſtram exhibet hæc operanti. Nam Magi naturæ accuratiſſimi exploratores, conducentes ea, quæ naturâ præparata ſunt, applicando activa paſſivis, ſæpiſſimè ante tempus à natura ordinarum effectus producunt, quæ vulgus putat miracula, cùm tamen naturalia opera ſint, interveniente ſola temporis prævention:

tione: ut ſi quis in menſe Martio Roſas producat, & maturas Uvas, aut ſatas Fabas, vel Petroſelinum intra paucas horas excreſcere faciat in perfectam plantam, & iis majora, ut nubes, pluvias, tonitrua, & diviſorum generum animalia, & rerum tranſmutationes quàm plurimas, cujusmodi multas feciſſe ſe jactat *Rogerius Bachon*, pura, & naturali magia. Scripſerunt de illius operibus Zoroaſter, Hermes, Evanthes rex Arabum, Zacharias Babylonius, Joſeph Hebræus, Bocus, Aron, Zenotenus, Kirannides, Almadal, Thetel, Alcindus, Abel, Ptolomæus, Geber, Zahel, Naxabarub, Tebith, Berith, Salomon, Aſtaphon, Hipparchus, Alcmæon, Appollonius, Triphon & plerique alii, quorum aliqua opera adhuc integra, & pleraque fragmenta, adhuc extantia, ad manus meas aliquando pervenerunt. Ex recentioribus verò ſcripſerunt in naturali magia pauci, & illi quidem pauca, ut Albertus, Arnoldus de Villanova, Raimundus Lullius, Bachon, & Apponus, & author libri ad Alphonſum, ſub peccatricis nomine editus, qui tamen unà cum naturali magia, plurimum ſuperſtitionis admiſcet: quod quidem fecerunt & alii. *Idem.*

DE MAGIA MATHEMATICA.

CAP. IIX.

SUNT præterea alii naturâ ſagaciſſimi æmulatores, inquiſitoresque audaciſſimi, qui abſque naturalibus virtutibus, ex ſolis mathematicis diſciplinis, adſcitis cœlorum influxibus ſeſe naturæ operum ſimilia producere poſſe pollicentur, ut corpora euntia vel loquentia, quæ tamen non habeant virtutes animales: Qualis fuit columba Architæ lignea, quæ volabat; & ſtatuæ Mercurii, quæ loquebantur; caput æneum ab Alberto Magno fabricatum, quod locutum perhibent. Excelluit in iis Boëtius, vir maximi ingenii, & multiplicis eruditionis, ad quem de iſtiuſmodi ſcribens Caſſiodorus: Tibi (*inquit*) ardua cognoſcere, & miracula monſtrare propoſitum eſt: tuæ artis ingenio metalla mugiunt, Diomedes in arce gravius buccinatur, æneus anguis inſibilat, aves ſimulatæ ſunt, & quæ vocem propriam neſciunt habere, dulcedinem cantilenæ probantur emittere: Parva de illo inferimus, cui cœlum imitari fas eſt. De iſtis puto artificiis dictum eſt, quod apud Platonem legimus in undecimo de Legibus: Ars data eſt mortali-

talibus, quo res posteriores quasdam progenerarent, non quidem veritatis, & divinitatis participes, sed simulacra quædam sibiipsis cognata deducerent, atque eousque progressi sunt Magi, homines audacissimi omnia perpetrare, favente maximè antiquo illo, & valido serpente scientiarum pollicitatore, ut similes illi tanquam simiæ Deum, & naturam æmulari conarentur. *Idem.*

DE MAGIA VENEFICA.

CAP. IX.

EST præterea naturalis Magiæ species, quam veneficam sive pharmaciam vocant, quæ Poculis, Philtris, variisque Veneficiorum medicamentis perficitur: cujusmodi Democritus confeciſſe legitur, quo boni, felicesque filii gignantur: Et aliud quo avium voces ritè intelligamus, sicut de Appollonio narrant *Philostratus*, atque *Porphyrius*: *Vergilius* etiam de quibusdam Herbis ponticis locutus dixit:

His ego sæpè lupum fieri & se condere sylvis
Mœrim, sæpè animas imis exire sepulchris,
Atque satas alio vidi traducere messes.

Et *Plinius* narrat, quendam Demarchum parasitum in sacrificio, quod Arcades Jovi Lycæo humana hostia faciebant, immolati pueri exta degustasse, & in lupum se convertisse: propter quam hominum in lupos immutationem, putat Augustinus Pani Lycæo, & Jovi Lycæo nomen fuisse impositum. Narrat idem Augustinus, dum esset in Italia, quasdam fœminas magas, Circes instar, dato viatoribus veneficio in caseo, eos in jumenta vertisse: cumque portassent, quæ placuissent onera, rursus in homines restituisse, idque patri cuidam Præstantio tunc accidisse. Sed & ne quis hæc putet omnino deliramenta esse, & impossibilia, is recordetur quomodo S. literæ narrant, Nabuchodonosorem regem, mutatum in bovem, & septem annis fœno vixisse, tandem Dei misericordiâ in hominem rediisse: cujus corpus post mortem illius filius Evilmerodat in escam dedit vulturibus, ne quando resurgeret à mortuis, qui jam de bestia redierat in hominem: Ejusmodi plura de Magis Pharaonis narrat Exodus. Verùm de iis sive magis sive veneficis loquitur sapiens, dum dicit: Exhorruisti illos Deus, quia terribilia opera tibi faciebant per medi-

medicamina. Illud præterea vos ſcire volo, non ſolùm naturalia ſcrutari hos Magos, verùm etiam ea, quæ naturam comitantur, ac quodammodo exuunt, ut motus, numeros, figuras, ſonos, voces, concentus, lumina, & animi affectus, atque verba. Sic Pſylli, & Marſi convocabant ſerpentes, alii aliis deprimentes fugabant: Sic Orpheus Argonautarum tempeſtatem hymno compeſcuit: Et Homerus narrat, Ulyſſi ſanguinem verbis reſtrictum. Et in lege duodecim tabularum iis, qui meſſes excantaſſent, pœna conſtituta eſt, ut non dubium ſit, Magos etiam ſolis verbis, & affectibus, aliisque ſimilibus, non in ſe ipſos modò, ſed etiam in res extraneas ſæpe mirum aliquem producere effectum, quæ omnia non ſecus vim inſitam in res alias profundere, illasque ad ſe trahere, vel abs ſe propellere, ſeu alio quovis modo afficere putant, quàm Magnes ferrum, & Succinum paleas attrahunt: ſive Adamas, & Allium Magnetem ligant, ſicque per hanc rerum gradariam, ac concatenatam ſibi ſympathiam, non ſolùm dona naturalia, & cœleſtia, ſed etiam intellectualia & divina Jamblichus, Proclus atque Syneſius, ex Magorum ſententia, deſuper ſuſcipi poſſe confirmant: quod Proclus in lib. de Sacrificio, & Magis fatetur, ſcilicet per hujuſcemodi rerum conſenſum Magos etiam numina evocare ſolitos. Ad tantam enim eorum quidam devoluti ſunt inſaniam, ut ex diverſis ſtellarum conſtellationibus, per temporum intervalla, & quadam proportionum ratione ritè obſervatis, conſtructam imaginem cœlitum nutu vitæ intellectusque ſpiritum accepturam putent, quo conſulentibus illam reſpondeat, & occultæ veritatis arcana revelet. Hinc patet, hanc naturalem Magiam nonnunquam in Goetiam, & Theurgiam fuiſſe reclinatam, & ſæpiſſimè malorum Dæmonum vaframentis, erroribusque homines obretiri. *Idem.*

DE GOETIA NECROMANTICA.

CAP. X.

CEREMONIALIS autem Magiæ ſpecies ſunt *Goetia* atque *Theurgia.* Goetica, immundorum ſpirituum commerciis inauſpicata, nefariæ curioſitatis ritibus, illicitis carminibus, deprecamentis concinnata, omnium legum placitis eſt exterminata, & execrata. Hujus generis

neris ſunt, quos Necromanticos & Maleficos hodie nuncupamus.

Gens inviſa Deis, maculandi callida cœli,
Quos genuit natura mali, qui ſidera mundi,
Juraque fixarum poſſunt pervertere rerum.
Nam nunc ſtare polos, & flumina mittere norunt,
Æthera ſub terras adigunt, montesque revellunt.

Hi ſunt ergo, qui defunctorum inclamant animas, & illi, quos veteres dicebant *Epodor*, qui excantant pueros, & in eloquium oraculi eliciunt, & qui Dæmones paredros circumferunt, quale quiddam de Socrate legimus, & qui ut dicitur, ſpiritus paſcunt in vitro, per quos ſe prophetare mentiuntur. Et hi omnes bivariam procedunt. Nam alii Dæmones malos quadam virtute maximè divinorum nominum adjuratos, advocare & cogere ſtudent: quippe cùm omnis creatura timet, & reveretur nomen illius, qui fecit eam, non mirum ſi Goetici, quique etiam infideles, pagani, Judæi, Sarraceni, & cujuscunque prophani collegii, ſive ſectæ homines, Divini nominis invocatione Dæmones adſtringant: Alii autem nefandiſſimi, deteſtando, omnibus ignibus plectendo ſcelere, ſe Dæmonibus ſubmittentes illis ſacrificant, & adorant, idololatræ & viliſſimæ dejectionis rei effecti ſunt: quibus criminibus etſi priores non ſunt obnoxii, tamen manifeſtis periculis ſe exponunt: Nam etiam coacti Dæmones invigilant, quò errantes nos decipiant. Ex horum verò Goeticorum anagyri, profluxerunt omnes iſti tenebrarum Libri, quos improbatæ lectionis Ulpianus Jurisconſultus appellat, protinusque corrumpendos eſſe ſtatuit. Cujuſmodi primus excogitaſſe dicitur Zabulus quidam, illicitis artibus deditus: deinde Barnabas quidam Cyprius: Et hodie adhuc circumferuntur confictis titulis libri, ſub nominibus Adæ, Abelis, Enoch, Abrahæ, Salomonis: item Pauli, Honorii, Cypriani, Alberti, Thomæ, Hieronymi, & Eboracenſis cujusdam, quorum nugas ſtultè ſecuti ſunt Alphonſus rex Caſtiliæ, Robertus Anglicus, Bachon, & Apponus, & plerique alii deplorati ingenii homines. Præterea non homines modò & ſanctos, & patriarchas, & angelos Dei tam execrabilium dogmatum fecerunt authores: ſed & libros à Raziele, Raphaele, Adami, & Tobiæ angelis conſcriptos oſtentant: qui libri tamen acutius inſpi-

cienti ſuorum præceptorum canonem, ritum, conſuetudinem, verborum, & characterum genus, extructionis ordinem, inſulſam phraſin, apertè ſeſe produnt, non niſi meras nugas, ac impoſturas continere ac poſterioribus temporibus ab omnibus antiquæ Magiæ ignaris, perditiſſimis perditionum artificibus eſſe conflatos, ex prophanis quibusdam obſervationibus noſtræ religionis cæremoniis admixtis, inſitisque multis ignotis nominibus & ſignaculis ut perterreant rudes, & ſimplices, & ſtupori ſint inſenſatis, & his qui neſciunt bonas literas. Neque tamen propterea patet has artes eſſe fabulas. Nam niſi reverâ eſſent, atque per illas multa mira ac noxia fierent, non tam arcta de illis ſtatuiſſent divinæ & humanæ leges, eas exterminandas eſſe de terra. Cur autem Goetici iſtis ſolis malis utantur Dæmonibus, ea ratio eſt; quia boni Angeli difficile comparent, quia Dei juſſum exſpectant, nec niſi mundis corde, & vitâ ſanctis hominibus congrediuntur: mali autem faciles ſe exhibent ad invocandum, falsò faventes, divinitatem mentientes, ſemper præſto, ut aſtu ſuo decipiant, ut venerentur, ut adorentur: Et quia mulieres ſecretorum ſunt avidiores, ac minus cautæ, atque in ſuperſtitionem proclives, faciliusque illuduntur, ideò illis ſe præbent faciliores, faciuntque ingentia prodigia: cujusmodi de Circe, Medea, & de aliis canunt Poëtæ: teſtantur Plinius, Cicero, Seneca, Auguſtinus, & multi alii, tum Philoſophi, tum Catholici Doctores, & Hiſtorici: ipſæ etiam Sacræ Literæ. Nam in libris Regum legimus, Pythoniſſam mulierem, quæ erat in Endor, evocaſſe animam Samuelis Prophetæ, ſeu malignum ſpiritum, qui illius ſumſerit imaginem. Tamen Hebræorum Magiſtri dicunt, quod etiam Auguſtinus ad Simplicianum fieri poſſe non negat, quia fuerit vetus ſpiritus Samuelis, qui ante completum annum diſceſſu ex corpore facilè evocari potuit, prout docent Goetici. Quinetiam Magi necromantici, illud naturalibus quibuſdam viribus, ac vinculis fieri poſſe autumant, ſicut nos in libris noſtris de Occulta Philoſophia tractamus. Ideoque antiqui Patres, rerum ſpiritualium periti, non ſine cauſa ordinaverunt, ut corpora mortuorum ſepelirentur in loco ſacro, & luminibus ſocientur, aquâ aſpergantur, thure & incenſo ſuffumigentur, & expientur orationibus, quouſque ſuper terram extiterint. Nam ut ajunt Magiſtri Hebræorum, omne corpus noſtrum, & carnale

nale animal, & quicquid in nobis ſuper materia carnis malè diſpoſita innititur, relinquitur in cibum ſerpenti, & ut ipſi vocant Azazeli, qui eſt dominus carnis, & ſanguinis, & princeps hujus mundi, & vocatur in Levitico princeps deſertorum, cui dictum eſt in Geneſi: *Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.* Et in Eſaja: *Pulvis panis tuus*, hoc eſt, corpus noſtrum creatum ex pulvere terræ, quamdiu non fuerit ſanctificatum & tranſmutatum in melius, ut non amplius ſerpentis, ſed Dei ſit effectum, videlicet ex carnali ſpirituale, juxta verbum Pauli dicentis: *Seminatur quod animale eſt, & reſurget quod ſpirituale eſt.* Et alibi: *Omnes immutabuntur*, quia multi remanſuri ſunt in perpetuum cibum ſerpentis. Hanc itaque turpem, & horridam carnis materiam, ac ſerpentis cibum morte deponimus, illam aliquando in meliorem ſortem, & ſpiritualem tranſmutatam aſſumturi, quod erit in reſurrectione mortuorum. Et jam factum eſt in his, qui primitias reſurrectionis deguſtarunt, & multi hoc ipſum virtute defici ſpiritus in hac vita conſecuti ſunt, Enoch, & Helias, & Moyſes, quorum corpora tranſmutata in naturam ſpiritualem non viderunt corruptionem, nec ſicut cætera cadavera poteſtati ſerpentis relicta ſunt. Atque hæc eſt illa diſceptatio diaboli cum Michaële de corpore Moyſi, cujus meminit in epiſtola ſua Judas. Sed de Goetia, & Necromantia hæc ſatis.

DE THEURGIA. CAP. XI.

THEURGIAM verò plerique putant haud illicitam, quaſi hæc bonis Angelis, divinoque Numine regatur: Cùm ſæpiſſimè tamen ſub Dei, & Angelorum nominibus malis Dæmonum fallaciis obſtringatur: Non ſolùm ſiquidem naturalibus viribus, ſed etiam certis ritibus, & Ceremoniis cœleſtes, & per illas divinas virtutes nobis conciliamus, & attrahimus: de quibus multis regulis antiqui Magi editis voluminibus pertractant. Omnium autem ceremoniarum pars maxima, in munditia ſecunda conſiſtit: primùm quidem animi, deinde etiam corporis & eorum quæ circa corpus ſunt, ut in cute, in veſtibus, in habitaculis, in vaſis, in utenſilibus, oblationibus, hoſtiis, ſacrificiis, quorum munditia ad divinorum conſuetudinem, & contuitum diſponit, & in ſacris ſummopere efflagitatur juxta verba Eſajæ, *Lavamini & mundi eſtote, & auferte*

auferte malum cogitationum veſtrarum. Immunditia verò quia aërem frequenter, & hominem inficit, mundiſſimum illum cœleſtium, & divinorum influxum diſturbat, & mundos Dei ſpiritus fugat. Verùm nonnunquam immundi ſpiritus, & deceptrices poteſtates, ut venerentur, & adorentur pro Diis, etiam hanc munditiam requirunt. Ideò hic maximâ opus eſt cautelâ, de quibus latè in libris noſtris de occulta Philoſophia diſſeruimus. Verùm de hac Theurgia, ſive divinorum magia plura diſputans Porphyrius, tandem concludit, Theurgicis conſecrationibus poſſe quidem animam hominis idoneam reddi, ad ſuſceptionem ſpirituum, & angelorum, ad videndos Deos: reditum verò ad Deum hac arte præſtari poſſe inficiatur omnino. Ejus itaque ſcholæ ſunt, ars Almadel, ars notoria, ars Paulina, ars revelationum, & ejuſmodi ſuperſtitionum plura, quæ eò ipſo ſunt pernicioſiora, quò apparent imperitis diviniora. *C. Agrippa.*

DE CABALA.

CAP. XII.

VERUM occurrunt hic mihi verba Plinii, qui, Eſt & alia (*inquit*) Magices factio, à Moyſe etiamnum, & Latopæa Judæis pendens: quæ verba me de Cabala Judæorum commonefaciunt, quam in monte Sina à Deo ipſo Moyſi datam penes Hebræos conſtans opinio eſt: ac deinceps ſucceſſionum gradus citra literarum monumenta, uſque in Eſræ tempora poſterioribus ſolâ vivâ voce tradita, quemadmodum Pythagorica dogmata olim ab Archippo & Lyſiade, qui in Græcia Thebis Scholas habuerunt, tradebantur, in quibus diſcipuli memoriter doctorum præcepta tenentes, ingenio & memoriâ pro libris utebantur: Sic & Judæi quidam literas aſpernati, in memoria & obſervatione, ac vocali traditione hanc collocarunt: Unde *Cabala* ab Hebræis, quaſi ſolo auditu unius ab altero receptio nuncupata eſt. Ars (ut fertur) pervetuſta, nomen autem non niſi recentibus temporibus Chriſtianis cognitum. Ejus verò duplicem tradunt ſcientiam, unam de Breſſili, quam & Coſmologiam appellant, videlicet rerum, creaturarum naturalium, & cœleſtium vires explicantem, & legis bibliæque arcana Philoſophicis rationibus exponentem: quæ profectò hac ratione nihil differt

differt à Magia naturali, in qua Salomonem regem præſtitiſſe credimus. Legitur namque in ſacris Hebræorum hiſtoriis, illum diſputare ſolitum à cedro Libani uſque ad Hyſſopum : item de jumentis, volucribus, reptilibus, & piſcibus, quæ omnia magicas quaſdam naturæ vires præ ſe ferre poſſunt. Ipſe quoque inter poſteriores Moyſes Ægyptius, in expoſitionibus ſuis ſuper Pentateuchum, & plures Thalmudiſtæ, hanc inſecuti ſunt. Alteram verò ejus ſcientiam vocant de *Mercava*, quæ eſt de ſublimioribus divinarum, angelicarumque virtutum, ſacrorum nominum, & ſignaculorum contemplationibus : quædam quaſi ſymbolica Theologia, in qua literæ, numeri, figuræ, res & nomina, & elementorum apices, ac lineæ, puncta & accentus, omnia ſunt profundiſſimarum rerum, & magnorum arcanorum ſignificativa. Hanc rurſus bivariam ſecant : In *Arithmeticam* videlicet, quæ *Notariacon* vocatur, de Angelicis virtutibus, nominibus, ſignaculis, etiam Dæmonum ac animarum conditionibus tractans : atque in *Theomantiam*, quæ divinæ majeſtatis myſteria, emanationes, ſacraque nomina, & pientacula ſcrutatur : quam qui novit, hunc ajunt admirandis pollere virtutibus, ita quod dum velit, futura omnia præſciat, toti naturæ imperet, in Dæmones, Angelos jus habeat, & miracula faciat. Hac putant Moyſen tot ſigna edidiſſe : virgas in colubrum, aquas in ſanguinem vertiſſe, ranas, muſcas, pediculos, phantaſtas, bruchos, ignem cum grandine, veſicas, & tabes Ægyptiis immiſiſſe : primogenitum omne ab homine uſque ad pecus interemiſſe : ſuosque deducentem mare aperuiſſe, fontem de petra, coturnices de cœlo produxiſſe : aquas amaras dulcorâſſe : fulgura, & nubes per diem, columnam ignis per noctem ſuis præmiſiſſe : vocem Dei viventis ad populum è cœlis devocâſſe : arrogantes, murmurantes leprâ percuſſiſſe : malè merentes ſubitâ ſtrage, alios terræ hiatu abſorptos affeciſſe : populum cœleſti cibo paviſſe : Serpentes placâſſe : venenatos curâſſe : numeroſam turbam ab infirmitate, veſtes eorum à corroſione conſervâſſe : & hoſtium victricem reddidiſſe. Hac denique miraculorum arte & Joſue ſtare Solem præcepiſſe : Heliam ignem in adverſarios è cœlo devocâſſe, puerum mortuum vitæ reſtituiſſe : Danielem Leonum ora perſtrinxiſſe : tres in camino æſtuantis incendii carmina luſiſſe. Porro hac arte aſtruunt perfidi Judæi etiam Chriſtum

tam admiranda ſæpe feciſſe. Salomonem quoque hanc percalluiſſe, atque ex ea artem contra Dæmones, eorum denique vincula, & conjurationum modos, ac contra morbos excantamenta tradidiſſe, ut author eſt Joſephus. Verùm ego Deum Moyſi, cæteriſque Prophetis multa, quæ continentur ſub cortice Verborum legis, prophano vulgo non communicanda myſteria retexiſſe, ut non dubito, ſi hanc quam jactant Hebræi Cabalæ artem, quam ego multo labore aliquando ſcrutatus ſum, non niſi meram ſuperſtitionis rapſodiam, ac Theurgicam quandam Magiam agnoſco: quòd ſi (ut Judæi jactant) à Deo profecta, ad vitæ perfectionem, ad hominum ſalutem, ad Dei cultum, ad intelligentiæ veritatem conduceret, profectò ſpiritus ille veritatis, qui repudiatâ ſynagogâ venit nos docere omnem veritatem, hanc uſque in hæc poſtrema tempora, ſuam non celaſſet Eccleſiam: quæ profectò omnia novit quæ ſunt Dei, cujus benedictio baptiſmus, cæteraque ſalutis ſacramenta revelata ac perfecta ſunt in omni lingua. Uniuscujusque enim linguæ par eſt, & eadem virtus, modò par ſit, & eadem pietas: Nec eſt aliud nomen in cœlis, nec in terra, in quo oporteat nos ſalvos fieri, præter unum nomen JESU, in quo recapitulantur & continentur omnia. Hinc Judæi in divinis nominibus peritiſſimi, parum aut nihil poſt Chriſtum operari poſſunt, ſicut priſci illorum patres. Quod autem experimur, & videmus hujus artis (ut vocant) revolutionibus, ſæpè miras magnorum myſteriorum è ſacris literis extorqueri ſententias, totum hoc nihil aliud eſt, quàm luſus quidam allegoriarum, quas otioſi homines in ſingulis literis, & punctis, & numeris occupati, quod hac lingua, & ſcribendi ritus facilè patiuntur, pro eorum arbitrio fingunt, atque refingunt: quæ etſi nonnunquam magna ſonent myſteria, nihil tamen probare, nec evincere queunt, quin juxta verba Gregorii, eadem facilitate contemnere liceat, quâ afferuntur. Confinxit ſimili artificio pleraque Rabarus Monachus, ſed latinis characteribus, & verſibus, inſertis variis imaginibus, qui quaque verſus lecti, per quælibet ſuperficiei, ac imaginum lineamenta, ſacrum aliquod denunciant myſterium, depictæ illic hiſtoriæ repræſentativum, quæ etiam ex prophanis literis extorqueri poſſe nemo negat, qui Valeriæ Probæ ex Vergilii carminibus compoſitas de Chriſto centones legerit, quæ omnia & ejusmodi, ſunt ſpeculationes otioſorum

rum hominum. Quod autem ad miraculorum operationem attinet, neminem veſtrum puto tam ſtolidæ cervicis, qui de illis credat aliquam artem haberi vel ſcientiam. Eſt itaque nihil aliud hæc Judæorum Cabala, quàm perniciosiſſima quædam ſuperſtitio, quæ verba & nomina, & literas, ſparſim in Scriptura poſitas, pro arbitrio ſuo colligunt, dividunt, transferunt: Et alterum ex altero facientes, ſolvunt membra veritatis, ſermones, inductiones, & parabolas hinc inde ex propriis fictionibus conſtruentes, aptare illis volunt eloquia Dei, & per imprudenter exortas ſupputationes dictionum, ſyllabarum, literarum, numerorum, tentant violentas, blaſphemas perfidiæ ſuæ inferre probationes. Præterea iis nugis inflati, ineffabilia Dei myſteria, & quæ ſunt ſuper ſcripturam arcana, ſeſe invenire & ſcire jactant, per quæ etiam prophetare & Virtutes, & miracula ſeſe perficere, ſine rubore magnaque audacia mentiri non erubeſcunt. Sed accidit illis quod cani Æſopico, qui pane relicto, & in ejus umbram inhians, perdidit eſcam: Sic perfidum hoc, & duræ cervicis hominum genus, ſemper in umbris Scripturæ occupatum, & circa illas vanitates ſuâ artificiosâ, ſed ſuperſtitiosâ Cabalâ impetum faciens, amittit panem vitæ æternæ, & inanibus nominibus depaſtum, perdit verbum veritatis. Ex hoc Caballiſticæ ſuperſtitionis Judaico fermento prodierunt puto Ophitæ, Gnoſtici, & Valentiniani hæretici, qui ipſi quoque cum diſcipulis ſuis Græcam quandam Cabalam commentati ſunt, omnia Chriſtianæ fidei myſteria pervertentes, & hæretica pravitate ad Græcas literas, & numeros protrahentes, ex illis conſtruentes corpus, quod vocant veritatis, docentes absque illis literarum, & numerorum myſteriis non poſſe in Evangelicis literis inveniri veritatem, quia variæ ſunt, & alicubi ſibi repugnantes, plenæque parabolis ſcriptæ, ut videntes non videant & audientes non audiant, & intelligentes non intelligant, ſed cæcis & errantibus juxta ſuæ cæcitatis, erroris capacitatem propoſitas: latentem verò ſub illis ſinceram veritatem ſolis perfectis non per ſcripta, ſed per vivæ vocis ſucceſſivam pronuntiationem eſſe creditam: atque hanc eſſe illam Alphabetariam, & Arithmeticam Theologiam, quam Chriſtus ſecreto manifeſtavit Apoſtolis, & quam Paulus ſe loqui dicit non niſi inter præfectos. Cùm enim hæc altiſſima ſint myſteria, ideò nec ſcripta eſſe, nec ſcribi, ſed in ſilentio ſervari apud

ſapientes in abſcondito ſecum illa abſcondentes. Sapiens autem apud eos nemo, niſi qui maxima hæreſeos monſtra fabricare novit. *Idem.*

DE PRÆSTIGIIS.

CAP. XIII.

SED redeamus ad Magiam, cujus particula etiam eſt Præſtigiorum artificium, hoc eſt, Illuſionum, quæ ſecundùm apparentiam tantùm fiunt, quibus Magi phantaſmata edunt, multaque miracula, circulatoris fraudibus ludunt, & ſomnia immittunt, quod non tam Goeticis incantamentis & imprecationibus, Dæmonumque fallaciis, quàm etiam certis ſuffumigiorum vaporibus, luminibus, philtris, collyriis, allegationibus, & ſuſpenſionibus, præterea annulis, imaginibus, ſpeculis, ſimilibusque magicæ artis pharmacis, & inſtrumentis naturali, cœleſtique virtute perpetratur. Multa manuum promtâ ſubtilitate, & induſtriâ fiunt, cujuſmodi ab hiſtrionibus & joculatoribus quotidie fieri cernimus, quos idcirco *Chiroſophos*, hoc eſt, manuſapientes appellamus. Extant de hoc artificio libri præſtigiorum Hermetis, & quorundam aliorum. Legimus quoque Paſeten quendam præſtigiatorem, refertiſſimum convivium hoſpitibus monſtrare ſolitum, idque cùm libuit evanuiſſe diſcumbentibus omnibus fame & ſiti eluſis. Numam Pompilium etiam iſtiuſmodi præſtigiis uſum legimus. Sed & doctiſſimum Pythagoram id ridiculum aliquando factitâſſe, ut quæ collibuiſſet, ſanguine perſcriberet in ſpeculo, quo ad pleni luminis Lunæ orbem obverſo, ſtanti à tergo res exaratas in diſco Lunæ commonſtrâſſet. Huc ſpectat etiam quidquid de hominum tranſmutationibus legitur decantatum à Poëtis, traditum ab hiſtoricis, & à nonnullis Chriſtianis Theologis, inſuper à ſacris literis adſertum. Sic apparent homines aſini, vel equi, vel alia animalia, oculis faſcinatis, aut perturbato medio, idque arte naturali. Nonnunquam etiam hæc fiunt à nobis, & malis ſpiritibus, ſeu ad bonorum preces ab ipſo Deo, ſicut in Sacris Literis legimus de Heliſæo Propheta, obſeſſo ab exercitu regis vallantis Dothain. Verùm puris & apertis à Deo oculis, iſta non poſſunt illudere: Sic mulier illa quæ à vulgo jumentum judicabatur, Hilarioni non jumentum, ſed quod erat mulier videbatur. Ea igitur quæ hoc modo ſecundùm apparentiam

tiam fiunt, præſtigia dicuntur : quæ autem fiunt arte permutantium, aut transferentium, ut de Nabuchodonoſore, aut meſſibus ad alios agros traductis, de his diximus ſuperiùs : Verùm de hac præſtigiorum arte ſic ait Jamblichus : *Quæ præſtigiati ſeu faſcinati imaginantur, præter imaginativa, nullam habent actionis, & eſſentiæ veritatem.* Ejuſmodi namque artificii finis eſt, non facere ſimpliciter, ſed uſque ad apparentiam imaginamenta porrigere, quorum mox nullum compareat veſtigium. Jam itaque ex his quæ dicta ſunt, patet, non aliud eſſe Magiam, quàm complexum Idololatriæ, Aſtrologiæ, ſuperſtitioſæque Medicinæ. Jamque etiam à magis magna hæreticorum caterva, in Eccleſia orta eſt, qui ſicut Jannes & Mambres reſtiterunt Moyſi, ſic illi reſtiterunt Apoſtolicæ veritati. Horum princeps fuit Simon Samaritanus, qui Romæ ſub Claudio Cæſare propter hanc artem ſtatuâ donatus eſt, cum hac inſcriptione; *Simoni ſancto Deo.* Ejus blaſphemias copiosè narrant Clemens, Euſebius, & Irenæus. Ex hoc Simone, tanquam ex hæreſium omnium ſeminario, per multas ſucceſſiones monſtroſi Ophitæ, turpes Gnoſtici, impii Valentiniani, Cerdoniani, Martianiſtæ, Montaniani, & multi alii hæretici prodierunt, propter quæſtum, inanem gloriam, mentientes adversùs Deum, utilitatem nullam, neque beneficia hominibus præteſtantes, ſed decipientes, & in perniciem, & in errorem mittentes, qui credunt illis, confundentur in judicio Dei. Verùm de Magicis ſcripſi ego juvenis adhuc libros tres, amplo ſatis volumine, quos de *Occulta Philoſophia* nuncupavi : in quibus quicquid tunc per curioſam adoleſcentiam erratum eſt, nunc cautior hac palinodiâ recantatum volo : Permultum enim temporis, & rerum in hiſce vanitatibus olim contrivi. Tandem hoc profeci, quòd ſciam quibus rationibus oporteat alios ab hac pernicie dehortari. Quicunque enim non in veritate, nec in virtute Dei, ſed in eluſione Dæmonum, ſecundùm operationem malorum ſpirituum, divinare & prophetare præſumunt, & per vanitates magicas, exorciſmos, incantationes, amatones, agogima, & cætera opera Dæmoniaca & idololatriæ fraudes exercentes, præſtigia & phantaſmata oſtentantes, mox ceſſantia miracula ſefe operari jactant : omnes hi cum Janne & Mambre, & Simone Mago æternis ignibus cruciandi deſtinabuntur. *Idem.*

Sathanam profligandi methodus certiſſima.

CAP. XIII.

DE variis illicitæ Magiæ ſpeciebus, quâ nimirum ratione Dæmones bonos, aut malos alliciamus, ut nos voti noſtri compotes reddant, atque adeò mira tum prædicere, tum efficere poſſimus, de his inquam in genere quantum fidei noſtræ profeſſio tulit, hactenus dictum eſt ſatis. Cùm autem doctrina quæ circa Dæmones occupetur trib. maximè conſtet capitibus, ſcilicet ut bonos Dæmones nobis adſciſcamus, & eoſdem cordis puritate, vitæque ſanctimonia conſervemus: aut malos ad nobis obtemperandum obſtringamus, quæ manifeſta eſt illicitæ Magiæ ſpecies: Tum denique ut malos Dæmones à nobis propellamus, eorumque maleficia à nobis arceamus: ſupereſt ut poſtremum hoc caput, duobus aliis jam expeditis, aggrediamur. Diligenter itaque omnium primò in his attendendum fuerit, an quæ nobis mala curanda proponuntur, verè Dæmoniaca ſint, aut inflicta naturaliter. Enim verò tam rara ſæpenumerò, & gravia in morbis ſuboriuntur ſymptomata, quæ licèt naturæ impetu exoriantur, tamen ad maleficium mox referunt rerum imperiti, atque exiguæ fidei homines: quemadmodum in diverſis convulſionum ſpeciebus, melancholia, epilepſia, uteri ſuffocatione, putreſcente ſemine, & multivariis venenorum effectibus frequenter apparet. At inter hos affectus, & accidentia diſcernens prudens, & circumſpectus Medicus, ubi ea penſicularit exacta trutina, adhibito etiam ad diligentem cauſarum naturalium indagationem, juſto, quoad fieri poteſt, perpendiculo, ubi naturæ limites malum exuperare egredique, ac ſathanæ, qui ſpiritus eſt, motus actionesque animadverterit, in ſpiritualem Medicum, Eccleſiaſtem nempe, aut Eccleſiæ miniſtrum inculpatum, ſanæ doctrinæ, tenentem myſterium fidei cum pura conſcientia, vitæ innocentia notum, non turpiter lucri cupidum, non vinolentum, cui etiam bonum à piis perhibeatur teſtimonium, curationis onus transferet. Interim meminiſſe operæ pretium eſt, multa non ex maleficio evenientia, ſed ex occulta naturæ occaſione, Medicos quandoque latere, ut enim rebus ineſt ſecreta juvandi proprietas, ita & nocendi: quam tamen non perpetuò agnoſcit Medicus. Tantum tamen operæ à Medico

hic

hic accedet, ſi fortè æger natura, vel ex morbo, aut aliunde humore melancholico (uti aptæ ſuis operationibus materiæ non illibenter ſe inſinuare ſolet Dæmonium) aut alio ſucco maligno gravari videatur, ut hic priùs blandè expurgetur medicamento. Tradit enim *Pomponatius*, priſcos exorciſtas, quos præcantatores vocant, ante conjurationem, obſeſſorum corpora ab atra bile expurgaſſe. Morbis ſiquidem gemînis ut plurimum hi infeſtantur, corporis nempe, ex melancholico ſucco genitis: & animi, ut amentiâ, mœrore, timore, vitæ odio, & deſperatione, quibus nocte diuque ejusmodi homines macerat juratus humani generis hoſtis, & veluti lugubribus tentationibus ita vellicat, ut quaſi aquila apud inferos Titii jecur arrodere videatur. Obſeſſos expulſo eo humore, non amplius mirabilia facere, experimento ſe vidiſſe, in expoſitione illius problematis dicit Conciliator. Uxorem quoque cujusdam ſutoris à Dæmonio agitatam, variaque ſonantem idiomata, eo modo perfectè curavit *Galgarandus Medicus*, Mantuæ celeberrimus. *Joan. Vvierus.*

Curandi Dæmoniaci exemplum inſigne.

CAP. XIV.

SINGULAREM, & ſuo loco imitandam aliquando curationis eorum, quos vexat Diabolus, rationem, ex ſequenti colliges hiſtoria. Philippus Weſſelich Colonienſis, Monachus Abbatiæ *Knechtenſtein*, integer & ſimplex, à ſpiritu referente Abbatem macilentum, ante multos annos mortuum, exagitabatur miſerè, & multivariam circa annum quinquageſimum ſupra milleſimum quingenteſimum: interdum avehebatur ſub tectum, aliàs per ligna tranſverſa conjunctoria ſupra campanam intrudebatur, plerunque per murum transferebatur inopinatò, inventus quandoque eſt corpore ſuper piſcinam projecto, capite autem in terram reclinante. Tandem ſe prodit ſpiritus, diutinæ multiplicis vexationis cauſam explicat: ſe nimirum eſſe illum Abbatem Matthiam Durenſem, tot annis ſepultum, ac eo torqueri, quòd ſuſpenſam D. Virginis effigiem exquiſitè depingi curarit: nec ſatis fuiſſe factum Pictoris Noveſiani laboribus & impenſis, qui inde jacturam ſenſerit, ac ſibi ipſi vim fecerit: verum id fuit. Subnectebat hinc ſolutionis modum, cujus nomine hanc exorſus erat fabu-

fabulam Diabolus: expiari ſcilicet hoc delictum non poſſe, aut ullâ ſe liberari ratione, niſi religionis ergò apud Treviros, & Aquiſgranum peregrinaretur hic Philippus (quem ob ſimplicitatem accommodatum ſuis ludibriis organum ratus eſt Diabolus) atque tres miſſæ, de Trinitate ſcilicet, de domina & tempore, in ejus aſſertionem recitarentur. Ut hic ſpiritûs voto ſatisfieret, conſuluerunt Theologi Colonienſes: & capitaliter id reliqui poſtulabant quoque Monachi, à ſuo ſuperſtite etiamnum Abbate Dn. Gerardo Strailgen Morenſi, qui ſaniori inſtitutione atque acri increpatione in aliam potiùs ſententiam Philippum exiſtimavit traducendum, ut videlicet fide vivâ omnis miſerationis Deo patri, & Chriſto aſſertori noſtro unico confiſus, Dæmonis impoſturas animo negligeret forti: redeuntique Spiritui objiceret, ſe non eſſe ſui juris, at ſub aliorum degere imperio, propterea nec poſſe ob rerum penuriam ſe obedire ejus votis. Quo facto, Spiritus reſpondit: Dic Suppriori (de eo enim confirmandi ſui inſtituti ſpem conceperat.) Quare Abbas, ubi Dæmonem perſeverare, nec Monachum ullis illuſionibus ſatis confidenter reſiſtere animadverterit, ipſum denuò rectiùs inſtituit ſtudiosè hortatus, ut reſipiſceret, nec adeò pronas offerret Satanæ technis aures: ſi verò manes uti hactenus, audire pergeret, ſe illum flagris, & quidem capitaliter cæſurum ſeveriſſimè minitatus eſt. Hinc irritos ſuos Spiritus videns conatus ob Abbatis conſtantiam, & animum Philippi magis erectum fiduciâ in Deum adversùs fraudulenta exitialiaque Dæmonii ſtudia, nunquam rediit, alioque migravit. Hanc curandi methodum in eo fraudum diabolicarum genere, in uſum revocare arbitror. *Vvierus.*

Contra Dæmonum machinamenta conſilium ſaluberrimum, ex Eodem.

Cap. XV.

SALUBERRIMUM adversùs Dæmonum machinamenta conſilium, in conſcripta hac præſervationis Lege, ſubjungam ex Chryſoſtomo his verbis: Sicut ſine calceamentis, vel veſtimentis veſtrûm nemo in forum deſcendere vellet, ſic ſine Dei verbo nunquam in forum prodeas, quum es januæ veſtibula tranſgreſſurus, hoc priùs loquere verbum; ABRENUNTIO TIBI SATANA, ET CONJUN-

GOR

GOR TIBI CHRISTE. Nunquam abſque hac voce exeas: hæc erit tibi baculus, hæc armatura, hæc turris inexpugnabilis. Cum hoc verbo Deo te commendans, exito: ſic enim non tantùm homo obvius, verùm nec ipſe Diabolus te lædere poterit, cum his te cernens armis ubique apparentem. Et hæc te ipſum jam hic doce, ut cùm ſignum cœperis, ſis miles paratus, & contra Diabolum trophæum erigens juſtitiæ coronam capias, quam nos aſſequi contingat gratiâ & benignitate Domini noſtri JESU Chriſti, per quem, & cum quo Patri gloria, ſimul & Spiritui ſancto poteſtas, & honor in ſæcula ſæculorum.

Dæmones & maleficia quibus materiis arceri credebat antiquitas, & Eccleſia Romana, ex eodem Vviero.

CAP. XVI.

IN ejuſmodi religione ſuum habere locum credebatur Sulphur, ad expiandum ſuffitu malos Dæmones: quo in purificationibus Sacerdotes uti ſolitos, velut & Aſphalto aut ablutione aquæ marinæ, ſcribit Proclus: quoniam purificat Sulphur ob odoris acumen, aquas verò marinas propter igneam portionem. Hinc *Ovidius de Medea:*

Terq; ſenem flamma, ter aqua, ter ſulphure luſtrat.

Expiare & Pentaphyllon herba putabatur, proinde in hanc rem uſurpant eam Sacerdotes antiqui: quemadmodum & Olivæ ramos, quæ tantæ eſſe puritatis dicitur, ut ferant Olivam à meretrice plantatam, vel infructuoſam perpetuò manere, vel omninò exareſcere. Simili modo expiationi conferre arbitrantur Thus, Myrrham, Verbenam Valerianam, *Phu* Arabibus dictam, Palmam Chriſti portatam, Antirrhinon, vel radicem Bryoniæ ſiccam, ac radicis Ariſtolochiæ ſiccæ ſuffitum: item Benedictam, & Caryophyllatam, Scillam quoque in limine domûs ſuſpenſam. Tantum gloriæ tradiderunt quidam herbæ Vetonicæ, ut domus in qua ſata ſit, exiſtimetur tuta à piaculis omnibus. Holitha herba in Moravia naſci fertur rara, quæ ſpiritus malignos pellat. Similiter fel Canis nigri ſuffitum, vel ejusdem ſanguis linitus per omnes parietes, maximè præſtare dicitur tam ad expiandum Dæmones malos, quàm male-

maleficia, ubicunque fuerint. Sunt & alia antiquis contra faſcinationes commendata, velut Palmarum lignum in pomo oſſeum dente limatum, radix Satyrii, Orchis cognominati, fœminæ ſcilicet, quæ diſtinguitur internodiis, & ramoſiore frutice. Rutam faſcini amuletum eſſe, tradit *Ariſtoteles*. Aliſſum in domo ſuſpenſum, ſalutare amuletum exiſtere contra hominum quadrupedumque faſcinationes, item Rhamni tertii ramum valvis feneſtrisve impoſitum, veneficia omnia depellere, tradit *Dioſcorides*. Contra hæc quoque valere Cynocephaliam, docet Appion Grammaticus. Baccharem herbam bene olentem, Virgilii teſtimonio freti, contra faſcinum ſingulari pollere virtute putant in Bucol.

——Bacchare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Reſiſtere & faſcino frontis Hyænæ corium legitur. Huc etiam multi lapides, tum ex aliis, tum ex Alberto, ut mendacibus Diaboli nundinis accedat authoritatis pondus, conferri queunt. Jaſpidem, empuſis & aliis idolis adverſari refert *Dionyſius*. Corallum rubrum collo infantium appenſum, aut armillis inſertum, in brachioque geſtatum, vel etiam in domo retentum, prærogativam habere ajunt contra faſcinum. Lyncurius lapis præſtigias ab oculis auferre creditur; quomodo Heliotropius lapis viſum perſtringere, & geſtantem inviſibilem reddere: Lipparis ſuffitus omnes beſtias evocare, Synochitides umbras inferorum educere, Anachitides Divorum imagines apparere facere: Enectis ſomniantibus ſuppoſitus oracula reddere putatur, Oleum ex gagate ſacratum Dæmoniacis conferre, ſuperſtitiosè docet *Meſue*. Dicuntur & pennæ Upupæ ſuffitæ, phantaſmata fugare. Ovum quoque in luſtrationibus acciri ſolent quæ ova luſtralia dicta ſunt, unde Ovidius:

Adveniat quæ luſtret anus lectumque locumque
Deferat & tremula ſulphur & ova manu.

Ligatum adhæc ſanare creditur Picus avis commeſta, ſuffumigium ex dente hominis mortui: ſi item totum corpus inungatur ex felle corvino, & oleo ſeſamino ex Cleopatra: ſi vel Argentum vivum in calamo, vel Avellanæ nucleo vacuo cum cera occluſum ſub pulvinari maleficio læſi collocetur, aut ſub limine oſtii, per quod is in domum, vel

vel cubiculum ingreditur. Hic noſtri in primis confugient ad ſuffimentum prunæ, cui cor piſcis, & jecur impoſitum erat à Tobia: ex cujus odore in ſuperiora Ægypti fugiſſe Dæmonium legitur, ubi angelus illud ligavit, ut non tam ſuffumigio fugatum, non reſpondeo, quàm Tobiæ junioris caſtitate & attentâ ipſius, ejusque conjugis ad Deum miſericordem oratione ex angeli inſtitutione. Narrat & *Euſebius* Serapin, qui Græcis Pluto dicitur, apud Ægyptios ſymbola dediſſe, quibus Dæmones expellerentur: docuiſſe etiam ſimplices, quomodo aſſumtis brutorum figuris inſidientur hominibus Dæmones: quibus maximè obnoxii fiant, qui cibis ſubinde diſtendantur lautioribus. In ſinum deſpuere, adverſùs faſcinationes, veteribus quoque in uſu fuiſſe legitur. Sic apud Theocritum:

Ὡς μὴ βασκανθῶ ἦ, τοῖς εἰς ἐμὸν ἐσπύσα κόλπον.

Ovidius:

Deſpuat in molles tam ſibi quiſque ſinus.

Vehementiore ad hæc ſtrepitu, & maleolentium graminum fumo diſſolvi, & ſedari aëreorum Dæmoniorum inſultum, creditum eſt. Idcirco (ait Gaudentius Merula) tanquam ex Academicorum officina fluxerint, etiam nunc Italæ mulieres tempeſtatibus imminentibus, diri odoris pabula ſub dio comburunt: Sacerdotes autem more Thracum (qui tempeſtate imminente, armati cum ſtrictis enſibus & crotalis, horribiliſque clamore in nubes fremebant) ad obſtrepera cymbala, quæ campanæ dicuntur, convolant: magis confidentes in boatibus illis apud Deum inanibus quàm orationibus, & jejuniis. De ſuis conterraneis ferè quid ſimile ſcribit *Olaus Gothus*, qui concitato in nubibus fragore, ſagittas ex arcubus in aëra excutientes, oſtendebant ſe opem ferre Diis ſuis velle, quos tunc ab aliis expugnari putabant. Nec eâ temerariâ ſuperſtitione contenti, inuſitati ponderis malleos, quos Joviales vocabant, ingenti ære complexos, magnaque religione cultos, ad eum uſum habebant, ut per eos tanquam per Claudiana tonitrua, & per uſitatam rerum ſimilitudinem, cœli fragores, quos malleis cieri credebant, exprimerent: tantiſque ſonitus vim fabrilium ſpecie imitantes, Deorum ſuorum bellis ſic adeſſe, admodum religioſum exiſtimarent. Durabat is Jovialium malleorum uſus uſque ad annum à Chriſto nato

1130.

1130. Apud noſtros quoque proavos, non ſanâ parochorum doctrina inolevit, longa annorum ſerie perſuaſio, Artemiſiam in feriis Divo Joanni Baptiſtæ ſacris ante domos ſuſpenſam, item alios frutices, & plantas, atque etiam candelas facesque, deſignatis quibuſdam diebus celebrioribus aqua luſtrali rigatas, vel neſcio quomodo expiatas, quando uſus poſtulat, incenſas, contra tempeſtates, fulmina, tonitrua (in quæ etiam agminatim è veſtigio ad omnium campanarum violentum continuumque tractum, atque pulſum, ut præſentiſſimum auxilium, & anchoram ſacram concurritur) & adversùs Diaboli poteſtatem, opera, & quæcunque maleficia, velut prærogativa quadam valere. Quoſdam incendere ipſo die Joannis Baptiſtæ faſciculum luſtratarum herbarum contra tonitrua, fulmina, grandinem, & credere eo ſuffumigio, Diabolum profligari, tempeſtatesque ſedari, tradit Martinus de Arles. At veritati minimè opottet præſcribere vetuſtatis obſervantiam. Fides eſt, ſpiritualis exiſtens, quæ Dæmonem exterminat: verbum item Dei ſpiritu efficax. Vetuſta hujus rei teſtimonia, & exempla, in veritatis libris ſacroſanctis quàmplurima, atque irrefutabilia leguntur. In hanc inſuper rem variè quibuſcunque ſubſtantiis applicantur exorciſmi, quibus herbæ ita conſecrantur, ut ſint utentibus eis ſanitas animæ & corporis, fiatque precatio, ut ex omnibus hominibus pecoribusque, quæ inde guſtaverunt, putredo & cuncta Diaboli phantaſmata explebantur, &c. Ex agendis & obſequialibus, hæc nota. Huc pertinet aqua in uſum innumerum ab omnipotente Creatore condita, quæ novas vires induerit iis verbis, EXORCISSO TE Creaturam aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine JESU Chriſti filii ejus Domini noſtri, & in virtute Spiritus ſancti, ut fias aqua exorciſtata ad effugandam omnem poteſtatem inimici, ipſum inimicum eradicare, & explantare valeas cum angelis ſuis apoſtaticis. Alexander primus Romanus pontifex author fuit, ut hujuſmodi luſtrata aqua conſecraretur ad Dæmones pellendos, & ut in templo domique ſervaretur: ſed in Græcorum Eccleſia hæc aqua condemnatur, ut ſuperſtitioſa. Habet item virtutem ſuam peculiarem ſal. Eo quoque Eliſæus ex Dei mandato inſalubrem aquam Hierichuntis reddidit ſalubrem: jam autem absque eo exorciſmus redditur ſanctior, præſantiorque contra Satanam hoc modo: Exorciſo te creatura

ſalis

ſalis per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † ſanctum, per Deum, qui te per Eliſæum Prophetam in aquam mitti juſſit, ut ſanaretur ſterilitas aquæ, ut efficiaris ſal exorciſatus in ſalutem credentium, ut ſis omnibus te ſumentibus ſanitas mentis, & corporis: effugiat atque diſcedat ab eo loco qui te aſperſus fuerit, omnis phantaſia & nequitia, vel verſutia diabolicæ fraudis, omnisque ſpiritus immundus adjuratus, &c. *Alex.* 1. *in epiſt. Decretal.* 1. Idem textu, ext. in C. aquam ſale conſperſam, de Conſecrat. diſt. 3. Huc referatur & nobile illud Balſamum virtutis variæ præter inſignem ejus odorem. Quo ut Reges, & Sacerdotes Levitici inungerentur, in veræ electionis confirmationem conſtituit in ſua politia Moſes, donec hominem indueret æternus Rex, & Sacerdos Jeſus Chriſtus. In ea Eccleſia autem Romana gravibus exorciſmis, & trina expiatione ad crucis modum facta luſtratur, noviesque cum multo murmure genu ter flexo ſalutatur, Ave ſanctum oleum, ter, Ave ſanctum criſma, ter, Ave ſanctum balſamum: atque hujus ope, & præſtantia non ſolùm creditur exturbari Dæmonium, ſed ejus loco ſubſtitui Spiritum ſanctum.

Curatio eorum, qui Lamiarum maleficio affici vel Dæmonis obſidione ſubigi creduntur.

CAP. XVII.

CURATIONIS ratio hic partim erit προφυλακτικὴ, exoptatiſſima medicationis pars, ut à faſcino, & incantationum ludibriis quis præſervetur: partim etiam μεθοδικὴ, ut ii, quos jam maleficio colliſos credimus, ritè legitimoque reſtituantur ordine, atque erit illa aliquo modo communis ex Sacrarum literarum fontibus deprompta: non autem Magica, vel ſuperſtitioſa tantopere à multis deſiderata, excultaque. Quum verò quicquid hactenus rerum monſtroſarum in hanc relatum eſt hiſtoriam, Diaboli ſint artes, opera, ludificationes, larvæ & ſpectra, contra hunc nos circumquaque validis aggeribus, præſidiisque infallibilibus communiri eſt operæ pretium. Atqui Spiritus cùm ſit, ſpirituali accingamur armaturâ: quam ex Divina Pauli exhortatione cognoſcere, atque univerſis complecti nervis decet, qui ita hortatur: Quod ſupereſt, fratres mei, ſitis fortes per Dominum, perque potentiam roboris illius. Induite totam Dei armaturam, ut adverſùs Diaboli aſſul-

tus consistere possitis. Quoniam non est nobis lucta adversùs sanguinem, & carnem, sed adversùs mundi dominos, rectores tenebrarum seculi hujus, adversùs spirituales astutias in cœlestibus. Quapropter assumite universam Dei armaturam, ut possitis resistere in die malo, & omnibus parati stare. State igitur lumbis circumcinctis baltheo per veritatem, & induti thorace justitiæ, & calceati pedibus, ut parati sitis ad Evangelium pacis: super omnia assumtoque scuto fidei, quo possitis omnia jacula mali illius ignita extinguere; Galeamque salutarem accipite, & gladium spiritûs, qui est verbum Dei, in omni deprecatione, & obsecratione, orantes in omni tempore, in spiritu, & ad hoc ipsum vigilantes cum omni sedulitate. Petrus item fideliter admonet: *Sobrii estote, vigilate quoniam adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens obambulat, quærens quem devoret.* Cui resistite solidi in fide, scientes easdem adflictiones, vestræ, quæ in mundo est, fraternitati consummari. Hic enim agit in incredulis. Hic & saluberrima Tertulliani exhortatio suum habebit locum, qui nos velut Jobum fortissimum Dei athletam, adversùs tentationum insultus pugnare voluit: item serico vestiri probitatis, purpurâ pudicitiæ, chlamyde patientiæ. In animum quoque inducendum suadet, cuncta, quæ Dæmon ad nostræ integritatis eversionem machinatur, in gloriam constantis casura: & ejus machinamenta in hunc finem à Deo permissa esse, ut quâ constantiâ perferre adversa velimus, experiatur: quemadmodum apud Hieremiam Prophetam quoque legimus: Dominus exercituum justi probator est. D. Maximus in lib. de Charitate, Dæmones non infringere interficereque jubet: atque illud haud dubiè perfici, quando cum præceptorum Dei observatione affectus in nobis efferveſcentes vincimus: hoc verò, quum prorsus affectibus sint carentes, illis universam calumniandi occasionem præscindimus, cum Propheta dicentes: *Vade homicida, Dominus mecum est, bellator fortis: tu cades, & delebéris apud me in æternum. Olympiodorus cap.* 10. in Ecclesiasticæ historiæ interpretatione, omnes sensuum aditus occludendos censet, si cut neque per oculorum illecebras, neque per aurium prurigines, neque per nocentis linguæ petulantiam Dæmon admittatur: hoc enim signaculum contra Dæmones absolutissimum habeatur. Quidam duobus in pugnam progrediendum armis monent: precatione qui-

quidem purâ, quæ in cœlum ſubvehat affectus: & ſcientiâ verâ, quâ ſalutaribus opinionibus communiat intellectum & ſuggerat quid ſit orandum, ut ardenter oremus, non hæſitantes. D. Antonius ita ſuos confratres adverſùs Dæmonum inſultus munit: Magna, *inquiens*, dilectiſſimi adverſùm Dæmones arma ſunt, vita ſincera, & intemerata ad Deum fides. Credite mihi experto, pertimeſcit Satanas rectè viventium vigilias, orationes, jejunia, manſuetudinem, voluntariam paupertatem, vanæ gloriæ contemtum, humilitatem, miſericordiam, iræ dominium, & præcipuè purum erga Chriſtum amorem. Novit teterrimus coluber ex præcepto Domini, ſub juſtorum ſe jacere veſtigiis, qui ait: Ecce dedi vobis poteſtatem calcare ſuper ſerpentes, ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici. Hic porrò præclarâ longaque oratione contra quaſcunque Dæmonum præſtigias, vexationesque ſuos inſtituit. Rectè Hermes Triſmegiſtus tradit, unam & ſolam cuſtodiam hominum à Dæmonum aſtu, eſſe pietatem. Pium enim hominem nec Dæmon malus, nec fatum tenet. Et quemadmodum vera fides mirabilia adverſùs Diabolum, ejusque potentiam in credentibus operatur: ſic & falſa credulitas, Deo permittente, eventus cooperante Diabolo inauſpicatos interdum gignit, vel potius demeretur. Cum Davide ergo confidenter dicamus: *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.* Omnium itaque primum tanquam rei caput deſideratur, ut in vera doctrina, & genuino Dei cultu inſtituti, nos totos reſignemus, tradamusque ipſius voluntati fide vivâ, & ſpe indubitatâ, nos illi curæ eſſe: ſub ipſius patrocinio, & tutela ſecuros degere: ipſius primum gratia progenitos eſſe ſingularique nos conſectari miſericordia: ſervari verè confiſos CHRISTUM in hoc nobis natum, filium nobis in ſalutarem redemptionem datum, & exhibitum qui peccata noſtra ſupra humeros ſuos in ligno pertulit: & per potentiam Patris, à morte ſuſcitatus, mortem vicit, & Satanæ imperium demolitus eſt, ut hic jam inde irrito conatu ſuas nobis machinetur inſidias, ſi ſepulti unà cum CHRISTO per baptiſmum in mortem, & peccatis mortui, in novitate vitæ ambulemus, juſtitiæque vivamus. Si etenim CHRISTO inſiti, in illum atque Patrem ejus credimus, illius mandata obſervamus, veſtigiis inſiſtimus, abnegato Dæmone, omnibusque ejus conſiliis, univerſa deni-

que impietate, opera Spiritûs ſectantes, fructuſque fidei edentes, in charitate non ficta erga DEUM & proximum, in manſuetudine, benignitate, lenitate, temperantia, continentia, caſtitate, ſenſuum cohibitione, conſtanti cujuscunque adverſitatis, jacturæ & injuriæ tolerantia, vitæ demum innocentia, puris manibus extenſis orationi aſſiduæ intenti, peccati inquinamentum ut veneni pernicioſiſſimi perditiſſimique halitum, internecionis periculo repentè nos objicientem, declinantem maleficiorum profectò minas haud difficulter cavebimus, vel negligemus, vel tolerabimus. *Si verò quis peccaverit*, (inquit Johannes) *advocatum habemus apud Patrem* JESUM CHRISTUM, *juſtum. Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm ſed etiam pro totius mundi.* Et per hoc ſcimus, quoniam cognovimus eum, ſi juſſa illius obſervamus. Qui dicit, Novi eum, & qui præcepta ejus non ſervat, mendax eſt, & veritas in eo non eſt. Qui verò ſervat ſermonem ejus, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt. Per hoc ſcimus, quòd in ipſo ſimus. Qui dicit ſe in eo manere, debet ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare. Qui committit peccatum, ex Diabolo eſt: quoniam ab initio Diabolus peccat. In hoc manifeſti ſunt filii Dei, & filii Diaboli. Omnis qui non facit juſtitiam non eſt ex Deo: & qui non diligit fratrem ſuum. Hinc Paulus, in Chriſto JESU neque circumciſionem, neque præputium valere aſſerit: ſed fidem, quæ per dilectionem operatur: cujus fidei loco novam creaturam ſequenti capite ad Galatas locat: & obſervationem mandatorum Dei ad Corinthios ſupponit. Unde ſatis liquet, de qua hîc fide loquatur: quam amplecti, cuique firmiter inſiſtere oporteat. Non ſimplicem formulæ fidei præſcriptæ enarrationem propono, quam & facilè pronunciaret Diabolus, non etiam ore jactatam ab iis, quorum cor à Chriſto procul eſt, quæ conſopita, mortua, ſterilisque deliteſcit, nuſquam ſe prodens, velut infœcunda arbor exſcindenda, ignique mandanda: ſed hanc urgeo, quæ totum innovat hominem, virtute viva in Chriſti membris exercens: fructificans, efficax potentia Dei ad ſalutem habenti, ſacra ſalvationis noſtræ ancora, prora & puppis, petra contra quamcunque Satanæ poteſtatem, impetumque immobilis: in qua quicquid ſuperſtruitur, inviolatum perdurat, imò adverſus hanc ne quidem inferi portæ prævalent. Auguſtini hic audiatur

tur consilium: De ista tota Dæmonum ludificatione, *ait*, nos quid dicamus, qui hæc legent, fortassis expectant, quid Christiani agere debeant, quando inter idola gentium mira fieri asseruntur. Et quid dicemus, nisi de medio Babylonis esse fugiendum? Quod præceptum propheticum ita spiritualiter intelligitur, ut de hujus speculi civitate, quæ profectò & Angelorum, & hominum societas impiorum est, fidei passibus, quæ per dilectionem operatur, in Deum vivum proficiendo fugiamus. Quantò quippe in hæc ima potestatem Dæmonum majorem videmus, tantò tenacius mediatori est inhærendum, per quem de imis ad summa conscendimus. Hactenus ille. *Cyprianus* ad Fortunatum, de exhortatione martyrii. Adversarius, inquit, vetus est, & hostis antiquus, cum quo prælium gerimus. Sed mille annorum plenè complentur, ex quo hominem Diabolus impugnat. Omnia jam genera tentandi & artes atque insidias dejiciendi usu ipso vetustatis edidicit. Si imparatum Christi militem invenerit, si rudem, si non solicitum, ac toto corde vigilantem, circumvenit nescium, fallit incautum, decipit imperitum. Si quis verò dominica præcepta custodiens, & fortiter Christo adhærens, contra eum steterit, vincatur necesse est, quia Christus, quem confitetur, invictus est. Huic fundamento firmiter insistentes tantum abest, ut unquam ratione, Satanæ artibus, sive astutiis à vera in Deum viventem fiducia dimoveri possint, ut etiam variis, ac multiplicibus illius conatibus, & insultibus impetiti, exercitati, ac velut aurum in fornace examinati indies se ipsis sanctiores, justioresque evadant. Quare Dæmonibus imbecillitatem in eos, quos divina non destituisset gratia, exprobrare solet D. Antonius, in assiduis suis adversùs illos luctis: & eos expavescere verè credentes, asserit Petrus apud Clementem. Item justissimo Dei judicio in hujusmodi cogitationum vanitate languentibus, labores & afflictiones pro remedio conferri, idem Clemens tradit, postea subjiciens: Dæmonem, nisi quis voluntatibus ejus se sponte subdiderit, potestatem adversùs hominem non habere, ut vincat scilicet. Vitæ igitur emendatione & attentâ assiduâque oratione ad Christum confugiendum est, exemplo Chananeæ mulieris. Hæc, (*Chrysostomo authore*) non ivit ad Divinos, non quæsivit ligaturas, non defectionis reas mulieres: sed omnia reliquit tentamenta diabolica, & venit ad JESUM. Si enim volumus Deum sen-

tentiam mutare ſuam, noſtram in meliorem mutemus vitam. Ritè hic hortatur Jeſus Syrach: *Converte ad Dominum, & relinque peccata tua, precare ante faciem Domini, & minue offendicula.* Revertere ad Dominum, & avertere ab injuſtitia tua, & ne nimis odito exorationem, & agnoſce juſtitias, & judicia Dei, & ſta in ſorte propoſitionis, & orationis altiſſimi Dei, non demorieris in errore impiorum. Nec minus piè quàm prudenter, tribulatione inimicorum conſulit Joſaphat rex Juda: Cùm ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te, Deus. Hic ſuum habeat locum Pſalmus Davidis 90.

Qui habitat in adjutorio Altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicit Domino, ſuſceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus, ſperabo in eum.

Quoniam ipſe me liberabis de laqueo venantium, & à verbo aſpero.

Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis ejus ſperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis à timore nocturno.

A ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris ab incurſu, & Dæmonio meridiano, &c. Vvierus.

Obſeſſis pluribus, uno in loco morantibus, quomodo ſuccurrendum.

CAP. XVIII.

SI uno loco maleficia collidantur ubi numero plures (quemadmodum in monaſteriis, potiſſimùm virginum, velut organorum Satanæ ludibriis magis accommodatorum, frequenter uſu venire cernimus) ante omnia hæc cura propendeat ut ſeparentur, & unaquælibet ad parentes, vel ſanguine aut affinitate proximos avehatur, quò ſingulæ ſeorſim commodius fideliusque inſtitui & ſanari queant, inſtitutionis habito pro cujuſque neceſſitate, delectu: ne uno (quod ajunt) calopodio (quorundam ineptorum, mendacium, impoſtorum, ſuperſtitionis impietatisque antiſtitum more) quis calceare conetur omnes, & diſſolutis præſcriptorum verborum minus convenientium formulis, commentitiisque quibuſdam ritibus, & ſubſtantiis ad rem minimè facientibus, profligare pergat Dæmonem, in iis

iis ridentem illudentemque, & fugam plerunque ſimulantem egregiè, quaſi compulſum, licèt ultrò cedentem, ut nos incredulitatis labyrintho altius involvat, ſi vetitis eum mediis fugatum credamus: hac ratione è corporibus cedit ſæpenumerò, & quidem libenter, ut animas minus impeditè poſſideat, eisque dominetur. Quæ verò virgines arctius occluſæ cohibentur, nec egredi permittuntur, quod equidem ejuſmodi caſu comprobare nequeo: vel quæ in deſignato eo loco clementem Dei manum, patrisque virgam, cum vera ſui abnegatione fortiter tolerare cum Jobo in animum induxerint, mutuam hic præſtent in ſuorum cruciatuum intervallis operam, ſe mutuò conſolantes, modumque præſcriptum, quoad fieri poteſt obſervantes: nec ad hujuſmodi ſpectaculum admittantur juniores, ne territæ tormentorum raritate, & vehementiâ, quid mali contrahant, cùm eis avidè admodum inſidietur Diabolus. Cùm alias ad piam puellam, in cœnobio obſervatam, literas dediſſem, quibus virginum eo in loco olim incredibili cruciamentorum genere à Dæmonio exercitarum hiſtorias mihi cupiebam deſcribi, ea in hanc ferè ſententiam reſpondit: Duas adhuc ex illis ſupereſſe octogenarias propemodum, à quibus ſæpius audiviſſet, ne magna quidem ſe velle gravi illa caruiſſe calamitate, ex Dei voluntate nata, quòd inde peculiare gratiæ divinæ donum & illuminationem ſe conſequutas ſenſiſſent: nec ſecus earum teſtari vitam. Quid Antonio nocuit, ſeveros in ſuis cervicibus tuliſſe magiſtros? cui eos ſecundùm Dei voluntatem perpeſſo in majus ceſſit lucrum, & gloriam. Scribebat quoque, miſſos eo tempore fuiſſe undecunque viros doctos, qui terrificorum eorum Symptomatum larvas contuiti, eas penitiſſimè ſcrutarentur, amolirenturque: ſed quò in ejuſmodi conſiliis confidentius perſtitêre, eò malum recruduit gravius, ut tandem Dei opus eſſe ſingulare faterentur: à cujus manu, cùm id exciperent, & ſe toto corde ſub potenti ejus brachio ſubmitterent, ſemet integrè abnegantes, humilitatemque uſqueadeò amplexæ, quo etiam cunctis ſuis affectibus reſtiterint, eosque vicerint: & breviter, ad divini verbi normam toto animo vitam conformârint, tunc paulatim evanuerunt univerſæ illæ diræ. Piam epiſtolam illius virginis partim juſtis de cauſis inſerere volui, quòd id conſilium meo inſtituto prorſus reſponderet: & ne ejuſmodi virgines uſ-

que adeo à piorum numero alienas esse, quis temerè in animum inducat, etiamsi adhuc multa in iis desiderari non diffitear, quæ insciâ, non sanâ informatione prætermittuntur. Porrò monasterium id ingressus, coràm cum altera contuli vetula; quæ id mali decem sustinuerat annos, eo nomine Deo gratias agens quàm maximas: ac si ætas admitteret, se libenter denuò iisdem velle calamitatum fluctibus objici asserebat: Hortata autem me est magnopere, ut si in consilium ad ita afflictas accerserer, ne exorcismos admitterem unquam. Quædam in eo tormentorum theatro constituta, à fratre virgis ex quorundam consilio excarnificabatur: quemadmodum ab ineptis etiamnum hodie consulitur, quasi Dæmonem profligent virgæ, & non potius eo modo ille carnificinam procuret, ea rei indignatione, pudore illa perculsa, contabuit pedetentim, & moritura cecinit, rogata verò cantionis causam, respondit: eò quòd de salute sua æterna minimè hæsitaret. Altera quoque jam diu à Dæmonio excruciata, & morti proxima, se totam attenta oratione Deo offerebat, ut cum ea pro suo arbitrio quicquid vellet, in tempore, & in æternum ageret, dummodo ipsius glorificaretur nomen obsecrans: rogabatque reliquas virgines, ut post ejus mortem, non ex more, Miserere mei Deus, canerent: sed, Gloria Patri. Memorabile abnegationis veræ exemplum. *Vvierus.*

In concubitûs maleficio quid faciendum.

CAP. XIX.

DE naturalis congressus, Satanæ opera præpediti, curatione ita scribit *Igmarus Remensis Archiepiscopus*: Si per fortiarias atque maleficas artes occulto, sed nunquam Dei injusto judicio permittente, & Diabolo præparante, concubitus non sequitur: hortandi sunt, quibus ista veniunt, ut corde contrito, & spiritu humilitatis, Deo & Sacerdoti purè confiteantur, &c. In controversia, ubi maritus ad congressum ineptus esse ex maleficio accusaretur, in foro Constantiensi decretum fuisse scribit *Ulricus Molitor*, ut primùm à Medicis ille, quem leges dicunt maleficiatum vel frigidum inspiceretur, num alia illius impotentiæ naturalis foveretur causa: deinde ut triennium adhuc uxor cum marito conviveret, qui suas interea tem-

temporis experiretur vires : atque eleemoſynas liberaliùs erogarent , & jejuniis vacarent , quo matrimonii inſtitutor Deus ejusmodi malum amoliri dignaretur. Decretum ſanè ad imitationem revocandum. *Vvierus.*

Aliud ejuſdem mali remedium ex eodem Vviero.

Quidam narrat conterraneum ſuum virum nobilem, juraſſe ligatum ſe feciſſe, ne cum mulieribus congrederetur, ac reſtitutum dexteritate quâdam, quâ hic alterius perſuaſionem confirmabat, adducens ei librum Cleopatræ, quem de fœminarum informanda ſpecioſitate fecerat, legensque locum, ubi eo modo ligatum corpus totum inungi jubet corvino felle , mixto cum ſeſamelæo, & ita juvari. Hoc audito confiſus ille libri verbis, id fecit, citoque augmentato libidinis æſtu reſtitutus eſt. Quemadmodum impiâ credulitate quis læditur : ſic & levari eadem credibile eſt, uſque obſervatur.

Exorciſmi quando , & quomodo , à quibus adhibendi. CAP. XX.

PORRO ſi dictis rationibus nondum cedit inflicta calamitas , opusque Satanæ perdurat , eum increpare licet ex Chriſti doctrina *Marci 16.* & quòd credentes per ejus nomen Dæmonia ſint ejecturi : Ea propter Apoſtolorum primitivæ purioris eccleſiæ exemplo , per Chriſti nomen expellat : miniſter verò ductus zelo , conſcientiæ bonæ teſtimonio fretus , habens peculiare illud Spiritus ſancti donum , ejiciendi nimirum Dæmonia : gladio ſpiritus, quippe verbo Dei accinctus , atque divinâ panopliâ circumquaque munitus , aſſumpto ſuper omnia fidei ſcuto, quo omnia jacula mali illius ignita queat extinguere , ne cum diſcipulis Chriſti Dæmonium fugare nequeuntibus à Chriſto audiat : O natio incredula & diſtorta , quò uſque tandem ero vobiſcum ? quò uſque patiar vos ? firmiter hinc infallibili nitatur promiſſioni : *Amen dico vobis , qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado.* Et, *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater per Filium. Si quid petieritis per nomen meum , ego faciam.* Scribit item Lucas , ſeptuaginta reverſos ad Chriſtum

cum gaudio diſcipulos, dicentes: Domine etiam Dæmonia ſubjiciuntur nobis per nomen tuum. Ait autem illis: Videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem. Ecce do vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil nocebit. Ita in Chriſti nomine flectuntur genua cœleſtium, terreſtrium, & inferorum. Nec aliud nomen ſub cœlo datum eſt hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri. Solo hoc patris æterni Verbo creata ſunt cœlum & terra, & quicquid in eis conſiſtit. Ejus nutu in præcipitium ruit illa immenſa Angelorum caterva. Ad Chriſti adventum imperiumque horruerunt, & profugerunt, quotquot arctiſſimo vinculo in ſua cuſtodia miſeros mortales conſtrinxerant Diaboli. In hoc nomine credentes diſcipuli Dæmonia exturbarunt. Pythonis ſpiritum in Macedonia, ex puella Dæmoniaca ejecit Paulus his verbis: Præcipio tibi in nomine Jeſu Chriſti, exire ab ea, & exiit eadem hora. Sic à Petro juſſi ſunt Dæmones egredi, qui vel unicum diem ſibi indulgeri, ſubjugatis permanerent corporibus, rogabant: *teſte Clemente.* Apud Hieronymum presbyterum in vita Hilarionis Palæſtini Eremitæ, legitur de quodam Conſtantini Imperatoris candidato, ex Francia Germaniæ orto: quem à teneris unguiculis Dæmon obſederat malignus. Ductus igitur ille Gazam ad Hilarionem, exponensque tam Syrâ quàm Græcâ linguâ (quas tamen nuſquam didicerat Dæmoniacus) multiplicem obſidionis cauſam, ei reſpondit vir ſanctus: Non curo quomodo intraveris, ſed ut exeas in nomine Domini noſtri JESU Chriſti impero. In hoc nomine Simon Apoſtolus ſimulacrum Solis comminuit: & Judas Lunæ, Dæmonibus inde viſibiliter Æthiopum forma expulſis. Dæmonem ex Solis idolo fugavit D. Thomas: Draconem ſub Martis ſtatua in Scythia exeuntem profligavit Philippus Apoſtolus: ſeptem Dæmones ſimilitudine canum inter monumenta commorantes ſecus viam, prætereuntesque graviter lædentes, abegit D. Andreas. Sic in capitolio Draconem clauſiſſe Sylveſtrem, & Philippum Leviathan fugaſſe, traditur. Joannes Evangeliſta ſuperato veneno, Dæmonem in Dianæ templo ducentos & quadraginta novem annos commoratum, his verbis loco expulit: *Interdico tibi in nomine JESU Chriſti Nazareni, ne ultra hic habites:* & confeſtim deceſſit Epheſo. Quocirca

circa jussa Domitiani in Pathmon insulam exul deportabatur vir sanctissimus. Hic cum Cynops Magorum princeps in Para oppido contra Joannis doctrinam, & edita in Christi nomine miracula, ex falsa Sacerdotum Apollinis in Joannem criminatione, maleficiis populum dementaret, avocaretque, mortuos etiam se excitare jactabat: quorum facie assumtâ etiam Dæmones apparuerunt, è mari emersi. Tandem Joanni ait Cynops: Veni sodes ad Parmum ut aspicias potentiam meam, & ampliùs admiraberis. Igitur Joannes cum universa multitudine rediit, præcipiens illis tribus Dæmonibus, qui sub imagine hominum nuper resurgentium comitabantur, ne discederent. Concussis itaque manibus, & terribili maris sonitu peracto, Cynops se, ut antea, dimisit in mare, atque sic oculis hominum evanuit: qui clamare non cessabant, laudando dicentes: *Magnus es Cynops, & nemo præter te.* Joannes interim orabat Dominum, ut inter vivos ultra nequaquam connumeraretur Magus ille. Tum repentè vehemens est pelagi murmur auditum: & procellis ingruentibus ei loco, ubi se præcipitavit, nusquam apparuit. Et Dæmones, qui sub humana figura stabant, quasi jampridem suscitati à mortuis, adjurabantur ab Apostolo Dei dicente, *In nomine crucifixi JESU Christi hanc Insulam exite, nunquam redituri:* & statim ab universorum oculis disparuerunt, frustra expectantium Cynopia, si fortè ex freto resurgeret. Sic apparet, quantum verè Christianis Magistri nomen profuerit, & imitatio juverit. Hæc est conjuratio, hic vehemens fortisque exorcismus, hic modus fugandi Dæmonis certus, hæc brevis formula, hi sunt characteres, quibus invocatur omnipotentia rebus supra communem vitæ rationem agendis: hæc doctrina vera, hoc fundamentum solidum: hic philosophorum lapis longè quidem exuperans eum, de quo Chymici hallucinati contendunt: imò lapis angularis, in quo omnis structura firmiter coagmentatur. Hæc sunt divina testimonia, hæc sacrorum monumenta, hæc veri sacerdotis femoralia, hæc purissima signa, hæ nostræ in exturbandis Dæmonibus ceremoniæ, paucis contentæ, facili usu, vili apparatu. Hæc ars cœlo sublimior, tartaro profundior, libera periculis, umbrarum hostis, contemtrix larvarum, simulacrorum perosa, nec thuris, nec meri indiga: universis manibus, lemuribus, larvis imperitans, omnia

sepul-

ſepulchra, & ſpecies mortuorum contemnens, & inania terriculamenta, & noctium occurſacula, & inferorum commeacula (*ut Capnion inquit*) exporrectâ fronte fugans, fatum & naturam vincens, & quicquid unquam ritè optamus, ſi modus à magiſtro traditus obſervetur, indeſinenter perficiens, & indeficienter adimplens. Verbo languores univerſos ſanavit, & Dæmones expulit Chriſtus. Si ergo ſecurè operari voles, neceſſariò illud Pauli conſilium ob oculos pone. *Quodcunque facitis in verbo & in opere, ut omne id in nomine Domini noſtri JESU Chriſti faciatis.* Hoc eſt ſalutiferum medicamentum: quin ipſa panacæa, vel potius hæc ſalus noſtra & medela. Rectè hinc *Nazianzenus in Defenſorio ait*, Dæmones adhuc contremiſcere, quando Chriſti nomen invocatur. Contra hunc nullæ ligaturarum præſtigiæ, nulla maleficiorum oſtenta, nec ulla Dæmonii opera, momentum quidem perdurant, quin dicto citiùs evaneſcunt. Proinde à Lactantio quàm veriſſimè dictum eſt: Dæmones juſtos, id eſt, veri Dei cultores metuere: cujus nomine adjurati, de corporibus excedunt: quorum verbis verberati, non modò ſe Dæmones eſſe confitentur, ſed etiam ſua nomina edunt. Quia nec Deo per quem adjurantur, nec juſtis quorum voce torquentur, mentiri poſſunt. Itaque maximis ſæpè ululatibus editis verberari ſe, ac ardere, & jam jamque exire proclamant. In hoc ordine curationis Scripturæ ſanctæ fundamento innixæ; nullam blaſphemiæ opinionem foveri luce meridiana clarius contuemur. *Joan. Vvierus.*

Dæmonia ejiciendi modus Eccleſiæ veteris.

CAP. XXI.

CÆTERUM ne quis hoc noſtrum conſilium velut ab uſitata noſtrorum hominum eccleſiaſticorum ratione, alienum calumnietur, & explodendum decernat, bonâ fide hic beati Clementis verba ſubjungam, quibus pellendi Satanæ formam in Eccleſia veteri, & priore familiarem, noſtroque præſcripto conformem, pulchrè deſcribit *lib.* 8. *cap.* 32. conſtitutione S. Apoſtolus Jacobus Alphæi: Exorciſta non ordinatur, ſpontaneæ enim benevolentiæ eſt hoc certamen, & gratiæ Dei per Chriſtum ſuperventione Spiritus ſancti. Nam qui accipit chariſma curationum, per revelationem à Deo declaratur, quum pateat

pateat omnibus gratia, quæ eſt in ipſo. Et libro eodem cap. 7. Poſtquam exiverunt Catechumeni, dicat Diaconus: Orate energumeni, hoc eſt, vexati ab immundis Spiritibus: intentè omnes pro ipſis orate, ut benignus Deus per Chriſtum increpet immundos & nequam ſpiritus, & eripiat ſervos ſuos ab imperio inimici, qui increpavit legionem Dæmonum, & principem malorum Diabolum, ipſe nunc increpet pietatis rebelles, & liberet figmenta ſua à vexatione ipſius, & purget ea, quæ ingenti ſapientia condidit. Etiam attentè oremus. Salva & excita illos Deus in virtute tua. Inclinate vos Energumeni, ut benedictionem accipiatis. Et Epiſcopus oret dicens: Qui fortem armatum ligaſti, & omnia vaſa ejus diripuiſti: qui dediſti nobis poteſtatem ambulandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: qui homicidam ſerpentem ligatum tradidiſti nobis, tanquam paſſerem puerulis, quem cuncta pavent, & horrent à facie virtutis tuæ: qui eum dejeciſti, ſicut fulget è cœlo in terram, non lapſu vocali, ſed ab honore in ignominiam, ob voluntariam nequitiam: cujus aſpectus ſiccat abyſſos, & minæ liquefaciunt montes, & veritas Domini manet in æternum: quem laudant infantes, & lactantes benedicunt: quem celebrant, & adorant Angeli: qui aſpicit ſuper terram, & facit eam tremere: qui tangit montes, & fumigant: qui minatur mari, & ſiccat illud, & omnia flumina deſerta facit: cujus nubes pulvis pedum ejus: qui ambulat ſuper mare ſicut pavimentum: unigenite Deus magni Patris fili, increpa ſpiritus nequam, & libera operâ manuum tuarum ab alieni ſpiritus vexatione: quoniam tibi gloria, honor, & adoratio, per te tuo Patri in Sancto Spiritu in ſecula Amen. *Vvierus.*

De Dæmoniacis. CAP. XXII.

ETSI ſunt interdum Phyſicæ cauſæ furorum ſeu παραφροσύνης ſeu μανίας: tamen certiſſimum eſt, Diabolos in aliquorum hominum corda ingredi, & efficere furores, & cruciatus in eis: quia manifeſtum eſt, tales homines interdum etiam ſine phyſicis remediis liberari. Et ſæpè hæc diabolica ſpectacula ſunt prodigia, & ſignificationes rerum futurarum. Ante annos duodecim mulier erat in Saxonia, quæ nullas literas didicerat: tamen quum agitaretur à Diabolo, poſt cruciatus loquebatur Græcè & Latinè de futuro

turo bello Saxonico : *Erat magna angustia in terra, & ira in populo :* ἔστω ἀνάγκη ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ὀργὴ ἐν τῷ λαῷ τούτῳ. Ante annos 16. erat in Marchia puella cui rapienti pilos à vestibus vertebantur illi pili in nummos Marchicos, quos devorabat puella longo fragore dentium. Et figuræ illæ nummorum interdum ex manibus ejus subitò extortæ, erant veri nummi, qui adhuc à nonnullis servantur : ac subinde magnos cruciatus sentiebat puella : sed à toto illo morbo liberata est post aliquot menses, & adhuc vivit sana. Sunt autem crebræ piorum precationes pro ea factæ, & consultò omissæ sunt aliæ ceremoniæ. In Italia audio fuisse mulierem, quæ etiam nullas didicerat literas : quæ cùm agitaretur à Diabolo, interrogata, quis versus Vergilii sit optimus, respondit :

Discite justitiam moniti & non temnere divos.

De illis miseris virginibus, quas Romæ cruciari audio, eas à Diabolo torqueri judico, & significantur pœnæ Italiæ & aliarum gentium. Nec verò dubito, verâ piorum precatione tolli id malum, & expelli Diabolos posse. Rectè etiam facient, si qui homines non Epicurei, sed verè invocantes Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum, seriò præcipiant Diabolis, ut ab illis miseris discedant, & de venturo judicio filii Dei, in quo malitia Diabolorum ostendetur, palàm universæ Ecclesiæ dicent, & de pœnis Diabolorum. Sed hæc oportet fieri seriò, & omittendæ sunt ceremoniæ τῆς ἀρτολατρείας, & lustralis aquæ, & falsarum invocationum Cornelii Agrippæ, vel Petri Aponensis & similium. Scio plura exempla, in quibus profuisse piorum precationem certum est. *Philipp. Melanch.*

Si jumenta præter naturam quid pati videantur, quid faciendum. CAP. XXIII.

SI verò præter naturam quid pati jumenta credantur (quod tamen cognitu difficillimum, cùm sæpe in pascuis venena vel depascantur, vel Spiritus attractu illiciant) primum omnium his pharmacum contra venena, vel similia vitia offerri potest, & reliqua administrari, quæ ex naturali conjectura, & arte (quam doctè copioseque tradit *Vegetius* de arte veterinaria, vel mulomedicina libris quatuor, item Columella, Cæsar Constantinus, & plerique

rique alii & recentiores) uſui fore arbitramur, ſucceſſum toleranter expectantes. Quæ ſi minus juverint, ſed morte armentum abripiatur, velut ſpeculum mentis oculis opponenda erit Jobi patientia : & quicquid id eſt calamitatis ac damni, Deo ſic volenti (qui dedit & abſtulit, idque ſicut illi placitum eſt, ita facit) ferendum erit acceptum: nec ad Ariolos, aut Divinos, aut Pythonis ſpiritu turgidos, contra evidens Dei mandatum, impiè confugiendum, qui profectò imitatione ſacrilega comprobare videntur M. Catonis idololatriam in agro luſtrando certis ceremoniis, ſolennibus ſacrificiis, verbis atque votis Telluri dicatis, ut inſuetas alat arbores : ipſis etiam arboribus exoratis, ut transmigrent, & alieno in ſolo accreſcant: rapis quoque obſecratis dum ſeruntur, ut ſibi & familiæ vicinisque benignè conferant : precibus Marti fuſis, ut ager pecoraque ſerventur. Suffimentum autem, animantium morbis prohibendis utile, legitur apud Vegetium, qui licèt id quoque, luſtrare animalia, faſcinum tollere, Dæmones fugare, & grandines inhibere, ab aliis malè perſuaſus ſcribit, tamen odore ſuo, cauſa quippe naturali, tam hominum, quàm animalium morbis reſiſtere, & aërem defœcare addit, ita habet : Rec. Sulphuris vivi libras duas, Bituminis Judaici libram unam, Opopanacis achanti, Galbani, Caſtorei, Ireos crudæ an. unc. vj. Salis ammoniaci uncias duas, ſalis Cappadoces, Cornu cervini, lapidis Gagatis maſculi, lapidis Gagatis fœminæ ana uncias tres, lapidis Hæmatitis, lapidis Sideritis, lapidis argeritis ana unciam unam, equuleas, id eſt, caballiones marinos, caudas marinas, ungues marinos ana N. vij. Uvæ marinæ uncias tres, medullæ cervinæ, cedrei, picis liquidæ, ana pondera tria, oſſa ſepiæ N. vij. Auri ſemiunciam, ballucæ ſiliquam. Hæc univerſa commiſceantur, & ſuccendantur. Sed ſi memoratos lapides aut invenire nequiveris, aut enormitate pretii ab emptione ceſſaveris, reliqua efficaciter proſunt. Interea tamen ſtudioſè inquirendum, num aliquid monſtri alatur, aut fucus alicubi foveatur: quemadmodum à quodam Latamo apud Batavos factum memini, qui ſtabula ingreſſus, lupi ſtercus clam in præſepibus abſcondebat: cujus odore, ut voracis ſui hoſtis præſentia, ob antipathiam, veluti malefico actu territæ pecudes, ultro citroque exultare, & inſolito concitari furore videbantur, unde turbati ruſtici incantamentum eſſe conjicerent. Quocirca ad

fabulæ

fabulæ actorem, velut è ſpecula hæc obſervantem, atque ſanandi maleficii nomine celebrem concurrebatur : qui tectâ faſcini materiâ, lupi nimirum excremento, occultè ablatâ, ocyus malum amoliebatur. Sublatâ enim causâ, tollitur effectus. Sic rem qualemcunque ex hac profeſſione faciebat : à viris tamen bonis admonebatur, ut maturè ejuſmodi falſitati renuntiaret, ne merita falſarium conſequeretur punitio. *Joan. Vvierus.*

Quibus verbis ſtupor ac taciturnitas in tormentis, & quæſtionibus induci creditur, & ſolvi.

CAP. XXIV.

INVENIUNTUR, qui cùm ſcelus aliquod capitale admiſerint, vel antequam ſubjiciantur quæſtioni, vel interea dum torquentur, quorundam aut ſcriptura, aut prolatione verborum conſequi ſibi videntur, ut & tacere poſſint & nihil omnino ſentire. Id quod tam firmiter ſibi perſuaſum habent, ut fuerint qui hac fiducia ultrò ſe tum carceri, tum quæſtioni obtulerint. A Diabolo enim, cujus intereſt ſcelera non puniri, ſed indies accumulari, confirmantur in malo, nec ſolùm organis vocis obſtructis impediuntur, ne loqui poſſit, verùm gravi etiam ſomno opprimuntur, ut nec audiant interrogata, nec tormenta ſentiant. Interim tamen his illi penduli verbis ac verſibus, ſanè per quam ἀπάτησι utuntur.

Imparibus meritis tria pendent corpora ramis.
Diſmas & Geſtas, in medio eſt divina poteſtas.
Diſmas damnatur, ſed Geſtas ad aſtra levatur.

Sunt qui verba Prophetæ ructent : *Eructavit cor meum verbum bonum, veritatem nunquam dicam regi.* Alii autem hac prece ſe muniunt : Quemadmodum lac beatæ glorioſæ Mariæ virginis fuit dulce, & ſuave Domino noſtro JESU Chriſto, ita hæc tortura, ſive chorda ſit dulcis & ſuavis brachiis, & membris meis : alii verò ſaltem hæc proferunt : *Jeſus autem tranſiens per medium illorum ibat. Os autem non comminuetis ex eo.* Et tamen contrarium videmus eventum. Licèt enim δαιμόνιον ita Dæmon occupet, ut nihil ſentiant : oſſa tamen illis comminuuntur, & confringuntur. Quâ etiam ratione probari poſſet, eorum verborum nullam eſſe vim : quin ridicula potiùs eſſe, quàm credi-

credibilia, quæ jam propoſuimus. Enimverò nec Diabolo quidem eſſe promiſſum, ut efficiat aliquid ejusmodi, interea dum iis, ut ſuperſtitioſè utuntur flagitioſi, propter duas mihi cauſas videtur. Primò quòd cùm omnis poteſtas à Deo ſit, Diabolus nec ipſi nec legitimis ipſius actionibus poſſit reſiſtere, ut nocentes publicæ eripiat juſtitiæ: ſicut docet D. Auguſt. & Thom. Aquinas: Secundò, quòd impunitas ſcelerum Deo non placeat, & maleficiendi licentia minimè permittatur: Alioquin inſtitutus ordo, & Juſtitia Dei ſibi invicem repugnarent. Sed tamen hominum impietate ſic merente ſæpiùs hæc accidiſſe fateor. Teſtatur enim clariſſimus Jurisconſultus *Paulus Grillandus*, ſe bis id & vidiſſe, & in facto comperiſſe, his verbis: Primò Piſis dum eſſem Aſſeſſor magnifici D. Capitanei illius civitatis: deinde Romæ dum eſſem auditor criminalium cauſarum reverendiſſimi Domini Auditoris Cameræ, ubi quidam fur ſagaciſſimus, & duplicis malitiæ reus, contra quem erant examinati quindecim teſtes ſuper diverſis indiciis magni furti, 137. ducatorum aur. habens notitiam, quòd Curia præfati domini Auditoris procedebat contra ipſum, antequam perſonaliter compareret, accepit nonnulla ſortilegia contra torturam: quibus expertis iterum atque iterum videns quòd ſufficiebant ad parangonem quadam die, dum eò eſſem in ædibus turris novæ ad examinandum quoſdam alios reos, ille ſpontè veniens acceſſit ad me, & ſe conſtituit in carceribus ipſis, dicens, quòd ultrò venerat ad purgandum indicia, & notam infamiæ ſibi illatæ. Contra quem tamen neceſſe fuit devenire ad torturam tot indiciis contra ipſum laborantibus. In qua dum erat elevatus, dormiebat capite declivi, ac ſi jaceret in lecto, abſque ulla penitus lamentatione, aut clamore: & attractus chordæ erat tanquam ſtatua marmorea, qui dum elevabatur à principio, dicebat quædam verba ſubmiſſâ voce, deinde ſilebat, ut dormitans. Statim ego ſuſpicatus fui ne geſtaret aliquod ſortilegium, ſive facturam maleficam penes ſe, aut ex illis verbis captaret aliquod ſuffugium: perquiſivi quàm diligenter per omnes partes corporis ſui, demumque reperi in capite, ſub ſcuffia ſcilicet inter crines quandam parvam ſchedulam hæc verba continentem, videlicet † JESUS autem tranſiens † per medium illorum ibat † os non comminuetis ex eo † cum crucibus ita ſignatis: quam illicò abſtuli ab eo, qui licèt illa ſic ablata ſatis

conquereretur, nihilominus iterum poſitus ad torturam & elevatus iterum, illud idem ſicut ante faciebat, & in principio ipſius elevationis nonnulla verba ſubmiſſâ voce dicebat, quæ percipere nunquam potui, nec quicquam confeſſus eſt. Demum mutatis tormentis, ſub tormento taxilli ſubjectus fuit, & ſimiliter ſpernendo dolores, nihil unquam confeſſus eſt: ſed in ſua negativa ſemper audacius convaluit, adeò ut neceſſe mihi fuerit, eo inſtante, ab inquiſitione eundem abſolvere. Similis caſus occurrit Hippolyto de Marſiliis, dum erat officialis ducis Mediolani. Iterum ait *Grillandus*, nec dum eſt annus elapſus, quòd audivi alium Romæ poſitum ad torturam, & repetitis vicib. graviter cruciatum, qui verba de lacte Mariæ Virginis ſubmiſſâ voce proferebat, & nullum dolorem pati, ſed cuncta ſpernere videbatur: & dormiebat ſicut alius in tortura, adeò ut à tribus Judicibus, præſente procuratore fiſcali examinatus, nulla unquam ab eo confeſſio extorqueri potuerit, licet correus, & criminis ſocius id fateretur expreſſè, & illum in ſocium nominaret: cujus proceſſum vidi, illumque cognovi. Aliud exemplum, quod ſimiliter in facto accidit mihi Romæ cujuſdam maleficæ mulieris, quæ antequam elevaretur in tortura, verba quædam ſubmiſſâ voce dicebat: deinde elevata ſilebat penitus, veluti mortua, & nigrior apparebat in vultu carbone extincto, oculos extra caput valdè tremendos more illorum, qui ſtrangulantur emittens, & nihil penitus loquebatur, neque boni, neque mali. Ultima autem hæc hiſtoriola minimè noſtro obſtat inſtituto. Nam ſi ex lamiis noſtris illa fuit malefica, quid mirum, ſi diabolus linguam ei faucesque præcluſerit; ne ſcilicet illa ſuam innocentiam probaret, & Dæmonis ludibria detegeret. Superioribus verò exemplis ſimile nuper habuimus Antverpiæ, in carnifice ejus urbis, Antione Gallo: quem quum innumera, eaque notiora flagitia commiſiſſe nemo non ſciret, adigere tamen nullum tormentorum genus, quamvis immane potuit, ea ut confiteretur, in tantam ſtatim ἀκινησίαν ac ſenſuum penè omnium alienationem incidebat. De qua cùm prudentiſſimus Senatus Medicos ordinarios conſuluiſſet, ejuſmodi ſtuporem non niſi pharmacis quibuſdam ſomniferis induci poſſe deprehendit. Niſi hac ratione inducta ſit ea torturæ tolerantia, ut immenſos cruciatus perferret, Deus permittere potuit, quò iiſdem ad reſipiſcentiam tandem cogeretur, vel ut reprobus,

probus, acerbiores dignasque extremè pœnas lueret. Siquidem gladio tandem cæsus est citra ullum pœnitentis animi indicium ebrius, qui multis retrò annis se hominum utriusque sexus innumerorum sanguine inebriarat, quos multivario supplicii genere ob fidei confessionem vita spoliarat. Nonnulli tamen, *ait Grillandus*, dixerunt, quòd adversùs istas conjurationes, & maleficia taciturnitatis reperiuntur remedia quædam, quæ diversis precibus conficiuntur. Ex quibus dicunt, quòd omnes ligaturæ, & maleficia hujusmodi dissolvuntur, & reus gravissima tormenta & cruciatus patitur in corpore: inter alia solent dicere verba illa Prophetæ: *Eructavit cor meum verbum bonum, dicam cuncta opera mea regi. Dominus labia mea aperiat, & os meum annunciabit veritatem:* &, *Confundatur nequitia peccatoris, perdes omnes qui loquuntur mendacium:* &: *Contere brachia iniqui rei, & lingua maligna subvertetur.* Ex quibus verbis, precibus, exorcismis, dicunt maleficia ipsa resolvi, & reum miserabiliter cruciari. Super quibus tamen cogita, quia de virtute ipsorum remediorum non possem quicquam certi attestari, quòd illa nunquam expertus fui, nec per alium experiri hactenus vidi. Ego verò, licèt & D. Grillandus, & mille alii oculis id vidissent suis: tamen virtute sculptorum, fieri nunquam credam. Enimverò fur ille etiam schedula spoliatus nihil adhuc, crudelius licèt distractus, confitebatur: nec submurmurata verba insensibilem habitum inducere queunt. Quare vel somnificâ re assumtâ, aut à Diabolo, qui cum antea pepigisse animo tales, eique se devovisse, & etiam traditos esse necesse est, insensibilitate illata id fieri sentio. *Joan. Vvierus.*

De naturalibus Pharmacis somniferis, quibus interdum illuduntur Lamiæ, de earum Unguentis, & quibusdam Plantis soporiferis, mentemque impensè turbantibus.

CAP. XXV.

INTERDUM Empusæ exornandæ adhibentur etiam naturalia quædam pharmaca, quibus ubi se inunxerint, confricuerintque, ita à fraudulento magistro institutæ, Lamiæ, per caminum mox se evolaturas, ac per aërem longè lateque evagaturas ad tripudia, dulcissima symposia, concubitus, & gratissima rerum spectacula, confidunt: quæ tamen

men per insomnia ipsis ingerit ille Milleartifex, ubi ab inunctione somniferi omnino unguenti, in profundissimum lethargicumque somnum dilabuntur insciæ. Hæc ne somnia videantur, libuit adducere, quid solertissimus occultarum causarum indagator, *Joannes Baptista Porta*, Neapolitanus lib. 2. Magiæ naturalis. scribit: Adeò dira, inquiens, cupido hominum mentes invasit, ut quæ natura mortalium commoditati elargita est, abutantur, ut è multis horum simul coacervatis componant Lamiarum unguenta: quæ quanquam ipsæ superstitionis plurimum admisceant, naturali tamen vi venire patet intuenti, quæque ab eis acceperim, referam. Puerorum pinguedinem in aheneo vase decoquendo ex aqua capiunt, inspissando quod ex elixatione ultimum novissimumque subsidet, inde condunt, continuoque inserviunt usui: cum hac immiscent Eleoselinum Aconitum, frondes populneas, & Fuliginem. Vel aliter sic: Sium, Acorum vulgare, Pentaphyllon, Vespitilionis sanguinem, Solanum somniferum, & oleum (etsi diversa commiscent, ab iis parum dissidebunt) simul conficiunt, partes omnes perungunt, eas antea perfricando, ut rubescant, & revocetur calor, rarumque fiat, quod erat frigore concretum. Ut relaxetur caro, aperianturque pori Adipem adjungunt, vel oleum ipsius vicem subiens, ut succorum vis intro descendat, & fiat potior vegetiorque, id esse in causa non dubium reor. Sic non illuni nocte per aëra deferri videntur, ad convivia, sonos, tripudia, & formosorum juvenum concubitus, quos maximè exoptant: tanta est imaginationis vis, impressionum habitus, ut ferè cerebri pars ea, quæ memorativa dicitur, hujusmodi sit plena: cumque valdè sint ipsæ ad credendum naturæ pronitate felices, sic impressiones capessunt, ut Spiritus immutentur, nil noctu diuque aliud cogitantes: & ad hoc adjuvantur, cùm non vescantur nisi Betis, Radicibus, Castaneis, & leguminibus. Lamiarum quoque unguentum propemodum simile tradit *Cardanus*, post cujus inunctionem mirabilia videri apparet. Nam & de his, quæ non sunt, & tamen videntur, ibi sermo est. Constat pinguedine puerorum, ut dicunt, succisque Apii, Aconiti, Pentaphylli, Solani, ac Fuligine. Sed tamen dormire credunrur, dum hæc vident. Sperare autem sibi videntur theatra, viridaria, cænas, ornatus, vestes, formosos juvenes, reges, magistratus, imò res omnes, quibus delectantur, quibus

etiam

etiam ſe frui arbitrantur. Cernunt item Dæmones, Corvos, carceres, ſolitudinem, tormenta. Hæc igitur ſunt violentorum inſomniorum cauſæ. Hinc etiam illas Apio victitare ait, Caſtaneis, Fabis, Cepis, Caulibus, Phaſeolisque, ſomnos turbulentos cientibus: ſic Magi per ſomnum ferri videntur in diverſas regiones, atque ibi multivariam affici, prout uniuſcujusque fuerit temperies, unguento adjuvante. Cui non abſimile ad inducendum profundum longumque ſomnum, adjungam hic Oleum: R. Sem. lolii, hyoſcyami, cicutæ, papaveris rubri & nigri, lactucæ, portulacæ, ana part. IV. Baccarum ſolani ſomnifici part. j. ex his omnibus fiat oleum ſecundùm artis legem, & pro qualibet unciâ Olei iſtius miſceatur ſcrup. j. Opii Theb. Hinc ſumatur ſcrup. j. vel. j. ſ. & duorum dierum ſubſequatur ſomnus. Liquorem conciliantem mirificè ſomnum ad guttam unam aut alteram exhibitum, imò guttas liquoris, ſomni tot, quot illæ fuêre, horas introducentes, lubens hic adderem: ſed præſtat non duplicari. Ejusmodi quædam ſimplicia puta lolium, faba inverſa, opium, hyoſcyamus, cicuta, papaveris ſpecies, ſolanum furioſum, ſomnificum, mandragora, nymphea, atque id genus reliqua, naturalium rerum peritis non omnino ignota inveniuntur, quibus intellectus, aut aufertur, vel turbatur: ut qui iis utatur, loquendo, audiendo, & reſpondendo amens videatur, vel in ſomnum altiſſimum ad dies etiam aliquot præcipitetur: at eorum uſum, & aquas, vina, pulveres, trochiſcos, olea, aliasque formas hinc conficiendi modum, ſilentio involvere malui, ne iis abutendi anſam alicui ſubminiſtraſſe videar. *Vvierus.*

Dæmon ut reſponſum dare videatur.

CAP. XXVI.

DÆMON reſponſa dabit hac ratione. Fit ſtatua parva ex orichalco coronati viri, aureâ veſte, cum cornibus in capite, facie, pedibus ac manibus nigris, pedes ac manus gryphis. Huic imagini ſceptrum ex ferro diligenter inaurato, ac virib. magnetis imbuto in dextra manu collocetur. Sedeat imago hæc ſuper ſolio ex ære ſplendenti aut cœruleo. Toti fabricæ vitrum in forma columnæ circumponatur, ut quandoque talem in manibus habuerim ſolidum, vel ſi placet inane, & ſolum ſolio vitrum jungatur. Inde ſuſpendatur machina tenui filo ad perpendiculum, ut pro arbitrio poſſit

circumvolvi. Deinde in cacumine elegantis virgæ conſtituto occultè fruſto Magnetis virgâ motâ ad partes, interrogetur imago. Pulchræ virgæ ignotæ, notæ ad characteres tum figuræ adjiciuntur. Poteſt & Magnes annulo aureo abſcondi. Eodem exemplo ſtatuam ſuper altare collocabimus è leviſſima materia, atque in ea ferrum Magnete imbutum, lapis autem Magnes ea parte muri collocetur, ut cùm ferrum illum reſpiciat, facies imaginis convertatur ad ſacrificium. Veriſimile autem eſt, talibus technis, nondum hominibus adeò ſolertibus, ſacerdotes antiquos plebi ignaræ ſæpius illuſiſſe. *Cardanus.*

Statua quæ quò libet ferri videtur.

CAP. XXVII.

ACCEDIT his tot præclaris dotibus, quòd Magnes ſub tabula poſitus, ferrum ſuper tabulam in æquilibrio poſitum, quanquam interpoſitâ tabulâ, celerrimè circumagit, non ſine levi aſtantium admiratione. Unde pelvis lignea aquâ plena ſuperponitur, in eâ navicula collocatur, tenuiſſimis tabellis compaginata, ſine ferro, ſed glutine tantùm: in prora muliercula formoſa flexa remo naviculam agens, ita ut illius naviculæ motu remus moveatur, & cum eo mulieris imago: ſub pede poſtremo mulieris claviculus lato capite, cujus pars illa latior pileus vocata promineat è tabula, ſic figatur, ut lateat ſub prora, nec tamen aquam tangat: optimi tandem Magnetis fruſtulum capiti virgæ ligneæ ex abiete, vel cornu inſeratur, quâ circumdatur lapis ipſe ſub tabula poſitus, atque ſic ſuppoſito Magnete clavi capiti producetur navis lapidis motu quocunque voles, videbiturque his, qui virgam non poſſunt conſpicere, imago illa quaſi animata, navim quocunque velis circumagere ac ducere, audienti quidem ac remiganti ſimilis: non igitur materia ipſa tranſit, ſed aliquid ſpiritui ſimile: nam tabula impediret motum, cùm corpora ſe invicem nequeant penetrare. *Cardanus.*

Statua quæ tangentes occidebat.

CAP. XXVIII.

MIRABILE dictu eſt, quod à Boëtio recitatur: inquit enim. Cùm Chennetus rex Cruthlintum Fenellæ filium occidiſſet, tum etiam Malcolmum Duffum Regem,

Regem, & affinem Fenellæ, ille ſtatuam mira arte fabricari juſſit, in cujus manu pomum aureum gemmis nobilioribus refertum erat, quod quum quiſquam tetigiſſet, qui tangebat, ſtatim multis jaculis confoſſus, interitum ſibi accerſeret. Eo igitur dolo Regem nil ſuſpicantem, invitatum in Fetircarii oppido occidit. Cumque paratis equis ad portum primum, inde in Hiberniam ſe tranſtulit evaſitque. Nuper intellexi, quendam furem machina cœpiſſe, dum loculos expilare conaretur: nam machina vinculis firmioribus, veſti juncta erat. *Cardanus.*

Statua, quæ Solem ſemper reſpicit.

CAP. XXIX.

MEMINI me legiſſe, in Apis æde ſimulacrum Dæmonis fuiſſe, quod faciem in quamcunque partem Sol declinaret, verteret; id nobis in quacumque ſtatua imitari non erit difficile, ſi ad horologii rationem animadverteris occultis vectibus ac mola, ut vocant: quod ſpectaculum videre jucundius, quàm rationem conficiendi ſcriptam legiſſe. *Cardanus.*

De Auguriis.

CAP. XXX.

PRIMA quæque auſpicia in operis cujuſque initio accipienda ſunt: ut ſi veſtem tuam in initio operis à ſoricibus corroſam ſenſeris, deſine ab inceptis: ſi egrediens offenderis in limine, aut in via impegeris pedem, continentur: ſi quid mali ominis in principio negotiorum tuorum tibi occurrerit, differ inchoata, ne vel tota intentio fruſtretur, aut inutiliter compleatur: ſed expecta donec omine meliore fauſtam agendis arripias horam. Videmus animalia permulta ex vi quadam ipſis à natura inſita, præſtigioſa atque fatidica, nonne gallus cantu horas ſolertiſſimè indicat, & alis apertis leonem fugat? aves quamplures cantu & garritu, muſcæ acri punctura pluviam prænuntiant: & delphines crebris ſupra aquas ſaltibus tempeſtates præcurrunt. Longum eſſet retexere omnia præſagia quæ ex avibus, & animalibus didicêre Phrygii, Cilices, Arabes, Umbri, Tuſci, & alii populi, qui auguria ſecuti ſunt, quæ per illos multis experimentis & exemplis comprobata ſunt. In omnibus namque ſunt abſcondita futurorum oracula: maxima autem quæque tibi aves ominales prænunciabunt: Hæ

ſunt quæ ex hominibus in aves converſas eſſe referunt Poëtæ. Itaque quid cornix loquatur, diligenter auſculta, ſitumque ejus ſedentis, aut volantis à dextris an à ſiniſtris, loquax an clamoſa, an ſilens, præcedat an ſequatur, transmurísve expectet adventum, an fugiat, quóve diſcedat, omnia diligenter attende. Dicit Orus Apollo in Hieroglyphicis: Geminæ Cornices nuptias ſignificant, quoniam hoc animal duo ova parit, ex quibus marem & fœminam generari oportet: ſi autem, quod rariſſimè evenit, duo mares generentur, aut duæ fœminæ, jugatæ mares cum fœminis alteri Cornici non admiſcentur: itidem neque fœminæ alteri mari, ſed diſſociatæ, ſolæ degunt. Ideò unicæ Cornici occurrentes augurantur futurum, ut viduali vitâ ſibi vivendum ſit. Idem etiam portendit Columba nigra: hæc enim poſt maris interitum ſemper ſola degit. Corvos autem non minore diligentiâ obſervabis: hos namque rebus majoribus præferri, & Cornici præviduare dicunt: & ſenſit *Epictetus* Stoicus Philoſophus, & gravis author, ſi cui Corvus adverſim crocitaret, vel corpori, vel fortunæ, vel honori, vel uxori, aut natis adverſa portendere. Deinde Cygnos, qui aquarum ſecreta prænoſcunt conſiderabis: eorum namque hilaritas non modò nautis, ſed quibuſque præterea peregrinantibus felices præſagiunt eventus, niſi fortioris ſuperentur ſuperventu, ut puta Aquilæ, quæ potentiſſima imperii ſui majeſtate omnium avium fidem, ſi contrà loquatur, evacuat: cunctis ſiquidem avibus altius volat, profundiusque perſpicit, & ab ipſius Jovis arcano nunquam excluditur: altitudinem & victoriam, ſed per ſanguinem portendit: quia non aquam, ſed ſanguinem bibit. Locrenſibus adverſùs Crotonienſes dimicantibus, aquila ſupervolans contulit victoriam: Hieroni ad prima bella egredienti, Aquila ex improviſo reſidens in clypeo regem illum futurum prænunciavit. Naſcente Alexandro Macedone duæ Aquilæ tota die ſupra domum ſedentes omen duplicis imperii Aſiæ & Europæ ei portenderunt. Eadem Lucio Tarquinio Priſco, Demarathi Corinthii filio, ob ſeditionem domo profugo, & in Hetruriam profecto Romamque petenti, pileum auferens, ac altè volans rurſum capiti reponens, Romanorum regnum illi portendit. Jam verò & Vultures ſignificant difficultatem, duritiem, & rapacitatem, quod in origine Urbis condendæ experientiâ verificatum eſt: futuræ quoque ſtragis loca oſtendunt ſeptem diebus præ-

prævenientes: & quoniam in eam partem reſpiciunt, in qua altera pars inferior futura eſt, tanquam inhians occidendorum majori numero, ideò ſolebant antiqui Reges ſpeculatores mittere, qui renuntiarent, quam in partem verſi reſpicerent Vultures. Phœnix autem ſingularis felicitatis ſucceſſus pollicetur, quo viſo nova Roma melioribus auſpiciis condita eſt. Pellicanus, quia filiorum causâ periclitatur, ſignificat hominem amicitiæ ſuæ pietate ſubiturum diſcrimen. Picta avis Pictanorum ubi nomen dedit, ac gentis levitatem colore, & voce præfiguravit. Ardea rerum arduarum auſpicium eſt. Ciconia, concordiæ avis, concordiam facit. Grues à gruere antiquo verbo, quaſi congruere dicti, ſemper adferunt, quod expedit, atque inimicorum inſidias cavere faciunt. Cucupha gratitudinem indicat: ſola enim hæc parentibus ſenio confectis gratiam refert: contrà Hippopotamus parricida, ingratitudinem meritorum omnium & veram injuſtitiam nunciat. Origis avis invidioſiſſima invidiam ſignificat. Jamque etiam ex minoribus avibus Pica loquax, hoſpites nunciat: Albanellus prætervolans, ſi à ſiniſtris ad dextram feratur, hoſpitii hilaritatem, ſi contrario contrarium indicat. Strix avis ſemper infauſta eſt, & etiam Noctua: quæ quia noctu ex improviſo aggreditur pullos, quemadmodum mors de improviſo ſupervenit, ideo mortem prænuntiare dicitur, nonnunquam tamen quia noctis tenebris non cæcatur, hominis diligentiam, & vigilantiam ſignificat, quòd reſidens in Hieronis haſta comprobavit.

Bubonum verò Dido dum miſeretur Æneæ,
Infauſtum ſenſit——
inde cecinit Poëta.
Solaque culminibus ferali carmine bubo
Sæpè queri & longas in fletum ducere voces. & alibi:
Ignavus bubo dirum mortalibus omen.

Idem in Capitolio cecinit, quum res Romana apud Numantiam inferior fuit, atque quum Fregellæ ob factam in Romanos conjurationem ſunt dirutæ. Inquit Almadel, Bubones & Nycticoraces cùm ad inſolitas regiones manſionesque divertunt, indicio eſſe earundem regionum, & ædium homines morituros, propterea quòd aves illæ delectantur cadaveribus, easque præſentiunt: morituri autem homines, jam poteſtate cadavera ſunt. Sed & de Accipitre litis prænuntio canit *Naſo:*

Odimus accipitrem, quia vivit ſemper in armis.

Lælius Pompeji legatus in Hiſpania inter pabulatores occiditur, id fatum accipiter ſupra caput volitans, ſibi prænunciaſſe dicitur. Et inquit Almadel, quòd ejuſdem ſpeciei aves inter ſe pugnantes, regni mutationem ſignificant: ſi verò ſpecie diverſæ contra ſe invicem bellum gerant, & quæ amplius non viſæ conveniant, novam regionis illius fortunam portendunt. Minutulæ etiam aves, adventu vel receſſu ſuo familiam augeri, vel minui portendunt: earum verò volatus quantò ſerenior, tantò laudabilior. Unde *Melampus* augur, ex aviculis Græcorum ſtragem conjecit, quando ait: Vides ut nulla ſerenos ales agit curſus Hirundines, quoniam moribundæ pullis latebras parant. patrimonium amplum, vel à mortuis legatum portendunt. Veſpertilio fugienti occurrens, evaſionem ſignificat: nam ipſa licèt pennas non habeat, tamen evolat. Paſſer autem fugienti malum omen eſt, ipſe enim accipitrem fugiens ad noctuam percurrit, apud quam æquè periclitatur: tamen in amoribus boni auſpicii eſt: ſiquidem libidine concitus, ſepties in hora coit. Apes regibus bona omina ſunt: nam populum obſequentem monſtrant: muſcæ verò importunitatem & impudentiam ſignificant, quia ſæpius abactæ, continuò nihilominùs redèunt. Aves etiam domeſticæ auguriorum non ſunt expertes: nam galli cantu ſuo ſpem & iter inchoantis promovent. Quin & Tiberio naſcituro prægnans Livia mater ovum gallinæ ſubductum, eouſque ſinu ſuo fovit, donec gallus inſigniter criſtatus excluſus eſt, unde augures interpretati ſunt, naſciturum puerum fore regnaturum. Et ſcribit *Cicero* apud Thebaidam gallos gallinaceos canendo totis noctibus Beotiis, adversùs Lacedæmones præſagiiſſe victoriam: quòd augures ita interpretati ſunt, quoniam avis illa victa ſilet, canit autem ſi vicerit. Simili ratione etiam ab animalibus, & beſtiis eventuum omina capiuntur: nam occurſus muſtelæ ominoſus eſt. Leporis occurſus, itineranti timendus eſt, niſi captum cœperit. Mulus quoque infenſus eſt, quia ſterilis eſt. Porcus verò pernicioſus, talis eſt enim ejus natura, ideò pernicioſos homines ſignificat. Equus jurgiorum & pugnæ rationem habet: Unde apud Virgilium viſis equis albis exclamat Anchiſes:

—— Bellum ô terra hoſpita portas.
Bello armantur equi, bella hæc armenta minantur.

Tamen

Tamen quando currui juncti occurrunt, quia concordi jugo trahunt, pacem ſignificant ſperandam. Aſinus inutilis eſt: profuit tamen Mario, qui cùm hoſtis patriæ pronuntiatus, vidit aſinum oblatum pabulum ſpernentem, ad aquam properantem, quo augurio oſtenſam ſibi ſalutis viam ratus, auxiliarem amicorum turbam, oravit, hoc unum auxilii genus exhiberent, & ſe ad mare conducerent: quo impetrato, parvæ ſuperimpoſitus carinæ, Syllæ victoris minas evaſit: utcunque tamen aſellus in augurio occurrat, ſemper laborem, patientiam, impedimenta ſignificat. Lupus verò obvius bonus nuncius eſt, cujus efficacia viſa eſt in Hierone Siculo, cui lupus in literario ludo tabulam eripiens ſucceſſum regni firmavit: tamen ejus, quem ante viderit vocem præludit. P. Africano & C. Fulvio Coſſ. Minturnis lupus vigilem laniavit, quando Rom. exercitus in Sicilia à fugitivis ſuperatur. Quin & perfidos ſignificat fidei homines: quod eſt in Romuli progenie: nam fides quam à matre lupa olim ſuxerunt, & ſibi invicem ab initio ſervaverunt, velut lege quadam naturæ, manavit ad poſteros. Leoni occurrere, cùm ſit hoc animal inter cætera fortiſſimum, omnibus terrorem incutiens, bonum eſt: ſed leænam mulieri occurrere, malum eſt, quia conceptum impedit, nam leæna non parit ſecundariò. Ovibus & capris occurſare bonum eſt. Legitur quoque in oſtentario Tuſcorum ſi hoc animal inſolito colore fuerit indutum, portendi Imperatori rerum omnium cum felicitate largitatem: Unde *Virgilius* ad Pollionem canit:

Ipſa ſed in pratis aries jam ſuave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto.

Bonum etiam, occurrere bobus triturantibus, ſed melius arantibus, qui etſi viam rumpentes iter tardant, moram tamen hanc auſpicii gratia compenſant. Canis in itinere fauſtus eſt, quòd Cyrus expoſitus in ſylvis, à cane ad regnum enutritus eſt: quem & Angelus, Tobiæ ſocius, non eſt aſpernatus comitem. Caſtor quia venatoribus teſticulos ſuos demordens abjectos relinquit, mali ominis eſt & homini, ſibi ipſi damnum illaturum portendit. Jamque etiam ex minutis animalibus mures damnum ſignificant: qui cùm in Capitolio aurum roſerunt, eodem die ambo conſules juxta Tarentum inſidiis ab Annibale intercepti ſunt. Locuſta quaſi loco ſtare faciens, aut loca exurens, vota præpedit, & mali ominis eſt: contrà cicadæ iter

propo-

proponent, & bonum rerum nunciant eventum. Aranea à ſuperioribus filum ducens, ſpem venturæ pecuniæ nunciare dicitur. Similiter & Formicæ, quia nôrunt ſibi providere, & tutas parare latebras, ideò ſecuritatem, & divitias portendunt, multitudinisque excercitum ſignificant. Hinc cùm Tiberii Cæſaris manſuefactum Draconem Formicæ devoraſſent, reſponſum fuit, ut caverent multitudinis tumultum. Si tibi occurrat Anguis, cave à maledico inimico: nam hoc animal nullo alio membro pollet, quàm ore. Anguis in Regiam irrepens Tarquinio caſum ſuum augurata eſt. Duo angues in lecto Sempronii Gracchi reperti ſunt: dictum illi ab aruſpice, ſi marem aut fœmellam emitteret, aut ſibi aut uxori brevi moriendum: ille uxoris vitam ſuæ præferens, occiſo mare fœmellam emiſit, paucisque pòſt diebus vitâ exceſſit. Sic Vipera mulieres pravas ſceleſtosque filios ſignificat, omnibus infenſa, hæc enim ſeorſum ab aliis piſcibus degit, nec juncta cum aliis invenitur. Inter omnia autem auſpicia & omina, nullum homine efficacius eſt, nullum potentius, nullum quod evidentius veritatem exponat: ejus igitur occurſanti conditionem, ætatem, ſexum, profeſſionem, ſitum, geſtum, motum, excercitium, complexionem, habitum, nomen, verba ſermonemque, omnia diligenter notabis, & requires: nam cùm cæteris animalibus tam multa inſunt præſagiorum lumina, non dubium eſt, hæc multò efficaciora clarioraque humanæ animæ eſſe infuſa, quod & *Tullius* ipſe teſtatur, *inquiens*, humanis animis naturaliter quoddam auſpicium ineſſe ſuæ æternitatis, ad omnes rerum ſeries, & cauſas cognoſcendas. In fundamentis Romanæ urbis caput hominis integrâ facie repertum, magnitudinem imperii præſagivit, & monti Capitolii nomen indidit. Brutiani milites contra Octavium, & M. Antonium præliaturi in caſtrorum porta Æthiopem offenderunt: quem licèt, ut adverſæ rei augurium illicò trucidarent, tamen infeliciter pugnatum eſt, atque Brutus & Caſſius ambo duces interière. Ipſe etiam monachorum occurſus vulgò ominoſus habetur, magis autem ſi matutinus fuerit: quia id hominum genus plurimum è mortuario veluti vultures ex morticiniis victitat. *Agrippa.*

Lapides futura præcognoſcere faciunt.

Ex his manifeſtum eſt, lapides aliquos eſſe qui ſub lingua detenti, aut collo appenſi, aut geſtati in annulo, homi-

nem

nem ad divinandum futura ac rectè prævidendum inducant. Quinque autem ad hoc ſunt neceſſaria. Primus ut homo is, naturalis ſit. Sunt autem tales veridici, moderati, & ſub aſtro Veneris nati. Secundùm, ut eâ ætate, & tempore aſtrum illud dominetur. Cognoſcetur autem id ex cogitationibus, ſi veræ aut falſæ ſint, tum etiam ex ſomniis. Tertium, ut lapis is moveat enthuſiaſmum, id eſt, religionem in animo cientem. Quartum, ut genere congruat cum aſtro, veritatem ſignificante. Quintum ut etiam ipſe propriè in hoc ſit efficax. Quòd ſi eo aſtro dominante appendatur, forſan magis etiam proficiet. *Cardanus.*

Ad divinandum.

Sic legimus, antiquos certis rebus naturalibus ſæpè divinum aliquod & mirandum ſuſcipere ſolitos: ſic lapis, qui naſcitur in pupilla oculorum Hyænæ ſub lingua retentus, divinationem præſtare dicitur. Idem fertur Selenites ſeu lapis lunaris efficere: ſic Anchitide dicunt evocari imagines Deorum, ſynochitide umbras inferorum evocatas teneri: Similia Aglaoptis herba, quæ & Marmoritides vocatur, in marmoribus Arabiæ naſcens Perſico latere, efficit, ut narrat Plinius, atque magos eâ uti, cùm velint Deos evocare, eſſeque herbam theangelidam nomine, quâ potâ Magi divinent. *Agrippa.*

Ad divinandum ejuſdem.

Vaticinaturo adhiberi ſolent ſuffumigationes ad phantaſiam afficiendam, quæ quidem certis numinibus conſentaneæ ad divinam inſpirationem ſuſcipiendam nos accommodant: ſic dicunt, quòd ſuffitus ex ſemine Lini, & ſemine Pſyllii, & radicibus Violæ & Apii, facit videre res futuras, & confert ad prophetiam.

DE SECRETIS GEOMETRICIS.
CAP. XXXI.

Ad terræ ambitum inveniendum.

SIC Mathematici terræ totius ambitum ac dimetientem invenerunt. Vel enim per Lunæ defectus horarum diſtantiam in eodem circulo æquinoctiali æquè diſtanti cognoverunt: quâ habitâ, terreno itinere differentiam locorum

corum ſunt aſſecuti: nam per 24. unius diei multiplicando, & per horas diſtantiæ defectus lunaris dividendo, ambitum circuli illius invenerunt: inde demonſtratione Geometricâ ambitum æquinoctii circuli maximiq́ue, ac totius terræ, quem per ſeptem multiplicando, & per 22. dividendo, dimetientem terræ ſatis exquiſitâ ratione ſunt conſecuti. Vel procedendo ab Auſtro rectâ ad Boream, altitudinem poli unâ parte auxerunt. Metiti autem viam M. paſſuum LXXXVII. ac D. invenêre Italica. His enim nunc diſtantias locorum metimur, non paſſibus Ptolomæi. Ergo ductis LXXXVII. M. paſſuum & D. per partes cœli CCCLX. nam in totidem dividitur, paſſuum M. habebimus XXXI. M. & D. inſuper. Terræ totius ambitum hunc ſi per ſeptem multiplicamus, & per 22. diviſerimus, erit terræ dimetiens paſſuum MXM. XXII. Sed in his velle ad amuſſim certam quærere quantitatem ſtultum eſt. Dicamus igitur dimetientem terræ ſubductis 22. eſſe M. paſſuum decies mille. At qui navigant multis erroribus acti, ſinuoſumq́ue non rectum agentes iter etiam ſponte, tum incertò ac vario ventorum impetu decepti, multò majorem ambitum terræ ſcripſerunt. Sed hæc ratio, ut veriſſima eſt, ita etiam maximè certo conſentit experimento: juvitq́ue multum Hiſpanos, qui cùm tam diuturnum iter, longum terræ magnitudini repugnare intelligerent, diligenti ratione metiti errorem, illud fermè ad tertiam partem tum ſpacii tum temporis contraxêre. *Cardanus.*

Hora diei Sole lucente quomodo habeatur.

Horam diei Sole lucente, quocunque tempore ſic habebis. Dorſum Soli obverte, ſed ut extento brachio, & manu ſiniſtrâ, polliceq́ue ſuper indicem collocato umbra ſtyli exigua in palmam cadat, tunc ſtylum ſub junctura pollicis colloca, & ad perpendiculum ſuperficiei palmæ conſidera umbram: nam ſi cadit ubi index manui jungitur, 24. eſt, aut octava: ſi in illius ſummo, 23. vel nona: ſi in medii digiti apice, 22. aut 10. ſi in annularis vertice, 21. aut undecima: ſi in vertice minimi, vigeſima, vel duodecima: Si in ultima junctura, decimanona, vel decimatertia. Si in ſecunda ejuſdem junctura, decimaoctava, vel decimaquarta: ſi in radice, ubi manui jungitur, decimaſeptima, vel decimaquinta: in lineæ menſalis initio, decimaſexta. Hanc tamen obſervationem ad craſſam Minervam, ut dici ſolet, pertinere haud obſcurum eſt. *Idem.*

Sphæra

Sphæra ſolida geographica.

Si cui deſiderium deſcribendi Orbis in Sphæra fuerit, id facilè ac belliſſimè ex Ptolomæi verbis quinque dierum labore ſic perficiet. Sphæram æneam exactè rotundam primùm ſic fabricabis, æneum ſemicirculum ſecundùm quantitatem diametri confice, ac Sphæræ omni ex parte applica: ſi ſemper undequaque contingat, exactè rotunda eſt; ubi ſuper exceſſerint, tantundem detrahendum; ubi defeceris, adjiciendum: cùm verò exquiſitè rotunda facta fuerit, utrâque parte copulato: orbiculisque infigito, ut neque nimis molliter, nec aſpera nimiùm circumvolvatur: pòſt æquinoctialem circulum, ex auro tenuiſſimum, æqualiter à polis diſtantem ſumma cum diligentia deſcribe, atque divides per 360. æquas portiones, ita unicuique parti punctus, omnibus autem quinque partibus numerus per quinarium ſuperactus aſcribatur: ſic & ſemicirculum immobilem ſphæræ æqualiter cohærentem ejus ſedili ita affigemus, ut per ſphæræ motum immobilis maneat: atque ita eum dividimus, ut ubi æquinoctialem ad perpendiculum ſecat, ab eo puncto 90. partes æquales diſtinguantur inter utrumque polum, ita ut totus ſemicirculus in 180. partes ſit diviſus, punctis ſingulis, numeris autem quibuslibet quinariis diſtributis, ita ut numeri ab æquinoctiali incipientes, in utramque partem ad nonaginta ſectiones verſùs polos terminentur. Cùm igitur loca inſcribere volueris, numerum longitudinis in æquinoctiali quærito, ac ipſum (ſphæram volvendo) meridiano ſubjicito, latitudine autem loci in ipſo meridiano, ſive citra, ſive ultra per gradus partesque eorum inventâ, in ejus directo punctum ſignabis pro loci magnitudine: atque in ſingulis perficies. Per omnes autem quinque gradus æquinoctialis ad meridianum immobilem adductos meridianos à polo ad polum deduces, qui circuli XXXVI. erunt: eos autem præacutâ ſtyli acie lineabis, ſimiliter & parallelos, & climatum initia atque fines, in utraque ſphæræ medietate ad Meridiani gradum firmiter adhærente, ac circumvoluta ſphæra, donec ad primum punctum redierit, abradente ſtylo conſcribes. His peractis, omnes circulos aureos, atque exiles admodum depinges, climatum exceptis, qui non æquè tenuiores habebuntur: maria ac flumina cæruleo, civitates & oppida rubeo, montes argenteo, colles ſylvæque viri-

viridi: ſolum terrarum glauco diſtinguetur, nomina nigro ſuperadde. Unum autem animadvertere oportet, ut cunei typíve locorum triplici ſint magnitudine diſtincta, maximo metropolis, medio civitates, minimo oppida deſignabuntur: quòd ſi & Principum dominia diſtinguere libeat, filo ambitum ejus viridi cinge: illud autem maximè in mente habendum eſt, ut noviſſimis, & caſtigatiſſimis commentariis utaris, atque decenti magnitudine, ea autem eſt, ut maximus circulus, hominis longitudinem æquet. *Cardanus.*

Quatuor ponderibus omnia perpendi pondera.

Si quis petat quatuor ponderibus tantum omnia perpendi pondera, quæ ſunt ab uno uſque ad 40. ita ut non opus ſit aliis ponderibus: Id efficies, ſi unum pondus ſit unius libræ, ſecundum trium, tertium 9. quartum 27. His enim potes omnia emetiri pondera ab uno ad 40. Ut ſi velis efficere 21. libras, pone in altera bilance 27. & 3. in altera verò 9. Si 20. libras petis, pone in altera 27. & 3. in altera 9. & 1. Eadem ratione licebit quinque ponderibus perpendere omnia pondera ab uno ad 121. uſque, ſcilicet 1. 3. 9. 27. 81. Idem per 6. ad 394. ſcilicet 1. 3. 9. 27. 81. 243. *Gemma Friſius.*

DE SECRETIS ARITHMETICIS.

CAP. XXXII.

Numerum indicare aliquem, quem aliquis concepit.

CONCEPIT quidam numerum aliquem, quem ut indices, ita agito. Jube eum triplare conceptum animo numerum, triplum mediare, deinde quotientem rurſus triplare, triplum hoc rurſus mediare. At ſi in priori mediatione impar fuerit numerus triplus (id enim inquirendum eſt) tum jube illum parem ex eo facere additione unitatis, ac deinde mediet, tum verò ex hac additione 1. recidat, idem jubebis eum facere, ſed tibi 2. ſervabis: deinde jube illum abjicere 9. quoties poteſt ex ultimo tuo numero, tu verò toties 4. numerabis, ac deinde abjicies ſi quid ſervaveris. Ut cogitaverit quiſpiam 7. id tripla, erunt 21.

fiunt

fiunt 22. ea medietas, ſunt 11. tu verò retine 1. deinde jube ut rurſus triplet 11. fiunt 33. ea rurſus mediari non poſſunt. niſi unitate adjectâ, ita erunt 34. dimidium 17. valet: tu verò 2. hic collige, jam jube illum adjicere 4. quoties poteſt: verùm quoniam tantùm ſemel id licet 4. colliges: de reliquo nihil inquires, ſi pro rata 3. tibi ſervaveras, quæ cum 4. addita 7. faciunt. *Gemma Friſius.*

Rem abſconditam indicare alicui.

Si tres diverſæ res abſcondantur à tribus diverſis perſonis, tu verò per Arithmeticam, tanquam divinus vates unicuique dicere velis, quam abſconderit rem, ita agito: Sint tres res a b c. animo tuo ſignatæ, vero ordine animo tuo hæreant, primus, ſecundus, tertius, priuſquam res abſcondant, pone in medium 24. projectiles, ex his da primo 1. in manu, ſecundo 2. tertio 3. deinde colloca tres res ordine, & dic illis, ubi abiero, tum ſinguli unam ex his rebus quancunque velint, abſcondant, ſed eâ lege, ut qui abſconderit a. capiat ex 18. projectilibus relictis adhuc tot projectiles, quot habet is ipſe in manu. Qui verò b. abſconderit, duplum capiat, qui tantundem, c. quadruplum. Reliquum verò in menſa aut loco aperto relinquant. Hinc tribus rebus & perſonis pro ordine memoriæ infixis, ſecedat, quouſque res abſconderint ac rationem inierint. Tum reverſus inſpice reſiduos in tabula projectiles, qui perpetuò aut eſt 1. aut 3. aut 5. aut 6. aut 7. Si igitur unus tantùm fuerit, tum primus abſcondit a. 2. b. 3. c. Si duo tum primus abſcondit b. ſecundus a. tertius c. Reliquos ex Tabella annexa intelliges modos. *Idem.*

Reſidui Projectiles	Perſonæ	Res
1	1	a
	2	b
	3	c
2	1	b
	2	a
	3	c

	1	a
3	2	c
	3	b
	1	b
5	2	c
	3	a
	1	c
6	2	a
	3	b
	1	c
7	2	b
	3	a

De ſitu orbis inveſtigando, ac in certam terræ partem dirigendo navis ædificio per ſtellam viſam: nec non de locorum diſtantia veſtiganda ratione geometrica.

Situm alicujus loci ad quem inſtituenda ſit profectio, tum in anteriore Aſtrolabii facie, tum in tergo commonſtrare facillimum eſt: ut ſupervacaneum fortaſſe ſit multa hac de re verba fundere. Siquidem in dorſo Aſtrolabii perſpecta ejuſque utrunque navigationis terminum intercedit longitudinis differentia, numeratur in gradibus limbi ab ipſa meridiani linea ortum vel occaſum verſùs, pro alterius Regionis ſitu, fini applicetur dioptra: jamque in dioptræ ſpacio numeretur, & facie poli ab æquinoctiali centrum verſùs, nec mora in ſubjecto organi ſuper locum quæſitum commonſtrabit latitudinis ſupputatæ terminus. Ut itaque itineris inſtituti paulò certior evadam, præſertim ventorum dextræque auræ præſidio deſtitutus: Sic agito, cognitâ horâ loci tui applicabis illi ſolarem locum, idque dioptræ ſuperincumbentis indito, ac ſic ſtante reti, eadem linea relata ad punctum adeundæ regionis, jam antea deſignatum, monſtrabit illicò ſi qua ejus loci ſtella circulum meridianum contingat, aut etiam rectà ſupra caput feratur: unde hanc ſtellam tibi tanquam viæ rectricem ob oculos pone eò velum, gubernaculum omne convertito. Si enim forte fortuna inſigne aliquod ſi-

dus

dus in ipsorum Zenith consistit, jam quasi Mercurii statuam ingredi via tibi quæ digito signet. Sin verò meridianum ejus loci pertingat, sed à Zenith aliquatenus in latitudinem evariet, est tibi utriusque & stellæ spectatæ, & ipsius loci Zenith expiscanda altitudinum diversitas. Itaque si animo tuo, atque oculis quasi circulum ingentem concipias, qui per polos & stellam visam extendatur, atque in illo (quanquam difficile sit) hujus differentiæ portionem imagineris, invenies cœli locum, licèt fortasse non aliqua stella illustrem. Qui tamen recta linea inter stellam antea repertam & polum referatur. Itaque & ipsum regionis locum sideri substratum quasi oculo sortitus es, idque pro præsenti temporis puncto. Ac licèt non usque adeò exactum, insigne tamen habens profectionis compendium, quandoquidem nec in amussi consistit nautis viæ vestigandæ artificium: sed singulis horis cogitandum est aliud atque aliud cœli punctum, huic regioni in caput impendere ac proin assiduè juxta horarum numerum transactum versandum est rectè cum Zodiaco. Verùm hæc de navigatione nocturna. Interdiu, cùm astrorum ignes Phebeis radiis obtunduntur, sol tibi signa dabit: ex solis altitudine, quæratur loci latitudo: ea nos per æquatoris parallelum dirigat, dum perficiendo longitudinis differentiæ marina milliaria ex ratione correspondeant. Cumque eo differentiæ perduxeris quem sibi locus adeundus vindicarit, scito te in ejus meridiano jam versari. Verùm nunc per ipsum tecta sursum vel deorsum dirigenda navis est, dum & loci latitudo per instrumentum accepta latitudini olim perspectæ conveniat. *Tantæ molis erat ventis dare vela siniſtris.* Utque obiter agnoscas, quantum hoc angulo recto circuitionis fiat. Dabitur id ex penultima primi lib. Euclidis. Nam si utriusque & longitudinis & latitudinis differentiæ multiplicetur arcus in se quadratæ ac productæ per additionem in unum colligantur. Summæ verò quæratur radix quadrata, ea significat itineris conficiundi longitudinem per gradus æquales his, qui sunt in parallelo proximi. Ea enim quæ passim traditur milliarium ratio ad æquatoris gradus circa ejus solius ambitum satis sincera creditur: Ut nimirum pro milliaribus Italicis ea distantia ducatur in 60. pro Germanis in 15. pro Suevis in 12. nam non nisi

ad latitudinem 18. graduum doctrina hæc locum obtineret, ſed exactior hujus rei ratio dabitur ſuo loco. *Gemma Friſius.*

Quomodo viæ diſtantiâ cognitâ, locorum longitudo & latitudo cognoſcatur.

Propriè autem ut cùm per meteoroſcopium cognitâ loci diſtantiâ, ſcimus illius longitudinem, ac latitudinem: vel cognitâ diſtantiâ, & latitudine, longitudinem cognoſcimus. Sit igitur Meridiei circulus AEBF. fixus ſuper pede A M. In eo poli fingantur K F. & vertex tuus E. Alius circulus immobilis æquinoctii ABCD. fixus ſuper pedem A M. ad rectos angulos ſecans priorem circulum, & in ipſis polis F. & K. per paxillos verſatilis. Alius etiam in vertice paxillus verſatilis CEDL. Sit igitur diſtantia E N. nota rectaque, numerentur autem diviſis ſingulis circulis ex his in partes ter mille ſexcentas, partes illæ in C E D. per E N.



& conſtituatur CND. ſuper viam rectam ex civitate tua in N. locum & ubi punctus N. cadit ducatur GKHF. circulus mobilis meridiei, habebis igitur per arcum K N. latitudi-

titudinem loci, ſeu poli elevationem, & per G. C. differentiam longitudinis loci N. à tua urbe: cumque longitudo urbis tuæ jam nota ſit, erit & longitudo N. Quòd ſi altitudo N. nota fuerit, & iter rectum E N. circumductis circulis C E D. & N H. donec occurrant extrema arcuum E N. diſtantiæ rectæ, & K N. notæ altitudinis loci N. in unum, fiet arcus tunc G C. notus, differentia ſcilicet longitudinis loci N. à patria tua. Manifeſtum eſt autem quòd contrariâ ratione habitis longitudinibus & latitudinibus locorum, diſtantia quoque cognita erit. Quòd ſi velis, ut inſtrumentum unicuique ſerviat regioni, facies paxillos E L. mobiles in circulo meridiei, A K B F. ut ſub quacunque altitudine collocari vertex tuus poſſit. Porrò diviſiones ſingulas denas conſpicuè, & in quinas minus, inde in quinquagenas aureo colore, ut diſtinguantur diligenter, velut in ſtateris. Numerus autem neceſſarius non eſt, quia ubique principium ſtatuere oportet. *Idem.*

Navim quomodo, quot paſſuum M. exegerit, vel plauſtrum, deprehendamus.

Cùm currum aut navim facere volumus, quæ quot M. paſſuum exegerit nos doceat. Rota cujus ambitus ſit pedum duodecim cum dimidio: atque tympanum circa axem cum denticulo, qui ubi rota verſa fuerit rotæ occurrens CCCC. dentium, unum ex illis transferat. Ita perfectis CCCC. revolutionibus rotæ primæ, V. M. pedum exacti erunt paſſus M. Ubi verò rota hæc converſa fuerit altero denticulo detegat modiolum, ex quo lapis in ſubjectum vas æneum excidat, ut ſono & numero lapillorum M. paſſuum multitudinem oſtendat. Aut verſo indicabit in alia rota paſſuum M. Ita in artificioſis, (ut *Vitruvius* docet,) facile eſt ad exactam rerum cognitionem pervenire. Sed in contemplationibus proximum antè nominatum exemplum erit. *Cardanus.*

Inſtrumentum perennis motûs.

Antonio de Fantis Tarviſino, viro noſtræ ætatis erudito atque ingenioſo, viſum eſt inſtrumentum perpetui motûs conficere poſſe, tali induſtria, quali infrà deſcribitur: verùm ad hoc oſtendendum, tria ſupponit ſibi experimenta probata: primum quòd lapis Herculeus, ſi formâ circu-

lari figuretur, duo habet puncta è directo oppoſita: quorum alterum ſemper ad Boream, alterum ad Auſtrum tendit, ſi in æquilibrio, & liberè ſuſpendatur, & ſimiliter, ſi in pyxide lignea imponatur, ea verò in aqua tam diu circumvolvetur, donec ea puncta, quæ polos appellat, ad ſuas cœli partes reſpiciant. Hoc autem à nobis aliàs oſtenſum eſt. Secundum ſuppoſitum, quod ex experimento aſſumſit, eſt quòd Polus borealis auſtralem alterius trahit, & auſtralis borealem, ſi duo lapides orbiculares fuerint: quod ex primo quaſi ſuppoſito pendet: nam ſi Borealis Boream reſpicit ex adverſo, igitur auſtralis alterius collocabitur, quoniam in oppoſitis ſunt partibus, ut in figura videbis: quòd ſi polus Borealis Boreali, aut Auſtralis Auſtrali applicetur, qui plus poteſt, abigit debiliorem à ſe, & cogit, ut revertatur, ubi rota leviter moveri poſſit. Tertium ſuppoſitum eſt, quod agens plus agit, quàm reſiſtat: hoc dicit etiam experimento ſe comperiſſe. His conſtitutis, accepit formam orbicularem ex argento tenuiſſimam, veluti capſulæ ſpeculi rotundi, & diviſit eam in circuitu, & cuilibet diviſioni applicavit acum ferream, & poſuit diſtantiam unius ab altera ciceris magnitudinem: deinde in medio fixit lapidem Herculeum, ſive Magnetem: perfectiſſimum



figurâ ovali, ita ut in ſummitatibus figuræ ovalis poli adeſſent, & poſuit rotam ſuper axem, & in ejus centro ſtylum argenteum, tanquam rotæ diametrum: axis autem & ſtylus

ſtylus immobiles ſunt, rota verò mobilis. Quòd autem perpetuò moveri debeat, ſic probat. Cùm enim extrema lapidis, ad ſe trahant partes proximiores, & ſecundum ſitum, & una dirigat ferrum ad Boream, & alia ad Auſtrum, fiet ut O. deſcendat in P. & P. deſcendat in Q. & ſimiliter A. in B. & B. in C. fertur enim ſic pars Orientis ad Boream, & Occidentis ad Auſtrum: quare ſe juvabunt, & motus erit unus ex primo ſuppoſito. Et quia per tertium ſuppoſitum, pars unaquæque magis trahit quàm reſiſtat, partes F. & T. G. & V. minus reſiſtunt, quàm tractantur partes N. R. O. A. & maximè quia priores ſtant in æquilibrio, & ad perpendiculum, ideo immobiles naturâ ſuâ: partes autem quæ ad Orientem & Occidentem, declives & mobiles. Et ſi quis dicat, quòd Occidentalis reſiſtit aſcendendo, ſi Orientalis debet deſcendere, dicit, quòd quantum ad motum gravitatis ſunt in æquilibrio, ſicut & ſuperior & inferior: ergo ratione gravitatis non impediunt, niſi quantum eſt gravitas rotæ, quæ parva admodum eſt: igitur cùm motus lapidis ſe juvent invicem, & gravitates non impediant, perpetuò circumagetur rota, quod dixit ſe expertum eſſe, nunquam ergo deficiet cauſa talis motus, atque ita erit perpetuus: nam acus rotam agunt. Rurſus conſtituit alium lapidem, qui ad perpendiculum illi priori ſuperſtet eâdemque ratione, ac demonſtratione utitur ad declarandum hunc motum eſſe perennem, atque hoc inventum, illud habet difficultatis, quòd ferrum quàm celerrimè ad lapidem ipſum fertur, unde concitata rota verſabitur cùm impetu: videntur autem perpetuâ inæqualitate carere, quoniam interrumpit motum: nemini autem dubium eſſe debet, quin remiſſum oporteat eſſe omnem motum, qui perpetuus futurus ſit, velut & cœli: at hic ſi remiſſus fuerit, erit etiam tardus: quia omnibus impedimentis obnoxius. *Card. ex lib. 9. de Varietate rerum.*

Librarum fucus, quo quæ graviora ſunt, leviora videntur.

Poſſumus facere libram, quæ vacua ponderibus æquâ videbitur juſtiſque notis ponderum majus rerum ipſarum pondus repræſentet. Sic enim (ut Ariſt. refert,) purpuram vendentes imponebant emptoribus. Cujus ratio ſic conſtat. Volenti libram, quæ pro undecim unciis duodecim

præ ſe ferat, virga A. B. ſumatur metallica, quæ in partes viginti tres æquas (nam totidem conſurgunt junctis undecim ac duodecim) dividatur. In fine undecimæ, & initio duodecimæ partis figatur lingua libramenti & agina.



Conſtat igitur D. C. undecimâ parte majorem eſſe A. D. cumque D. C. paulò major ſit A. D. & gravior, leviorem limâ, vel terebratione reddemus, aut lancem leviorem adjiciemus ipſi C. quàm A. adeò ut dum lances vacuæ ſunt longitudinis A. C. tenuitatis penſatâ ratione trutina ſub agina jaceat, nullam in partem librâ pendente: cui tamen cùm ex parte C. pondus unciarum undecim adjunxerimus, & nota duodecim unciarum in lance A. libra æquilibrium demonſtrabit. Cùm ergò nec adulterinæ ſint ponderum notæ, nec lancibus vacuis libra videatur vitioſa, fraus mutatis mercibus, ac notis hinc inde, ut notæ ſint in C. merces in A. manifeſtè deprehenditur. Nam C. latus infrà deſcendet duplici cauſa, & quia majus lanci ſuæ pondus ineſt, & quia C. D. ipſa D. A. longior eſt.

Pondera quomodo duplo celerius ſurſum trahantur, & cum dimidio funis.

Eſt inſtrumentum admiratione dignum, quod tamen parvâ induſtriâ fit. *Gabriel Arator* animadvertit fieri poſſe, ut pondera duplo celerius ſurſum traherentur, quàm



quàm ſolent vulgari ratione, hoc modo. Sit altitudo A. B. cujus medium D. & funi D. C. appenſum pondus C. Et in D. trochlea, in qua funis in A. cùm igitur trahetur, cochlea uſque ad E. D. C. fiet duplo brevior quantitate: igitur cùm D. erit in A. erit D. etiam in A: Hoc autem contingit, quia D. C. duplicatur aſcendendo deſcendendoque: igitur non conveniet, niſi cùm D. fuerit in medio A. B. vel infra: hoc autem inſtrumentum majori indiget vi, quàm ſi ſimpliciter traheretur pondus. Quia tamen rationibus dictis hæc attractio allevіari poteſt, fieri poteſt, ut eiſdem viribus, & in dimidio temporis trahatur: tantum poteſt ars atque ſubtilitas. *Idem.*

Inſtrumentum, quo trahens trahitur.



Eſt & artis ſed non unius opus inſtrumentum, cui ſi te manibus ſuſpenderis, dum trahis vehementiùs traheris. Conſtat hoc modo: A. B. pavimentum ſuperius: interim trahentis funis C. D. E. verò lignum ferrúmve inclinatum ſumma vi, cui C. D. funis annectitur, D. F. verò lignum, quod ſubjacet laquearibus, prohibetq; E. D. reverti: ipſi verò F. D. appendatur pondus E. D. ita ut F. D. circumagi poſſit verſus quandocunque F. D. non prematur ab E. D. nam F. D. orbiculo

infigitur tracta igitur C. D. relabitur F. D. versûs E. sed tamen à latere propter pondus G. igitur E. D. ferrum, quod ab F. D. retinebatur, relabetur ad laqueare H. E. trahens sursum D. C. *Cardanus.*

Instrumentum quo quisq; se ipsum sursum trahat.



Instrumentum facilè hominem sursum trahens: trochlea cum uncino ferreo, in ea orbiculus de more, circa quem funis, in fune pondus A paulò minus pondere corporis tui, ex altera parte baculus transversus B. Ergo appenso uncino trahes B. infra, ut A. pondus sursum ascendat & B. infra perveniat. Insidens igitur B. & ex altera parte apprehensa A. C. manibus, quia A. pondus paulò minus est pondere tui corporis, A. descendente rursus te ascendente facillimè: cùm libuerit descendere, id sponte facies, cùm corpus tuum gravius sit quàm A. igitur dimissâ fune raptim descendes. *Idem.*

Ponderum facilè levandorum ratio.

Est & aliud instrumentum in trochleis: constat hac ratione: Pondus A. annectitur trochleæ inferiori, in qua duo orbiculi B. & C. qui circumvertuntur. In superiore trochlea duo alii D. & E. funis circumagitur circa D. & descendit per F. ad C. & ascendit per G. & circumvertitur ad E. descendens per H. circumvertitur ipsi B. & ascendens trochleæ nectitur in K. Igitur ex L. pondus trahitur, & quia sustinetur ab FGHK. non erit nisi quarta pars ponderis A. quæ à singulis funibus sustinetur, quare à quarta parte roboris rursum trahi poterit. Et si in singulis trochleis tres essent orbiculi, à sexta roboris parte: atque

ita



ita puer poterit immenſum pondus ſurſum trahere, niſi quantum funium gravitas, orbiculorum aſperitas, & motus difficultas obſtant. Sed quia temporum proportio eſt, ut potentiorum, per binos orbiculos, quadruplo per ternos, ſextuplo lentiùs trahet, quàm ſi eodem robore, imò etiam paulò majore ſupra exiſtens unica traheret fune, longè autem lentius ſextuplo vel quadruplo, quanto funis longitudo magis addit ad pondus: fit, ut puer ille vix in unius horæ ſpatio idem pondus his trochleis trahet, quòd ſextuplo robuſtior vir, unica, ſuperius exiſtens, levare poteſt illud fune. Itaque artis & ingenii eſt, ut quiſque pondus quodlibet levare poſſit. At verò, ut funis à pluribus trahi poſſit, ſub orbiculo trahitur terræ æquidiſtans. Quòd ſi facilius trahere libet, ergatâ utimur, quod inſtrumentum in uſu eſt omnibus: hoc enim axibus circumactis circumvoluta funis trahit pondera quæque. At in hoc etiam quantumlibet laborem levare licet axium longitudine: nam eò faciliùs trahunt, quò fuerint longiores. *Idem.*

Rotæ quibus maxima aqua hauritur.

Refert *Munſterus*, in Alſatia rotis bigalibus, curribusque è bubali corio, è profundiſſimis puteis tanto impetu aquam exhauriri, ut rotæ quamvis ligneæ ſint & madidæ, ignem tamen excutiant. Vide igitur inſtrumentum illud tria egregia amplecti, altitudinem, capacitatem, atque celeritatem.

DE

DE SECRETIS MUSICIS.

CAP. XXXIII.

Lyra ſomnum concilians.

E LIGNIS materiam parato mitioribus, ut ſuaviorem efficiat, & remiſſiorem modulationem, uti Abiete, & Hederâ ex uno inferior, ex altero ſuperior, compingitur pars, fides è tyris, & ſerpentibus conficiendæ, ſed ex inteſtinis, vel membrana ſpinalem medullam contingente, quam erues flumine currenti, capiteque ſuſpenſo, reliquum marceſcat, iis fidiculam accommoda, cytharámve, quæ digitis pulſata intonuerit, blandum, mollem, nec inamœnum efficit ſonitum, gratumque audientibus conciliat ſoporem, ut inviti claudant oculos, non miti ſomno. Quod mirum hoc videri non debet, ſi id quoque Pythagoricos effeciſſe fertur, ut cùm diverſas reſolvere vellent in ſomno curas, quibuſdam cantilenis uterentur, ut levis & quietus irreperet ſomnus, & experrecti ſtatim cubili exurgentes quibuſdam modulis aliis ſtuporem, ſomnique confuſionem purgarent, ad ſubeundum munus aliquod. Æolio evenire tradit, quòd animi tranquillet tempeſtates, ſomnum pacatis tribuat. Eſt & aliud mirabile valdè, quòd ejus ſonitus fertur præſens atocium: dum enim per aures ad animum delabitur, unde ab ejus ſonitu expellantur, credentium arbitrio relinquatur, néve hæc aliquibus offendiculo ſint, conſultius fuerit omittere. *Porta.*

Lyra, quæ pulſata alteram ejuſdem toni recubantem moveat.

Tendantur in unum nervi, & ad idem & perfectum perveniat unaquæque melos, ſi gravium unam pulſabis digitis, altera reboat, & movetur gravius in ea, ſic acutarum, debitâ tamen approximatione: ſi id maximè non fuerit conſpicuum, paleam ſupra inducito, & moveri videbis. *Sueton.* autem *Tranquillus in lib.* ludicræ hiſtoriæ, nervos ait in finibus brumali die alios digitis pelli, alios ſonare. Hinc quiſpiam poterit ignarus ſoni lyram accommodare: ſi æquè tenſa altera, & ad harmoniam ducta requieſcat, alteram manibus intendendo, & relaxando, & pulſando, quouſ-

quouſque quieſcentis nervus moveatur, ejuſdem toni ſignum: ſic in cæteris. *Idem.*

Surdus ut Lyræ audiat ſonum.

Si verò vis, ut Lyræ ſurdus audiat ſonum, vel manibus aures obde ritè, ne ſonum audias, tunc capulum lyræ, vel cytharæ mordicus prehendito, pulſet eam alter, & concinnum in cerebro dabit ſonum, fortaſſe ſuaviorem: nec ſolùm capulum dentibus captans, ſed longiſſimam haſtam, quæ lyram tangat, & per eam clarè auditur ſonus, diciſque poterit non auditus ſenſu, ſed guſtu percipere. *Idem.*

Lyræ, cytharæ, aliáq; inſtrumenta ut vento pulſentur.

Remanet hoc, quod haudquaquam inamœnum reor, ut Lyræ, Cytharæ, aliaque inſtrumenta vento pulſentur. Hoc ſic perficies. Ubi vaſta fuerit ventorum procella è regione adverſanti accommodabis inſtrumenta, uti cytharas, tibias, ſambucas fiſtuláſve: adveniens enim ventus impetu ruit, leviter pulſat, & hiantes calamos percurrit, unde ex omnium ſonitu vicinis auribus ſuaviſſimum percipies concentum, & lætaberis. *Idem.*

Tubarum ſonus perpetuus.

Referunt in Obdera regione, ultra Obium flumen, Inſtrumenta eſſe, quæ in modum tubarum ſponte pulſant. Et quamvis tota illa hiſtoria de Obio flumine, & aurea ſtatua falſa ſit, nihilominus res ipſa non ſolùm poſſibilis, ſed etiam factu facilis: quemadmodum in Belgica Gallicaque per rotas molæ agitantur: ita tympana pulſari, inflari tubæ, & non ſolùm incondita voce reſonare, ſed etiam concentu miro poſſunt, atque id perpetuò; velut organis per folles inflatis. Non eſt, ut deſcribam modum, quando dictu, & intellectu facilis ſit, factu verò non adeò: nam follium loco ac digitorum, follium multitudo ſola ſatisfaciet, fiſtulæ verò ad modulum compoſitæ erunt, elevationes autem alternatim. In Gallia etiam in plano fieri poſſent, ob ventorum aſſiduitatem: in Italia non niſi in montium verticibus, aut inter rupes. Sed Tubæ parvâ arte indigent, cùm aër collectus lato canali cogitur per tenuem fiſtulam in canales æneos vi ingredi: poteruntque etiam ſic cum concentu, ſed æquali eſſe. *Cardanus.*

Nola-

Nolarum harmoniæ.

Revocavit jam ſupradicta narratio in memoriam ejus, quod Bruxellis in Belgica vidi. Nolæ plurimæ in circuitu poſitæ ſuper turri, ut fieri ſolet, vocum muſicarum ſonis proportionem obtinent: adeunt gnari artis, & tangentes ſingulas pro notis deſcriptis cantilenam pulſant, admiratione potius dignam, quàm jucundam auditu: nam nolæ non retinent vocem, ſed cum ictu ſtatim deſinit. Idem Lovanii, Antuerpiæque fit. Transferri etiam poteſt ad urceos, aliaque vaſa. *Idem.*

DE SECRETIS ASTROLOGICIS.

CAP. XXXIV.

De Caniculæ ortu, & prænotione eorum, quæ ex ipſa contingunt.

CANICULÆ ortus fit illuſcente vigeſimâ Julii menſis. Obſervandum eſt autem, in qua domo exiſtente Lunâ, ejus exortus fiat. Etenim ſi in Leone exiſtente fiet Caniculæ ortus, frumenti felicitas magna, olei item ac vini erit, aliarum quoque rerum omnium precium vile. Orietur tumultus & cædes, apparebit res, & aëris teneritudo: continget incurſus gentis in aliam gentem, & ſicut terræmotus, ac inundationes. In Virgine verò ſi Luna fuerit, multitudo imbrium cadet, magnaque rerum abundantia erit, parientes abortient, cervorum ac quadrupedum vilitas erit. In Libra eâdem exiſtente, continget Regis motus, & quadrupedum commodus fructus, in populo tumultus, olei raritas, frumenti corruptela, vini verò & fructuum arborum foris lignoſum putamen habentium abundantia. In Scorpione ſi eadem fuerit, Sacerdotum tumultus, Apum pernicies, & conſtitutio peſtilentialis erit. In Sagittario eâdem exiſtente, fertilis annus, & pluvioſus, frumenti abundantia: Lætitia inter homines, pecorum autem interitus, & volucrium multa copia erit. Si verò in capricorno Luna fuerit, eadem orietur, exercituum motus & pluviarum copia & frumenti, vinique ac olei multa fertilitas omniumque precium vile. In Aquario eâdem exiſtente, morietur Rex, frumentum corrumpetur,

petur, locuſtæ abundabunt, pluviæ raræ erunt, peſtis graſſabitur. In piſcibus eâdem exiſtente, ſi Canicula orietur, multæ pluviæ erunt, volucres peribunt, vinum & frumentum abundabunt, hominum corpora morbi invadent. Si verò in Ariete eâdem exiſtente Caniculæ ortus fiat, animalium gregatim paſcentium multus interitus erit, & pluviarum ubertas, frumenti copia exigua, olei fertilitas. Si autem in Tauro, pluviæ multæ, & grandines, & rubigo, & plagæ multæ. Si verò in Geminis, frumenti, & vini fertilitas, omnisque fructus erit, Rex deficiet, homines interibunt & exercitus movebuntur. In Cancro eâdem exiſtente, ſiccitates, & fames erunt. *Diophanes.*

Ortus & Occaſus apparentium ſtellarum.

Quandoquidem neceſſe eſt, agricolas noſſe apparentium ſtellarum ortus & occaſus, hoc modo de his conſcripſi, ut etiam omninò rudes literarum ex auditu ſaltem facilè intelligere queant, tum ortus, tum occaſus ipſarum tempora. Calendis Januarii menſis Delphinus oritur. Vigeſima ſexta Februarii Arcturus Veſpertinus oritur. Calendis Aprilis Pleiades ad ſummam noctem occultantur. Vigeſima tertia Aprilis Pleiades ſimul cum Solis ortu exoriuntur. Vigeſima nona Aprilis Orion veſpertinus occultatur. Trigeſima Aprilis Succulæ ſimul cum Solis exortu oriuntur. Septima Maji Pleiades matutinæ apparent. Decima nona Maji Succulæ matutinæ oriuntur. Septima Junii Arcturus matutinus occidit. Vigeſima tertia Junii Orion oriri incipit. Decima Julii Orion matutinus oritur. Decima tertia Julii Procyon matutinus oritur. Vigeſimaquarta Canicula manè oritur. Vigeſima ſexta Julii Eteſiæ ſpirare incipiunt. Trigeſima Julii ſplendida ſtella in pectore Leonis oritur. Vigeſima quinta Auguſti Sagitta occidit. Decima quinta Septembris Arcturus oritur. Quinta Octobris Corona manè oritur. Vigeſimaquarta Octobris Pleiades ſimul cum Solis exortu occidunt. Calendis Novembris Pleiades mane occidunt & Orion occidere incipit. Vigeſima ſecunda Novembris, Canis tempore matutino occidit. *Diophanes.*

Duodecennium Jovis, & quæ efficit circumvertens, duodecim circuli Zodiaci domos.

Circulus Zodiacus in duodecim domos ſectus eſt. Tres quidem

quidem Vernas, Arietem, Taurum, Geminos. Tres etiam æſtivas, Cancrum, Leonem, Virginem. Tres autumnales, Libram, Scorpium, Sagittarium. Tres hyemales, Capricornum, Aquarium, Piſces. At verò Jovis ſtella in unaquaque domo exiſtens ſubſcripta efficit. Quum ſtella Jovis in Ariete ſteterit, quæ domus Martis exiſtit, totus annus Borealis erit, participans etiam cum Euro vento. Hyems frigida, & nivoſa. Imbres autem continui erunt, & fluvii magni. Poſt Æquinoctium vernum, aër in aquas molles, ac denſas mutatur. Æſtas autem ordinata erit, & ſalubris. Autumnus æſtuoſus, eruntque in ipſo morbi, & maximè à capite, & diſtillationes, & tuſſes. Ex locis campeſtria magis fructum ferent: Supplicandum eſt autem, ut ne bella oriantur. *Democritus* dicit vinum bonum & durabile eſſe, annumque opportunum ad ſolam vitium plantationem. Frumentum verò in areis munire oportet propter imbres, fieri etiam volucrium raritatem, & bonum eſſe hortos apparare. Quum verò in Tauro fuerit domo Veneris, Principium quidem hyemis temperatum erit, & pluvioſum. Medium verò nivoſum. Finis frigidus. Maximè verò hyemabit à medio hyemis uſque ad æquinoctium vernum. Ver temperatum erit, & humidum uſque ad Caniculæ exortum. Æſtas æſtuoſa, Autumnus glacioſus, & morboſus. Maximè verò juvenibus lippitudines accedent. Campeſtres loci magis montanis fertiles erunt. Vinum injuriam patietur. Quapropter oportet vitem ſerò vindemiare. Erit autem & fructuum lignoſorum feracitas, avicularum raritas. Navigantibus annus ineptus. In hoc anno illuſtris vir morietur. Cæterùm Democritus in hoc anno multam grandinem fore dicit, & nives. Eteſias verò non ſimiliter ſpirare: & orandum, ut ne terræmotus fiant, & expeditionis militaris motus. Ubi verò in Geminis in Mercurii domo Jupiter fuerit, totus annus ventum auſtrinum, & aphricum ſentiet. Hyemis initium quidem erit ventoſum, medium verò temperatum, finis glacioſus & ventoſus. Ver temperatum, tenues habens aquas: frumentum erit multum, ventus ſplendidi ſpirant. Fructus in area vitiabuntur, præſertim in Syria. Morbi circa Autumnum oborientur, in juvenibus maximè, ac mediæ ætatis, & mulieribus. Erunt & lippitudines autumno æſtuoſo exiſtente. Morientur etiam mulieres. Fructus lignoſi fertiles erunt. Aquæ fontium deficient. Præſtat autem fructus reponere, ob futu-

futuram ſequentis anni ſterilitatem. *Democritus* grandinis noxam futuram ait. Supplicandum ut ne peſtilentes affectiones fiant. At ſi in domo Lunæ in Cancro Jupiter fuerit, hyems ut plurimum ab orientis partibus frigida erit, & caliginoſa, & magnos fluvios habens. Circa Solſtitium hybernum aquarum tolerantia erit. Poſt Æquinoctium vernum grandines erunt. Aſpera loca magis fructum ferent. Annus autem ſalubris, excepto Autumno. *Democritus* in Autumno puſtulas fervidas circa os erumpere dicit. Quare in Vere olera contingere oportet, alvumque ſolvere, præſertim juvenes, & mero uti. Olea ferax erit. Exiſtente porrò Jove in Leone domo Solis, hyemis principium frigidum erit, & aquoſum cum magnis ventis, ut & arbores concidant. Medium autem temperatum, finis frigidus. Ver pluvioſum, Æſtas Veri ſimilis eſt. Deficient in ipſa aquæ fontibus, deficient item paſcua brutis. Autumnus æſtuoſus, & morboſus, ex deſtillatione, & tuſſi. Quare modico pane utendum eſt, & vino plus. Frumentum moderatè habebit. Vitis & olea fertiles erunt. Accommodatus annus eſt ad inoculationem, non item ad plantationem. Magnorum manſuetorum animalium interitus erit, ferorum autem ingens ubertas. Vir inſignis morietur: ſupplicare oportet ne terræ motus fiant. Tenente deinceps Jove Virginis ſignum, & domum Mercurii, hyems incipiens frigida erit. Media temperata, finiens hybernalis glaciem habens multam, & imbres, & fluvios magnos, ut etiam multi loci undis ſubmergantur. Ver pluvioſum, & arboribus noxium. Deſinente Vere grandines in locis erunt. Æſtas pluvioſa, & caliginoſa. Et oportet collectionem fructuum frumenti compendiosè fieri, ut ne ab imbribus corrumpantur. Autumnus ventoſus & ſaluber. Vitis fertilis erit. Aptus annus ad vitium plantationem. Frumentum facilè corrumpetur. Salubris totus erit annus, nulli morbo obnoxius. Supplicandum autem eſt pro fructibus. In domo deinde Veneris Libra ubi Jupiter fuerit, principium hyemis aquoſum erit. Medium temperatum, & ventoſum, finis humidus, & pruinoſus. Ver temperatum, habens infirmitates ex capite. Æſtatis principium Veri ſimile erit: imò prægnantibus mulieribus periculoſus erit annus. *Democritus* ait, in hoc anno nunquam magnos fluvios futuros, neque grandinem multam. Autumnum verò eſſe aquoſum. Quum in domo Martis Scorpio-

ne Jupiter ſteterit, hyems incipiens frigida erit cum grandine, media calida, finiens verò lenis. Ver erit hyemale, uſque ad Solſtitium æſtivum: pòſt imbres & tonitrua apparebunt. Aquæ fontium deficient: frumentum erit moderatum. Vitis & olea felicitate abundabunt. Boum corruptio erit. *Democritus* fluvios magnos futuros ait, & morbos circa Autumnum. Quare ſupplicare oportet, ne peſtilentes affectiones fiant. Oportet, inquit, cibo quidem pauco, potu verò uberiore uti. Quando in propria domo, in Sagittario Jupiter fuerit, hyemem habebit temperatam, & aquoſam, neque calidam neque frigidam. Fluvii magni erunt, deſinente autem hyeme, frigora & venti erunt. Ver Auſtrinum & pluvioſum. Æſtas temperata, & magis hybernalis. Oportet autem munire areas propter imbres. Autumnus ſecurus propter Eteſianum flatum. Et præcoces, & ſerotini fructus boni erunt, medii verò vitioſi, frumentum, & in campeſtribus, & in aſperis locis abundè proveniet. Vinum durabile erit, quod ſerius vindemiatur. Omnes arbores fertiles erunt. Annus aptus ad plantationem, & ad alia omnia. Magnorum animalium ingens multitudo, canum verò corruptio erit. Mare procelloſum, & venti magni, ſerotini. Vir circumſpectus morietur. Si Jupiter in Capricorno, in domo Saturni fuerit, hyemis initium temperatum erit. Medium humidum & frigidum, finis ventoſus. Aquæ verò auctæ ſatis, & aliis operibus nocivæ erunt. Capient autem acervatim incrementum, & aquæ, & frigora, & nives. Æſtas ante Caniculæ exortum ſimplex, & vulgaris, poſtea verò æſtuoſa, & morboſa. Spirabunt Eteſiæ ſplendidè, fient & terræmotus. Campeſtria magis fructum ferent. Vinum à pruina peribit. Lignoſi fructus abundabunt, parvis animalibus annus accommodatus eſt, magnis verò calamitoſus, & præſertim bobus. In autumno morbi exurgent ex capitis dolore, & lippitudinibus, & pruritu. Supplicandum eſt, ne fructus ex glacie, & ventis lædantur. Quando Jupiter in Aquario fuerit, & in domo Saturni, venti erunt multi commodi frumentario fructui, & maximè lignoſo, hyemis initium quidem frigidum, finis verò ventoſus. Ver aquoſum, magis hybernum ac pruinoſum. Æſtas ſine ventis, ob Eteſiarum ventorum vehementiam. Erunt & pluviæ in æſtate, ut etiam cereales fructus inundationem ſenſuri ſint ex parte. Autumno venti orientur aquoſi & fructi-

fructibus nocivi. Erunt & affectiones acutæ, ex humida causa juvenibus, & mediæ ætati. Erit etiam pruina, & uvas in multis locis lædet. Sata verò erunt optima cùm præcocia, tum serotina. Volucres peribunt, & feræ sylvestres. Erunt & naufragia multa, & vir insignis morietur. Supplicatione avertendæ sunt affectiones pestilentes, & terræmotus, & fulmina, ut ne fiant. Jove postremo in Piscibus, inque eorum propria domo existente, hyems orditur quidem pluviosa. Medium habet ventosum, finem verò grandinosum, ac nivosum. In Vere spirant venti Favonii splendidi. Æstas erit æstuosa. Autumnus ardens, præsertim mulierculis, ac virginibus. Inspirant autem & venti vitiosi, qui lignosum fructum exurunt. Sata erunt bona. Verùm areas munire oportet propter imbres: prægnantibus mulieribus annus periculosus. Democritus ait, & vitem & oleam fertilem futuram. Supplicandum autem, ne terræ motus fiant. *Zoroaster.*

DE SECRETIS AD PACEM pertinentibus. CAP. I.

Ut cui non nisi pacifica contingant.

SI planta Heliotropii, quæ *Solis sponsa* vocatur, Sole virginis signum tenente, colligatur, sub initium Septembris, & foliis Lauri involvatur, addito dente lupi, nullus contra portantem loqui poterit, nisi verba pacifica: author *Albertus*, qui hæc & alia innumera transcripsit ex quodam lib. Secretorum Ioannis Regis Arragoniæ. Cujus exemplar manu antiquissimâ descriptum, nec dum impressum, penes me habeo, inenarrabilium arcanorum fœcundum. *Mizaldus.*

DE SECRETIS BELLICIS. CAP. II.

Bellicum Stratagema.

ELEPHAS viso Ariete mansuescit, ac furias impetumque remittit. Quibus machinamentis Romani Elephantos Pyrrhi Epirotarum Regis in fugam verterunt, & amplissimâ victoriâ potiti sunt. *Mizaldus.*

Ut quis ab hoſtibus lædi non poſſit.

Si quis hyænæ pelle ſuccinctus medios feratur in hoſtes, à nullo lædetur, & intrepidè præteribit, quod dicit Orus Apollo in hieroglyphicis.

Scalarum muralium ratio.

Scalarum ratio quæ in oppugnandis urbibus neceſſariæ videntur, à Polybio hac ratione deſcripta eſt. Murus A. B. pedes X. altus, ſcala A. C. XII. pedes longa eſſe debet: nam admota diſtabit C. A. B. latè XLIV. cùm enim duxerimus X. in ſe, fiunt centum: & XII. in ſe, CXLIV. Igitur cùm quadratum & æquale ſit quadratis A. B. & B. C. erit B. C. latus quadrati XLIV. quare B.C. eſt pedes ſex, & duæ tertiæ, & ita duæ tertiæ A. B. neque igitur admodum ardua ad ſcandendum, neque periculoſa, ut facilè retrò agatur: quæ eveniunt, ubi B. C. valdè brevis eſſet, nec facilè frangitur, quod evenit ubi B. C. longa valdè eſſet: difficilius etiam ob immenſam longitudinem tractantur. Suſtentaculum quoque D. E. in medio eſſe debet ipſius A. C. Nam conſtat quòd erit è directo medii, & A. B. ex demonſtratis ab Euclide: ob id dicit, Dux exercitûs, Geometriæ & Aſtrologiæ peritus eſſe debet. Cur autem D. E. in medio eſſe debeat, oſtendit: quoniam ſi D. ſit proximus A. debilior erit ſcala: ſi verò inferius, nimis erecta erit. Oportet præterea compaginationem, & extrema eſſe ferro munita, inferiusque cuſpide addi, ut terræ innixa maneat: ſuperius verò duci in cuſpidem juxta perpendiculum, ut appoſita hæreat. *Cardanus.*



Fundæ bellicæ ad ejaculanda pondera.

Omne quod movetur violenter, eò velociùs movetur, quò celerius, & per longius ſpatium ab eo à quo movetur: Nam ſi longiſſimo ſpacio & tardiſſimè aut celerrimè atque breviſſi-

breviſſimo non procul ejaculabitur, longiſſimo ſpacio fertur quanto magis ab hypomochlio deſtiterit, & angulus in eo major fuerit. Sint A. B. A. C. A. G. duplæ A. D. A. E. A. F. Et ſint B. C. tripla B. G. & D. E. tripla E. F. quæ moventur duo E. & B. quæ æquali velocitate transferantur. Et E. perveniet ad D. & B. ad C. ejicitur B. duplo majore ſpatio quàm E: & ſi E. ad F. perveniat, B. ad C. B. ſextuplo majore quàm E. non tamen neceſſe eſt, ut ad unguem ſervetur ratio hæc. Ut verò grave pondus feratur, majore tanto nixu anteferri illud oportet, quod ejici debet: quare & inſtrumentum ſolidius. His conſtitutis funda fiet machina tribus modis, quorum ſinguli variari multipliciter poſſunt: Nos tamen ſimplices tantùm dividemus, atque ex his unum bivariam diſtribuimus. Primus igitur hominum vi, dum uno impetu voceque (nam id plurimum refert, ut unà conſentiant vires, adeò ut incredibile ſit) circumductus funis trabique appenſus aut baculo, unum aut plures lapides emittit.



Secundus ut tignum A. B. per vim retrò flectatur, in cujus capite caſtellum ſit C: ubi autem redierit, maximo impetu agitur, omne enim inflexum vi, ad ſuum locum redit, & aliquando ulterius eodem in tempore, niſi ejus vis frangatur. Unde fit ut duplici modo quæ inflectuntur, quantò magis inflectuntur, eò majore impetu redeant, tum quia celeriùs moventur, tum quia majus ſpacium pertranſeunt eodem in tempore. Quomodo autem per ergatas retrò agatur facilè ac celeriter, ſæpiùs dictum eſt. Oportet autem in tigno, ferrum eſſe juxta illius longitudinem.

Sed hic modus pluribus periculis obnoxius eſt, ne frangatur tignum, aut vis langueſcat, quoniam vim ſolùm naturalem habet.

Tertius autem modus, omnibus aliis præſtantior eſt: Sint quatuor rudentes antrorſum, per quartam recti partem inflexi à perpendiculo,, craſſitudine longioris palmi, quibus inſerta ſit trabs ad perpendiculum, & in ſuperficie pendenti. In hac verò tignum aliud firmiſſimum, & ferro munitum, & pro diſtantia ictus cum caſtello in ſummitate. Deducatur ergatis ac cochleis, donec æquidiſtet plano, atque ita per rectum cum quarta. Hæc funda ubi dimittatur, maximam vim habet: Multum autem diſtat à baliſta antiquorum, cujus actus plano æquidiſtans erat, & per rectam lineam. Hujuſmodi eſt, ſi G. latus alterum tigno plano firmiter inhæreat. Nam tunc magis contorquebit ictus & firmiùs, non tamen longiùs: plus enim ponderis feret. Habet hic modus id commodi, ut ABDD. rudentes relaxari poſſint, atque ita celeriter intendi funda. Et quia relaxati & ulterius tracti ac contorti, fiunt efficaciores ad emittendum. Multò etiam majorem in emittendo vim habent quatuor funes ligno uno: nec ita facilè frangi poſſunt, nec langueſcere. *Idem.*



Poliorchetes machina & aries.

Πολιορκητὴς quoque machina fuit à ſubruendis urbibus dicta: Facta fuit adversùs Rhodios, altitudinis pedum CXXV. latitudinis LX. pondo CCCLX. millia. Ita bene compaginata, ut tutus eſſet adverſùs ignes: Et lapidem pondo CCCLX. baliſtæ ſuſtineret. Ex quo quanta vis eſſet alteri ad emittendum alteri ad ſuſtinendum, facilè dignoſci poteſt. Conſtat teſtudine, coriis, viminibusque ſuperſperſâ terrâ contectis ad ignem arcendum, atque hæc

hæc tutelæ gratiâ: rotis ac funibus, quibus vehitur juxta muros. Ex ariete, qui non minùs muros machinis noſtris igneis evertit, ſed difficilis admovetur. Conſtabat geminis trabibus, ambabus per longum directis, alteràque ſub altera collocatâ: Et quæ inferior erat, funibus ac ferreis orbibus à ſuperiore pendebat: hinc inde paxilli, quibus aliæ funes annexæ erant, trahebantque inferiorem trabem, quæ quantò magis retrahebatur, eò majore impetu redibat. Frons ferrea ad tutelam erat, ne ignibus abſumeretur, & ut muros perfoderet. Duos habebat uncinos, ut arietis caput referret: Nam neque acuta admodum erat in ſummitate, ut magis frangeret. Et neque æqualis, ut muri latera disjicerentur: Et cornua non recta ut dum retrahitur, ſummâ vi lapides ſecum trahens quibus implicatur dilaceraret celeriter muros. Is aries qui teſtudinibus inſeritur, tricuſpis, ne in reditu ſi cornua haberet, implicaretur lateribus teſtudinis baſim traheret. Solebat autem malleolis obnoxius eſſe. Erant etiam malleoli in modum ſagittæ cum acuto ferro, inter tubum & haſtile: materia erat bitumine, reſinâ, ſulphure, ſtupâ, oleoque incendiario conſtans quæ accenſa materia extingueretur: ubi adhæſerat infixo ferro, aquâ ignis non extinguebatur: ſed terrâ ſolùm. Erant qui ſerula medullam adjicerent Aſini haud commodi ad emittendum quod (ut dixi) rectà non emitterent, & etiam vi tantâ, ut fulmen imitarentur. Porrò teſtudines octo rotis inſiſtebant, majores etiam pluribus: quæ in unamquamque partem verſatiles eſſent. Id fiet, ſi axis in axe rurſus contineatur veluti rotæ A. B. vertantur circa axem C. D. machina axi inſideat per E. F. infixam trabem: Sed cochlea ſit in F. in qua vertatur quoties machinam verti oportuerit. Ita enim directis aliò rotis ac temone, qui ad perpendiculum inſiſtat axi, vertetur machina quocunque libuerit. *Idem.*



Cuniculorum igneorum, quos minas vocant, ſtruendorum ratio.

Porrò eadem quæ machinarum, ſed admirabilior cuniculorum ratio eſt. Hujus tam atrocis inventi author fuit *Franciſcus Georgius Senenſis.* Docuit hic Hiſpanos arcem Lucillianam juxta Neapolim, quam Galli tuebantur, nunc Ovum vocatam, evertere, æde illius ſacra cum Gallis qui intus erant, etiam in mare ex monte translata. Ergo cùm arx minimè in monte jacet, videturque ob ſitum inexpugnabilis, cuniculum effodiunt obliquum, altitudinis quatuor cubitorum, latitudinis duorum: Nec multum refert obliquitas, dum procul fueris: Sed cùm ad locum quem ſubruere deſtinas, perveneris, obliquum ſpecum eſſe oportet, ut juxta A. tum verò ibi etiam ſolidam montis ſubſtantiam, ne vis ignis concluſi raritate loci evaneſcat: Inde locus ille totus fermè completur pyrio, eoque tenuiſſimo. Funis verò deducitur ex A. uſque ad ſpecus B. hic juxta A. ubi pulvis eſt, craſſus ac latus in modum flocci. Totus autem funis aceto, ſulphuri, halinitro incoquitur: Inde intectus pyrio pulvere ſiccatur in Sole: Denuo ſiccato inſpergitur tenuiſſimus pyrius pulvis, & harundine circumveſtitur ab A. uſque ad B: Inde cuneis, lapidibuſque C. oſtium, & uſque ad D. clauditur adeò diligenter, ut ſolius harundinis locus relinquatur. Igitur accenſo B. funis initio, celerrimè ob pyrium pulverem ignis uſque ad A. permeat, accenditque pulverem totum: Cumque cuneis & lapidibus obſtructus locus ſit, nec ſi extrudantur ullus pateat, quia E. non eſt in directo A. nec D. in directo C. nec B. in directo E. D. neceſſarium eſt ut



diſrupto

diſrupto monte, quicquid ſuperius eſt, evertat, totam montis molem concutiens. Ob id viam B. A. non brevem eſſe oportet: nec locum A. aliqua ex tenui montis parte, ne qua tenue eſſet obſtaculum ignis erumperet, ſuperioremque illæſum relinqueret. Obliquitas igitur tanti miraculi cauſa eſt, ut etiam montes diſrumpantur. *Idem.*

Pulvis citò ac vehementer ardens.

Pulvis etiam qui facillimè ardet, & cujus flamma vehementer exurit, conſtat pyrio pulvere, & tertia ſulphuris & Græcæ picis parte. *Idem.*

Pulvis pyrius abſque ſtrepitu ſphærulam ejiciens è machinis.

Ergo quod ardet tenuiſſimum, & ſicciſſimum eſſe neceſſe eſt, ut palea, aqua ardens, pyrius pulvis. Sed in hoc aliquid eſt terreum, propter quod Halinitrum, ideoque ſtrepitum edit. Conati ſunt ob id quidam detracto halinitro pulverem componere, qui ſine ſtrepitu ſphærulam emitteret. Quod ſic lentè, & ſine magna vi fieri poteſt. Atque hunc Braſſavolus refert Ferrariæ ducem inveniſſe, ſed qui ſine impetu, ac ad XII. fermè paſſus tantùm extenderet ictum: cum magna autem vi (ut dixi) eſt impoſſibile. Detracto enim halinitro, adhuc adeò elaborare poterit pulvis pyrius, ut ſphærulam emittat, & ſine ſtrepitu. Sed univerſum, quantum è ſtrepitu, tantum ex impetu detraxeris.

Aliud ad idem.

Quòd pyrius pulvis ſtrepitum edat, cauſa eſt ejus craſſitiei adſcribenda: Nam quò grana majora & duriora fuerint, tantò majorem edit pulvis ſonitum. Ut ergo pulvis pyrius ſine ſtrepitu globum extrudat, pulvis ipſe conteretur ſubtiliſſimè. *Felix Platerus D.*

Pulvis pyrius in bellicis inſtrumentis mira operans.

Si quis in vulgarem pulverem duodecimam Argenti vivi partem, Marchaſitæ tantundem, & Colophoniæ, rectè pertunderit, & permiſcuerit: hoc pulvere ſi bellica

repleverit inſtrumenta, ubi ignem admoverit, ingenti fragore diſſilit machina, ut adſtantium multos interimat. Contrà autem ſi in pyrium hunc pulverem combuſta papyrus immiſceatur, vel quod idem explebit, vulgaris fœni ſeminis duplum, ſi optimè trita immiſceantur, validiſſimam vim retorquet, ut nec flammam, nec ſtrepitum tam validum emittat: tali pulvere mira ingenioſus cogitabit experimenta. *Porta.*

Pulvis pyrius optimus.

Rec. Salis petræ libram j.
Carbonum tiliæ, vel juniperi unc. iij.
Sulphuris unc. ij. drach. ij.

Triturentur minutiſſimè, humectentur, & per cribrum in grana formentur. *Lucas Rhor.*

Pulvis pyrius ſine ſtrepitu.

Rec. Pulveris pyrii communis.
Boracis ana unc. ſem.
Seminis fœni drach. ij.

Borax & ſemen pulverizentur minutiſſimè, & cum pyrio pulvere miſceantur. *Innominatus.*

Ratio muniendarum Urbium.

Sed hæc mittamus, ad diverſarum artium ſubtilitatis argumenta tranſeundum eſt. Quinque ex architectura mihi aſſumere volo. Primum quidem Urbium munitionem: Conſtat hæc triplici arte, prohibendo, repulſa, ſecuritate defendentium: Nec eſt præter id invenire quicquam. Prohibemus tribus ſcilicet, aqua, foſſa, muro. Foſſa difficilem facit acceſſum, ad propugnandum non parum ob deſcenſum, ſed ob aſcenſum longè magis: Ob id præceps eſſe debet utraque ripa, ſed maximè quæ juxta urbem eſt aut oppidum: latitudo paſſuum XL. profunda multiplex: Nam ſi triplicem feceris, non ſolùm inexpugnabilis, ſed deſperationem affert his, qui expugnare nituntur. Hæc habebat ſeptem paſſus ſcaturientis aquæ: quoniam quæ naſcitur intercipi, nec tolli ulla arte poteſt. Dum verò aſſiſtit ingredientes mergit, lubrico pede facto, & graves aqua prohibet ab aſcenſu: prohibet & cuniculos ut vix effodi poſſint: at his muri ſubruuntur. Accedit

quòd

quòd injecta diſſipat ac diſſolvit: prohibetque ne ignis injectus graſſetur in murorum perniciem. Muri craſſitudine XXX. paſſuum cæmento tenui, lapide latericio, exterius vivo, duro, ac in rotundam figuram paululum prominente. Muri enim ſimplices in ſingula brachia (hoc enim genus menſuræ explicatum eſt) lateres apud nos XX. contineat: mediocres autem XXXII. ut craſſilii. Altitudo illius paſſus centum: Nam decem ſub foſſa, LX. ad ſummum foſſæ, XXX. autem ſuprà, aggere intus craſſiſſimo fulciatur. Hæc in oppidis, minora Urbibus ſufficiunt, in quibus præſidium eſt in milite. Si tamen adſint reddetur Urbs ipſa omninò inexpugnabilis. Repulſa conſtat aggeribus ac turribus in ſingulos C C. pedes, muro in medio recto, ſed ſuperius in orbem inclinato: Nam ſic nec prohibet ictus turrium, hoſtis ignei globi inanes redduntur. Summa muri pars rotunda, ne disjecta machinis fruſta occidant defenſores. In interiore parte canalis, per quem tutò ire poſſint cuſtodes. Terra quoque in imo cavata, ut ſonent ictus cuniculos fodientium, & milites ſecurè obambulare poſſint. Fornicum ratio ſic conſtat: ut rotundior eſt, eò firmior, uſque ad perfecti circuli figuram. Craſſiores ab imo, & ut magis adſcendunt tenuiores uſque ad apicem. Latera utrinque ubi ſinuari cœperint, ex latis tenuioribus lateribus conſtent, ut frequenti ſutura compages magis cohæreat. Fundamentum prominet, & ſi muro inſiſtat, exciditur murus ut putei inſtar fundamentum fornicis ſuſcipiat ac retineat. Illius craſſitudo muri comparatione ſeſquilatera eſſe debet. Sed adhuc firmior & craſſior qui ſubſternitur. In ſingulos C. paſſus ſtercoraria cloaca puteusque: Nam aquæ neceſſitas abſcedere cogit milites & utilitas adverſùs ignes, & ut fervefacta in caput hoſtium projiciatur, mille quoque alia commoda præbet. Stercus aërem corrumpit. Viæ verò plures è muris occultæ ad intima civitatis multa arcent inconvenientia, commodumque militibus defendentibus ingens præbent, nec cauſam receſſus illis relinquunt. Aliæ verò quatuor aut quinque occultæ omnibus præterquam ipſi Principi ad quinque M. vel etiam longiùs in lucos denſos, & quos ſuccidere jam longa conſuetudo prohibeat finiantur. Pulchrè enim hoc facit ad emittendos nuncios, ad annonam importandam ac præſidia inducenda. Ipſi domorum urbis muri alio, ut dixi muro circum-

dentur

dentur ac munientur, nullaque domus promineat. Nuper Bura capta, cùm ictu tormenti domus tugurium concidiſſet, prominebat enim, & civitatis principes, qui in ea ad conſulendum coierant extincti ſunt. Et dum Galli urbem noſtram obſiderent, M. Antonius Columna Camillusque Trivultius ſimili caſu periêre: ob idque conciſæ illorum vires primò, inde etiam fractæ demum ex Inſubria funditùs potentia avulſa eſt. Ipſarum autem viarum, quæ ſecretò extra urbem feruntur, uſus ad emittendos exploratores, quaſi neceſſarius eſt. Nec protinus ad hoc auxilium confugiendum, neque tantiſper expectandum, donec res perierit, ſed ſæviente obſidione jam & inopinatò. *Cardanus.*

Pontes ut ſuper flumina conſtruantur.

Sed jam ad aliud ſubtilius exemplum, nec minus utile tranſeamus. Ejus author fuit C. Cæſar, ut in quarto de bello Gallico refert. Pontem ſuper Rhenum in decem diebus hac ratione perfecit, quem à paucis benè intellectum docere conſtituimus. Tigna bina C. litera ſignificata ſeſquipedali craſſitudine, longitudine tanta, ut imo fluminis fixa aquæ ſuperficiem attingant, duorum pedum intervallo utrinque junge. Inde præacuta ab imo machinationibus immiſſa fiſtulisque firmata ad fluminis naturam prona ex uno latere figes, ſic ut tignorum alterum ripæ proximius ſit. Totidem æqualiſque ſimiliter juncta æquidiſtantia quadraginta pedum intervallo in inferiore fluminis parte adverſùs illius impetum prona defigito, vocenturque F. Supremas juncturas C. & F. trabe latitudinis pedum duorum ſcilicet pro junctura magnitudine junges, binis fibulis ex utroque latere, ex interiore parte tigni in exteriorem, ut ſingulæ fibulæ ſingula tigna amplectantur revinctis. Æqualia his atque è directo poſita ex altera parte fluminis, ſit ut trabs detrahi alteri æquideſter conſtrues.

Schema medietatis pontis ab uno latere.

A ſublicæ ſuperiores adverſus flumen B B. ſublicæ inferiores annexæ ponti C. Tigna bina ſuperiora D. Trabs latitudinis duorum pedum. E E E E. fibulæ connectentes, O. trabem cum tignis ſuperiorib. & inferiorib. F. tigna bina inferiora, ſimiliterque juncta. Has trabes juxta fluminis curſum poſita I. multis aliis tranſverſis ſuperpoſitis invicem



cem etiam connexis jungito: quibus longuriis ac craticulis ſuperſtratis pons efficitur. Ad cujus ſecuritatem tigna plurima in ſuperiori fluminis parte prona adverſùs fluvii impetum, ſed tignis longè proniores, totiſque operi junctæ firmiter defigantur. Ita ſuperiora tigna fluminis impetum & projectas trabes excipient, & ipſa moles ut magis premetur ab undis, mutuo complexu firmior reddetur. Sed hic pons ſtabilis eſt, omniſque oneri ſufficiens, nec convellendus. Ad celerem fabricam explicabunt ſolæ funes, & ergatæ, aut pelles inflatæ, aut tigna juncta. *Idem.*

Victoriæ præſagia.

Victoriæ præſagia ex quatuor rebus ſumuntur, Cœlo, velut cùm ſignum aliquod firmum in cœlo conſpicitur uni parti proprium: ut crux pro Chriſtianis, Luna pro his, qui Mahumetho addicti ſunt. Et ex his, quæ à cœlo cadunt, velut fulminibus atque ignibus. Ignes decidentes, cladem: ſi haſtæ ardere videantur, victoriam ſignificant. Verùm à duce obſervanda ſunt ſomnia, ſi integer vir ſit: qualia erunt, talem docebunt exitum: ſi probus, videat expreſſa, velut victoriam, aut fortunam alacriter excitantem ad pugnam: nam Pompei ſomnium lætum Pharſalicâ clade, non ſolùm falſum, ſed exitiale fuit. Ab animalibus verò certius ac frequentius: corvi & vultures quâ parte reſpiciunt, cladem prædicunt, quòd hæc animalia cadaveribus

bus veſcantur. Deteriores apes vexillis inſidentes, aut ducis tentorio: nam hoc animal abſque vindicta, cùm mel fecerit, alveariburs ſolet excludi, & fumo atque igne pelli. Dux etiam quidam Helvetius, novem victoriis clarus, decimam præſagivit adventu canum ex hoſtium caſtris in propria, nam deſerunt infauſtum omen. Equi quoque alacres, & hinnientes victoriam; triſtes & lugentes cladem prædicunt. Quædam etiam victoribus ſolent accidere, quæ clarè illos admonent; vincendos obſcurius. *Cardanus.*

Excidii Civitatum ſigna.

Excidii civitatum ſigna ſunt, armatæ acies in cœlo viſæ: apparuerunt tempore Machabæorum bello funeſtiſſimo: inde ſub excidio Veſpaſiano ad id bellum deſtinato. In Germania quoque viſas ferunt, ſed non continuis diebus. *Idem.*

DE SECRETIS ARTIUM MECHANICARUM.

LIBER XVI.

Duobus libris præcedentibus artium & ſcientiarum quas liberales appellant Secreta expedivimus. Ut autem hæc Secretorum doctrina perficiatur, de mechanicis Artibus nonnihil hoc libro docendum eſt. Vocantur verò mechanicæ Artes, quæ manuum & inſtrumentorum uſu, opus ſuum depromunt, qualis eſt Ars molitoria, fabrilis & ſimiles, quarum ſecreta, quæ quidem occurrerint, paucis hinc referemus.

DE MOLITORUM SECRETIS.

CAP. I.

Inſtrumentum mirabile ad cribrandam farinam.

ETSI hæc quaſi parerga dicta videri poſſint, ut tamen

men artificioſam hominum inventionem edoceam, quæ ab aëris natura ortum ſumſit, pulcherrimum inſtrumentum, quo farina cribratur, à triennio citra inventum edocere ſtatui, ut ſimul intelligant homines, quàm levibus rebus, modò ſint ingenioſæ, opes liceat comparare. Nam nunc cùm piſtores omnes utilitatem habeant, ille verò privilegium conſecutus ſit à Cæſare, ne quis habere poſſit præter ejus conſenſum, vitam ex hac agit induſtria, & adeò brevi tempore ſibi domum ædificavit. Neque enim piſtores ſoli, ſed collegia Sacerdotum, & virginum Deo ſacrarum, & nobiles quicunque familiam magnam alunt, ob egregiam utilitatem, ne dicam neceſſitatem habent: plures etiam alii, quos non tam utilitas, quàm ipſa rei admiratio incitavit, fieri curavere. Hæc autem ipſius eſt ſtructura. Rota eſt B. parva, in cujus extremo ambitu A. manubrium quo circumagi poſſit: Hæc duo extra machinam protenduntur. In rota circumvertitur, cui C. duo denticuli lignei ex adverſo poſiti, aliique proximi duo, & ipſi ex adverſo poſiti, verùm quaſi intermedio loco priorum, ut cùm ſemel rota circumagitur, quater tangat lignum latum, imò tabellam D. E. utrinque ſuſpenſam capſulæ: ut rota vertente, tabella tremulo motu dum denticulis tangitur perpetuò agitetur. Porrò lignum C. & tabulæ pars parva capſula circumteguntur: Ligno ſeu tabellæ D E. ſuperſtat cribrum pollinarium F. G. obliquè pendens, & ex G. appenſum in H. ne excidat: hoc tenuibus tabulis imò tenuiſſimis ac leviſſimis undequaque conſtat, præterquam in medio ubi cribro farina excutitur: Nam ut ſolet pars ea telâ lineâ conſtat. Capſa hæc omnia undequaque concluſa continentur. In cujus ſupremo capſula K. jacet, atque in ea quadrata quaſi lignea patina leviſſima, in qua farina jacet: Hæc ſic ſuſpenſa eſt, ut facilè concuti poſſit: Concutitur autem funiculo ei annexo altera rotæ parte, dextra ſcilicet juxta B. Memineris etiam cribrum F G. utroque ex capite patere, ſupremo ut farinam excipiat à patina: infimo, ut furfur ejiciat ex G. Tota autem capſa trifariam dividitur in LMN. erectis ſeptis ex tenuibus tabulis firmis ac omnino immobilibus. Poteſt &, ſi libet, quadrifariam dividi. Hoc igitur conſtituto cùm circumagitur B. rota, funiculus concutit patellam, & denticuli tabellam. Patella excutit farinam in cribrum F. G. tabella cribrum con-

concutit: inde fit ut tenuiſſimus flos farinæ primo excutiatur cadatque in N. M. parte capſulæ: deſcendens verò cùm vehementius agitetur, pars inferior excutitur alia minùs ſincera in L M. inde ultimo deſcendit per os cribri infernum G. furfur totius in L. O. atque ita tria ſeorſim colliguntur, flos farinæ in M. N. farina craſſa in L. M. furfur



in L. O. quæ verò circumvolat farina tota, neceſſariò iterum redit in locum ſuum, ut nihil penitus pereat, quoniam capſula nullibi tranſpirat. Oportet autem (quod ipſa ratione facilè percipis) F. G. cribrum non nimis eſſe acclive: Nam farina uſque ad G. perveniret, & cum furfure ejiceretur. Quamobrem ſi ſeptum L. uſque ad os cribri tranſtuleris, vel aliud ſeptum ut in Padellæ eris, ſimul etiam paululum, ut vides, os ipſum G. ſuperius recurvaveris, ne vel

vel oboli jacturam feceris farinæ. Nunc quanta ex hoc ſequantur inſtrumento commoda, intellige. Primum, unius hominis labore, qui rotam verſat, & farinam imponit patellæ, & cùm loci pleni fuerint, cribratam colligit ac furfur trium cribratorum vices ſupplet. Secundum eſt, quòd ad hoc opus cùm neque adeò ſit laborioſum nec noxium, quilibet ſufficere poteſt, utilesque geruli habentur, qui longè minore precio cribratoribus conducuntur. Tertium quòd tota farina colligitur, nec quicquam perit, cùm in cribrantibus neceſſe ſit ob manuum motum ac brachiorum pati tormina, quantum diduci brachia valent, eaque cauſa farinæ non parvam partem perire. Accedit quo lineum cribrum cùm ſolùm tremat, non adeò atteritur, imò longè minùs quàm dum farina ab hominibus cribratur: nam illos concutere, ut ſolent, cribrum vehementer eſt neceſſarium. Facit & ad compendium, quòd farina exquiſitius excutitur, ut furfur omninò purum ſit. Hæc omnia citrà domûs fœditatem & hominum jacturam, atque incommoda. Natura etiam inſtrumenti duplicem aut triplicem farinam diſtinguente, quod à cribratoribus niſi conjecturâ incertâ primò, deinde etiam inſtabili, fieri non poteſt. *Cardanus.*

Molendini venti ſtructura.

Neque præteribo quod adeò eſt admirabile, ut antequam viderem, credere non potuerim: Et neque narrare, tam vulgatum eſſe abſque levitatis crimine poſſum. Sed vincant jam ſtudia ſciendi, verecundiam. In Italia igitur non paucis regionibus, & in Gallia paſſim molendina fiunt, quæ ventorum flatibus circumvertuntur: Atque adeò vehementi impetu, ut tres equos cum equitibus circumagere poſſent. Adeoque præſenti utilitate ut modios VIII. Mediolanenſes in ſingulas horas, id eſt, libras circiter ter mille frumenti molere poſſint. Tantâ verò induſtriâ fabricatum hoc opus, ut cùm ceſſat etiam ventus, quaſi ſponte adhuc circumvolvatur. Cùm multa vidiſſem, unius tantùm quod juxta Sanctum Maturinum vidi diligentius, dum iter iſtud diuturnum ac longiſſimum perago: Pro exemplo machinæ enarratio ſufficiat. Statuatur rectius cardo multisque tignis ſuffultus A B. ſuper hoc machina tota ſuffulciatur. Tignum è regione januæ C D. quo tota machina ad libitum circumvertitur. Sic verò apratur, ut ventus ex obliquo, non à fronte, nec à latere petat. pinnas affixas intruſasque trabi

rotundæ E. F. ex adverſo januæ prominenti atque verſatili. Pinnæ igitur binæ ac binæ è directo ſibi junctæ ſunt, parumque diſtantes invicem, non tamen eidem trabis loco infixæ, prominent ad terram uſque fermè; tanta eſt longitudo illarum. Quælibet ex duabus ſuperficiebus conſtat, quarum ſingulæ continent quatuor aut quinque latitudinis



palmos, telaque extenſa complentur. Superficies verò ſuperior G H. retrorſum reſpicit paululum, ut anterior K L. eſt æquidiſtans ſuperficiei poſtremæ machinæ (ut igitur aër premit ſuperiorem pinnarum ſuperficiem quæ æqualis eſt inferiori, tota rota, atque cum ea aliæ, quæ intra machinam continentur, circumaguntur. Nam ſi pinnæ ad perpendiculum erigerentur, ſupra machinæ ſuperficiem, & ſecundum E F. longitudinem, ſic ut ventum exciperent, quemadmodum rotæ aquarum, & vela, tantum impedimenti rota ex ſuperiore pinna, quantum impetus ex inferiore. Itaque hac ratione factum eſt, ut aëre premente ſuperficiem G H. directè rota verſaretur K L. Cur autem etiam ſine vento circumducatur fermè, cauſa eſt motus jam inchoatus & acquiſitus impetus, quo verſatur moles ad æquilibrium exactè conſtituta: ut de annulo aliàs dixi. Sed & ventus licèt inferiùs ceſſaſſe videatur, ſuperiorem tamen pinnam pulſat. Hæc igitur diligentiùs explicaſſe volui. *Idem.*

DE

DE ARTE PISTORIA.

CAP. II.

Panis, qui diu incorruptus maneat, conficiendi ratio.

VErùm ut ad principale inſtitutum revertar, generalis ratio ſervandi eſt exiccatio: Siccata enim diutiſſimè ſervantur: adeò ut panis biſcoctus per annum quandoque integrum ſervetur: namque (ut aliàs demonſtravimus) omne quod putreſcit, propter humidum quid putreſcit. Subducto igitur humido aqueo, diu manet. Verùm cùm difficile ſit humidum aqueum auferre, quin etiam pinguis humidi aliquid abſumatur, eò fit, ut minùs aliquando nutriat hic quàm communis. Sed & in navigiis humido aquæ totus ſitum trahit, magna verò ex parte, etiam computreſcit, quamobrem & bis, & ter recoquere coguntur, aut corruptum edere. Referunt autem in Sava Inſula, quæ CC. millibus paſſuum à Moluchiis diſtat, panem confici qui per triennium perduret: non tamen conſtat, quâ ratione id fiat, ſed ſi ad noſtra principia res ipſa reducatur, generalis quædam ratio ſubduci poterit. Itaque & denſum & pinguem eſſe oportet, & lento igne toſtum, immixtis aliquibus quæ naturâ ſuâ putredini maximè obſiſtunt: Verùm forſan ad eam metam pertingere non licebit, quoniam aër hic noſter aut tenuior eſt aut humidior Indico illo, aut ex alia cauſa putredini inducendæ aptior. *Idem.*

Clibanus compendium pecuniæ faciens.

Clibanus ad coquendum multa, ſimul utilis nunc in uſu Mediolani compendium duarum partium è tribus lignorum faciens, quoniam concluſus ignis, triplo efficaciores vires habet. Quadratam efficies formam duorum cubitorum fermè latitudine, altitudine unius cum medio è creta lateribusque. Superius quatuor foramina ampla, rotunda pro magnitudine lebetum & patellarum. Superficiem totam ſuperiorem integ ære: Sed ubi foramina adſunt, æs exſcinde, fietque fruſtra hæc pro operculis. Ubi ergo uſus erit patellas & lebetes ſuis locis impones. Ubi opus non eſt vaſe, operculum indito, ut clibanus nullibi reſpiret.

Sub ſolio ſuperiore cavitas eſt, oſtiolumque quadratum, per quod ligna carbonesque immittuntur : à latere verò multò latius, ſed humilius oſtium atque in inferiore parte. Medio ſolo crates ferrea ſimplex, per quam cinis demittitur: Conſtat itaque oſtium per quod ligna immittuntur, in parte ſuperiore eſſe, reliquum autem in inferiore. Coquuntur & in veru carnes, propoſitis cardinibus à lateribus ejus oſtii, per quod cineres extrahi ſolent: nam ibi pruna torret carnes, & flamma in ſuperiore ſolio, ſi aptetur rota, circumagit verua. Verùm tunc cùm exhalare eam oporteat, non tantum fit compendium lignorum. *Card.*

DE ARTE COQUINARIA.

CAP. III.

Carnes ut diu ſerventur incorruptæ.

CARNES verò ſervari incorruptas, inter montes Indiæ occidentalis tam diu referunt, ut ſupra fidem ſit: Nam juxta Cuzcum urbem equos poſt quartum menſem occiſos licèt, adeò eſſe recentes, ac ſine odore tetro ullo, velut ſi nuper eſſent occiſi. Cauſam eſſe reor non ſolam frigiditatem, quæ quamvis maxima ſit hic, tamen cum majore non tamdiu ſervantur. Eſt igitur & aër tenuior & ſalſus, forſan & cibi media aliquid contulerant. Corrumpuntur enim carnes in aqua celerius quàm in aëre, quia aër tenuior eſt, ſi cætera ſint paria. Et rurſus eâdem ratione caro diutiùs ſervatur, ſi æreus clavus infigatur: quoniam vis ſulphuris ſiccat illam. *Idem.*

Carnes coctæ ut crudæ videantur.

Carnes quoque coctæ crudæ videntur inſperſo agnino ſanguine ſicco. Solvitur enim, & carnium colorem mutat.

Carnes ut citò tenereſcant.

Victimæ cæſorumque animalium carnes perquàm celeriter tenereſcunt, & fragiles efficiuntur, quæ in fico pependerint. Cujus rationem in Sympoſiacis petivit *Plutarchus*. Cùm inter obſonia Ariſtonis (inquit) coquus immolatum Herculi gallinaceum gallum recentem, tenerum ac pene friabilem obtuliſſet: tam citam teneritudinem fico referebat *Ariſtion*, contendens jugulatas aves etiam præduras teneri-

teneritudinem contrahere, quæ penſiles fico adhæſerunt. Cauſam adfert quòd auram, halitumque vehementem ac digerentem exſpuat ficus, quo carnes deſiccantur ac concoquuntur. Idem etiam continget, ſi tritici acervo obruantur: aut penitus demergantur. *Mizaldus.*

Ut carnes imputres ſerventur.

Si clavus ex ære chalcitide conflatus ſuillis, corviniſve carnibus infigatur, eas à putredine illibatas, ſtiptica exſiccanda facultate diu conſervant, Plutarcho authore. Quod certa experientia noverunt metallorum foſſores qui in ſcaptenſulis verſari ſolent: neque ea de re, inquit Langius, hæſitabundum facta fide confirmarunt. *Idem.*

Ut diſſecta caro iterum coaleſcat.

Symphyti radices, quæ foris nigræ ſunt, intus candidæ & glutinoſæ, unà cum conciſis carnibus ipſis coquantur & celerrimè conjungantur, ut inciſuræ non videantur. *Alexius.*

Ad accelerandam carnium coctúram.

Sunt qui pro comperto ſcribant, melonis fruſtulum ollæ immiſſum, celerem carnium coctúram juvare. Quod etiam præſtare ajunt urticæ aut ſinapis ſemen, aut ficulneos cauliculos. *Mizaldus.*

Caro annoſa & pervetuſta ut citiùs elixetur, & tenereſcat.

Hippolapathon, à nonnullis patientia dictum (Eſt autem olus culminoſum foliis amplis, ac prælongis, caule ubi maturuerit rubicundo, radice flaveſcenti) coquatur unà cum carnibus atque eduliis, & tenereſcent, eſuique apta reddentur. *Alexius.*

Ut Pavo coctus vivus videri poſſit.

Necatur Pavo, aut pennâ ſupernè in cerebrum immiſſâ, aut jugulatur ut hæduli ſolent, quò ſanguis exeat à gutture, deinde uſque ad caudam pellis leniter ſcinditur, ſciſſaque cum propriis pennis à toto corpore ad caput trahitur, quo abſciſſo cum pelle reſervato, cruribusque, Pavonem ipſum aromatib. ac odoriferis herbis refertum veru aſſabis,

infixis tamen priùs per pectus garyophyllis, involutoque collo lineo albo continuè aquâ humectato, ne omnino deficcetur. Coctum pavonem ex veru exemptum, propria pelle integes, & ut pedibus ſtare videatur, virgulas ferreas infixas tabulæ ad hoc fabrefactas per crura, ne cernantur, per corpus ad caput & caudam adiges. Sunt qui ad ludum & riſum, camphoram cum lana ori indunt; ignemque ubi ad menſam fertur injiciunt. Inaurare etiam pavonem aſſum, & aromatibus conſperſum bracteis aureis licet, ad voluptatem, & magnificentiam. Idem etiam fieri de phaſianis, gruibus, anſeribus, capis, ac cæteris avibus poteſt. *Porta.*

Ut Regulus ſeipſum in veru torreat.

Maximè mirandum eſt Regulum aviculam, veru lignea perquàm tenui infixum, ſemetipſum torrere, & circumvertere. Sed lignum illud ex Corylo recenter extractum eſſe oportet, quod annotavit Cardanus. *Mizaldus.*

Ut Pullus celeriter coquatur.

Licebit etiam admonere, quòd Nux juglans pullo incluſa, illum ad celerem coctionem perducit. *Idem.*

Anſer jam vivus excoctus.

Sit Anas, vel Anſer, aliúdve vivacius animal, ſed in hoc anſer omnibus anteſtat, colloque relicto toto ſit implumis corpore, ſit hinc inde obvallatus igne & circumſeptus, non largè, ne impunis evadat: intus paſſim pocilla, & ollulas aquæ plenas, cui ſal & mel adjiciantur, ibique lances elixatis malis ſint plenæ, & teſſellatim diſcoconciſis, ipſe totus liquamine obductus, & laridatus ut eſculentior ſit, & faciliùs decoquatur, ignem admove: feſtinare nolito, ubi calore effervere cœperit, circumambulando & fugiendo, præſepit ignis & iter includit: Sic improbus aquam abſorbendo, compeſcetur. Cor cæteraque membra refrigerando, medicamenti vi laxat alvum, abſtergit & exinanitur: Et ubi inferbuerit, interiora decoquet, ſpongiâ continuò cerebrum, & cor humectatur: ubi verò inſaniâ ferri, & ceſpitare conſpexeris, deficit cordi humidum, depone, convivis appones evulſis ſemper partibus vociferantem, ut ferè priùs commeſſetur, quàm mortuus videatur. Nec viſu injucundum. *Porta.*

Mura

Muræna eodem tempore frixa, elixa, toſtaq́.

Murænam primo panni attritu excruciatam veru infigas & elixas, ac frixas quaſvis partes ter, quater lineis obvolvas linteolis, inſperſo in vino pipere, in elixo petroſelino, croco, mentha, fœniculo, & paſſo contuſis, aquâ & ſale, vel juſculo madeant, frixas oleo ad ignem volvi jubebis, faſciculi aſpergine Origani ſemper humectando, ubi pars jam fuerit torrefacta, remove & optimum erit obſonium, epulaturis præbeto. *Idem.*

Ut Piſces charta frigantur.

Ex charta ſimplici frixorum vas efformato, ibi oleum & piſces ardentibus prunis, quibus flammæ deſint, imponantur, & citiùs & commodiùs expediet. Nec ſuperpondii modo addere pigeat, quod fortaſſe ſciſſe non obfuerit: Sic

Pipionem exoſſem reddes,

Si exenteratum acri aceto per naturalem diem ſines bene lotum, & aromatibus repletum: elixabis, vel aſſabis, ſic eis caret, oſſa ut ſimul mandi poſſint. *Idem.*

Aliud.

Atque ea de cauſa inventum eſt, quonam pacto non ſecus quàm in ſartagine piſces in charta coquantur. Chartam ſeligito, quam vocamus papyrum, ſimplicem, erectisque ſpondis in modum lucernæ ex omni latere oleum infunde, & antequam exudet ſuper puras prunas abſque flamma impone. Nec penetrat oleum, refugiens ignem, nec ardet charta, quia non poteſt ſiccari oleo repugnante. Ignis verò non ſine extremâ ſiccitate, nec flamma nec motus attenuare poſſunt ut ignis accendatur, incaleſcit tamen ſenſim mutatis prunis, atque ita fervet, quod mirum videtur, adeò ut impoſiti piſces coquantur. *Cardanus.*

Piſcium præſtans conditura.

Piſces ſic optimè ſervabis: friges cum oleo mediocriter, non perfectè: Inde ſale aſperges tenus, ſic ut ſaliti non ſint, nec inſipidi, foliisque Lauri & Myrthi interpoſitis, poſtquam paululum ſiccati fuerint, in ciſta collocabis. *Idem.*

Ut bonum ſinapi paretur.

Extemporaneum & generoſum ſinapi condimentum, ubicunque locorum fueris, ſic tibi comparabis. Habe uncias duas ſeminis ſinapi, cum ſemiuncia vulgaris cinamomi, quod officinæ canellam vocant. Utrunque in pollinem detritum, & ſufficienti aceto ac melle exceptum, in maſſam ſeu paſtam coge, & ex ea paſtillos vel ſphærulas finge, & ſole, calentéve clibano deſiccari permitte. Ubi uſus exiget, globulum unum ex vino aut aceto vel alio liquore dilue, ac diſſolve, & habebis ſinapiſmum paratu facilem, palato delectabilem, ac ſtomacho admodum utilem. *Mizaldus.*

Ut braſſica non coquatur.

Rectè mihi ſcripſiſſe videtur *Paxamus* ex Græcis geoponicis unus, quòd ſi ferveſcenti & ebullienti braſſicæ paulum vini quis inſtillaverit, non amplius coquetur. Sed ſuis viribus defuncta, mutato colore corrumpetur. *Idem.*

Ut olla nunquam bulliat.

Scutum ſeu operculum teſtudinis fœminæ ſuper olla poſitum, facit ut illa nunquam ebulliat. *Idem.*

DE ARTE PHARMACOPOEORUM & Chymicorum.

CAP. IV.

Acetum Bezoardicum, Zvingeri.

RE. *Radic.* Angelic. Petaſitid. Rhabarb. Monach. Dictamn. alb. Helen. ſingul. unciam dimid. *Herb.* Alliar. Rut. *Summit.* Thym. Lavend. Flor. Keiri. ſingul. Manip. ſemis. *Baccar.* Juniper. unc. ſem. *Cortic.* Aurant. Citr. *Semin.* Aquileg. ana drachm. duas, Camphor. Myrrh. ana drach. j. Aceti Vini Sambucin. q. ſ. ad eminentiam ſex digitor. Stent per aliquot hebdomadas in loco tepido, poſtea liquor probè imprægnatus filtretur, & uſui aſſervetur. Vires habet inſignes tum curativas, tum præſervativas in Febribus contagioſis ac peſtilentibus, caſtrenſibus, ut & in aſſumtis venenis. Doſis eſt ad drachm. ij. vel iij.

Exter-

Externè quoque in Nodulo poteſt Naribus admoveri, vel pro Epithemate frontali in Cephalalgiis, aut Pectorali in Lipothymiis calidè applicatum inſervire.

Acetum Roſaceum.

Roſarum nondum apertarum & exungulatarum, ac per aliquot dies exiccatar. libræ uni affunde Aceti vini optimi probè filtrati libras 12. Expone in vitro benè clauſo per menſem radiis Solis æſtivi, tandem exprime Acetum, cui dein novas, ſi velis, Roſas infundere, ſimiliterque Soli exponere poteris. Vires habet diſcutientes, refrigerantes, alexipharmacas ac cephalicas. Eodem modo parare licet Aceta deſtillata Rutæ, Lavendul. Sambuc. Anth. Calend. &c.

Alcaheſt Glauberi, *ſ. Liquor Nitri fixi.*

Nitro puriſſimo repleatur Crucibulum, fortiſſimum ignem ferens, ad dimidias, imponatur carbonibus accenſis, permitte ut Nitrum fluat inſtar aquæ, tum verò injice aliquid carbonum pulveriſatorum, qui ſtrepitum cum nitro excitabunt, & conflictum; quo finito continuetur carbonum pulveris injectio & deflagratio, donec ſtrepitus ex novis injectis carbonibus non amplius excitetur; & Nitrum in crucibulo ſiccum ſub Maſſâ virideſcente in fundo ſubſideat. Quo facto Crucibulum repone in loco frigido per 24. horas, ut per attractam humiditatem maſſa è Crucibulo removeri queat ac dein in cellâ laminæ vitreæ impoſita in liquorem deliqueſcat, qui liquor tum filtretur & uſui aſſervetur.

Liquor hic eſt egregium ſolvens, antinephriticum, aperiens, antiſcorbuticum, quod utiliter purgantibus, aliisque Mixturis inditur. Solvit imprimis Reſinas & Gummata, Myrrham, & ſimilia, ut dein ex illis per affuſum Vini ſpiritum tanto felicior & pulchrior Tinctura haberi queat.

Aqua pro delendis Exanthematibus Cutaneis, Williſii.

Dimidia ſublimati Mercurii uncia Patinæ ſtanneæ immittatur, hincque affuſâ ſemilibrâ vel integrâ librâ Aquæ fontanæ, vel Aquæ flor. Fabar. aut Sigilli Salomonis, ſtent 24. horarum ſpatio, ſæpiùs ligneâ ſpatulâ agitando, & ita liquor nigreſcet, qui verò tandem filtratus clarus evadit, qui vitro

benè clauſo ad uſum aſſervetur. Eo autem liquore *Lichenes*, *Serpigines*, *Puſtulæ ſcabioſæ*, imò & *Ulcera maligna*, *ſordida*, *venerea*, bis quotidie lota, ac deterſa perſanantur. Quòd ſi acris fuerit nimis Aqua iſta, temperari poterit Aquâ Solani, vel Spermatis ranarum.

Aqua vel Liquor Apii Selini, Gallis Eau de Selery.

Rec. Radic. Apii ſelini recent. cum totâ herbâ q. v. exempl. grat. Manip. iij. Contuſis affunde per noctem Aquæ fontanæ quant. ſuffic. Poſtea deſtillentur circiter unciæ ſex vel octo; ſeorſim eam Aquam ſerva pro liquore. Dein Recipe Sacchari albiſſ. cum Aquâ roſarum ad conſiſtentiam mellis cocti unc. iiij. Liquoris Apii ſuperioris uncias octo. Miſce probè in vitro, & adde Spiritum vini rectificatum pro lubitu. Servetur hinc uſui. Doſis cochlearia duo vel tria in Stomachi & cordis imbecillitate.

Aqua Rhizotico-Prophylactica, Zvingeri.

Recip. Radicum Angelic. Carlinæ, Dictamni alb. ana unciam unam, Tormentill. Zedoar. ana unciam ſemis, Camphor. drachm. j. Pulveriſatis affunde Spiritus Vini generoſ. & Aceti deſtillat. ana q. ſ. ad eminentiam trium digitorum, ſtent ac ſerventur uſui in Vitro benè clauſo, pro communi uſu ad ſudandum, & præſervandum ab Aurâ malignâ. Doſ. Cochleare unum vel duo cum juſculo.

Aqua Antihectica, Zvingeri.

Menſe Majo exemtum è Vitulo nigro Hepar adhuc calens in fruſta diſſeca, cui dein ſtatim duplum Salviæ nobilis recentis pondus, ſimplum verò Hepaticæ Nobilis minutim conciſæ, duasque drachmas Camphoræ admiſce, & poſtquam Cucurbitæ Vitreæ indideris omnia, affunde Vini albi veteris ad pondus omnium; digere per 24. horas in loco tepido, poſtea deſtilla per artem. Deſtillata aqua ad uſum aſſervetur. Dantur ejus cochlearia duo vel tria mane ac veſperi adultis, Pueris autem unicum cochleare propinatur, in Atrophiâ, Hecticâ, Phthiſi, Tabe dorſali &c.

Aqua Hyſterica, D. Seyeri.

Rec. Succ. depurat. Artemiſ. Corticum Fabar. Mercurial. fœmin. Matricariæ, ana unc. vj. Cinamom. el. Caſſiæ lign. Garyoph. Nuc. moſch. ana unc. j. Macis unc. jſ. Flor. Lavendul. Anth. Salviæ, Meliſſ. ana p. iij. Fœcul. Bryon. drach. vj. Extract. Caſtorei ſemunciam. Vini Malvatici Libras ij.

Infun-

Infunde per ſeptem dies, dein per Balneum Mar. deſtilla. Sumitur vel per ſe doſi cochlearis unius vel alterius, vel in Mixturis.

Aqua Theriacalis, Plateri.

Rec. Radic. Tormentill. Bardan. Pimpinell. Morſ. Diabol. Valerian. ana unc. iij. Oſtrutii, Angelic. Dictamn. alb. Gentian. Serpentariæ, ana unc. j. Cappar. recent. Nucum jugland. recent. ana unc. vj. Herb. Scabioſ. Verben. Calendul. cum floribus, ana M. iij. Card. bened. Rutæ, Acetoſ. ana M. ij. Inciſis & contuſis adde Camphoræ in Aquæ vitæ unciâ unâ ſolvendæ drachm. jſ. Mithridatii, unc. jſ. Vini alb. optim. M. ij. Aceti roſac. unc. ij. Deſtillentur in Baln. Mar. atque hinc uſui aſſervetur Aqua, de quâ ſubinde Cochleare plenum ſumatur in qualicunque veneno aſſumpto, temporibus contagioſis, in Colicâ &c.

Aqua Cinamomi Bugloſſata, Officinarum.

Rec. Cinamom. opt. libram dimidiam, Herbar. & Flor. Bugloſſ. unc. ij. Meliſſ. Flor. Borragin. ana unc. j. Aqu. violar. optim. Aqu. Roſar. fragrant. ana q. ſ. vel libras quatuor. Miſce & poſt aliquot dierum digeſtionem deſtilla in Balneo Mar. Sumitur per Cochlearia, & Mixturis commiſcetur ad Spiritus refocillandos, vires reſtaurandas.

Aqua Cordialis vel Cardiaca Uſualis.

Rec. Aqu. Ceraſ. nigror. Roſar. Borragin. Bugloſſ. Flor. Violar. Flor. Til. ana drachm. vj. Cinamom. ſin. vin. unc. j. Corn. Cerv. phil. ppt. ſcrup. j. Corall. rub. præpar. gr. x. Confect. Man. Chriſt. perl. drachm. quinque. Miſce, detur ad Vitr. Sumitur per Cochlearia.

Aqua Diuretica, Zvingeri.

Rec. Radicum Aſparag. Filicis, Aquilegiæ, Ononid. Pimpinell. Saxifrag. Apii, Ireos noſtr. Vincetoxic. ana drachm. iij. Herb. Anſerin. Cherefol. Ulmariæ recent. ana Man. j. Bacc. Juniper. Alkekeng. ana Man. ſ. Semin. Aniſ. Aquilegiæ, Fœnic. Dauc. Geniſt. Petroſelin. ana drachm. ij. Nucleor. Perſic. & Ceraſor. ana unc. ij. Inciſis & contuſis affunde Aquar. Gramin. Ononid. Flor. Sambuc. Plantag. Vini alb. tenuis optim. ana libras duas, Succi Citri unc. iiij. Stent per biduum vel triduum in leni digeſtione benè clauſa. Dein ſtilla lento igne in Balneo Mar. Doſis eſt ab unc. ſ. ad unciam integram, vel ſeſquiunciam.

Aqua

Aqua ad Auditum, Plateri.

Rec. Fellis bovis unc. XXIV. Rad. Porri, Raphan. Cepar. ana unc. iiij. Caſtor. drachm. j. F. Infuſio per aliquot dies, dein deſtilla per Balneum Maris. Subinde aliquid hujus Aquæ bombace exceptum Auri calidè inditur, in Tinnitu, Barycojâ, & Otalgiâ.

Aqua Vitæ cum Caſtoreo Officinarum.

Rec. Herb. Salv. Meliſſ. Ocym. Rutæ, Anth. ana Man. ſ. Nuc. Moſch. Cort. Citr. Zingib. Garyophyll. Cinamom. Cardamom. Cort. aur. ana drachm. ij. Caſtor. drach. j. ſ. Spiritus Vini Menſ. j. M. F. Infuſio per aliquot dies, dein deſtilla ſ. a. per Baln. Mar. & ſerva ad uſum.

Aqua Stomachica rubra, Zvingeri.

Rec. Spirit. Aniſ. unc. XL. Santal. rubr. pulv. drach. vj. M. F. Infuſio per aliquot dies, poſtea filtra, & adde Syrup. Cydon. unc. iijſ. Aquæ Cinamom. bugloſſ. Saccharo probè edulcoratæ unc. iij. M. D. ad Vitrum. Dari poteſt cochleatim in Stomachi imbecillitatibus, Colicâ flatulent. Vomitibus.

Aqua Cardiaca, Officinarum.

Rec. Aqu. Borrag. Ceraſ. nigr. Meliſſ. Flor. acac. Violar. purp. ana unc. j. Cinamom. Flor. Tiliæ ana unc. ij. Roſar. unc. j. Julep. roſac. unc. vj. M. D. ad Phiolam.

Aqua Antaſthmatica, Zvingeri.

Rec. Rad. Helen. Cariophyllat. Ariſtol. rot. ver. Ireos flor. Liquirit. Mutellin. ana unc. dimidiam, Fol. Hederæ terr. Hyſſop. Bell. min. cum Florib. Veronic. Flor. Papav. rhead. Keir. ana Man. j. Baccar. Juniper. Laur. ana drach. ij. Jujubar. Dactylor. Sebeſten. Pinear. Amygd. dulc. rec. excort. ana drachm. iij. Ficuum pingu. unc. j. Semin. Fœnic. unc. ſemis. Semin. Urtic. Naſturt. ana drach. ij. Cinam. elect. Caſſi. lign. ver. Mac. ana drach. duas. Vini Malvat. Spirit. Vini ſimplic. ana Libras iiij. Aqu. Veronic. Hyſſop. ana libr. ij. Inciſ. Contuſ. atque Mixta ſtent per aliquot dies Infuſa in loco tepido, poſtmodum deſtilla per Baln. Mar. & Aquam in Vitro probè tecto aſſerva.

Aqua

Aqua Anticolica, Dorncreilii.

Rec. Radic. Calam. arom. ver. unc. j. Galang. drach. iij. Flaved. Cortic. aurant. unc. iiij. Cinam. elect. drach. vj. Semin. Anis. Fœnic. ana drach. iij. sem. Cumin. drachm. vj. Bacc. Juniper. rec. unc. dimid. Bacc. Laur. drachm. iij. Pulverisentur subtilis. & infundantur in Vini Malvatic. optim. libris sex. Stent in loco calido per 6. dies, dein destillentur in Baln. Mar. igne lentissimo, & servetur ad usum in Vitro probè clauso. Valet in Colicâ flatulentâ, & à Pituitâ frigidâ oriundâ. Dos. à drachm. ij. ad unciam unam vel per se, vel cum Aquâ carminativâ aliquâ.

Emulsio contra Ardorem Urinæ, Zvingeri.

Rec. Amygd. dulc. rec. excort. Granor. Pini. ana unciam semis, Semin. 4. frigid. major. ana drachm. ij. Aqu. Portulac. Fœnic. ana uncias ij. Aqu. Rosar. unc. j. Decocti radic. Liquirit. Libr. j. Sacch. alb. Syrup. de Alth. Fernel. Syrup. Viol. ana unc. j. s. M. F. l. a. Emulsio, de quâ singulis trihoriis vel quadrihoriis unciæ tres hauriantur.

Balsamum Vulnerarium, Zvingeri.

Rec. Radic. Aristol. rotund. ver. Bistort. Ulmar. Rhabarb. Monach. ana, unc. sem. Herb. Sanic. Pyrol. Geran. Robert. Lichen. petr. Ophiogloss. Summit. Gallii lutei, Hyperic. ana Man. sem. Flor. recent. Meliloti hortensis odorat. Manip. j. Flor. Verbasc. Calth. palustr. ana p. ij. Semin. Loti. hortens. odor. drachm. iij. Lumbric. terr. unc. ij. Cochlear. rubr. num. iiij. Incis. & contusis affunde Olei Nuc. Jugland. libras iij. Ol. Hyperic. simplic. libr. j. Vini rubr. boni libr. j. s. Coque leni igne ad humiditatis aqueæ consumtionem, dein exprime fortiter, expressoque Balsamo adde Myrrh. optimè pulverisatæ unc. j. s. Mastich. pulveris. unc. j. Terebinth. Venet. lot. unc. ij. Digere adhuc parum, donec omnia in Balsamum conversa sint rubicundum, externo usu probatissimum.

Balsamum Ophthalmicum, Zvingeri.

Rec. Butyr. recent. non saliti Vino albo probè loti uncias duas, Axungiæ Serpent. Aqu. rosar. lot. unc. j. Antimonii diaph. Lapid. calam. præp. ana drach. ij. Tut. præp. Mercur. præcip. alb. ana drachm. j. s. M. F. Balsamum,

mum, d. ad Fictil. Valet mirè in Ophthalmiis, oculorum ungue, Uveæ procidentiâ; ſi mane ac veſperi, vel ſæpius magnitudo piſi majoris oculo immittatur, vel etiam Palpebræ dolentes, ac rubicundæ prurientes eo inunganˉtur.

Candelæ fumantes Regiæ.

Rec. Carbonum Tiliæ leviſſ. unc. xvj. Aſæ dulc. Styrac. calam. ana unc. ſemis. Balſam. Peruv. drachm. iij. Tacamahac. ſelect. Ladan. pur. ana drachm. j. ſ. Moſch. orient. ſpir. roſar. ſolut. Ambr. gryſ. ana gr. xxiv. Zibeth. Olei deſtill. Thym. ana gr. xij. Cum Mucilag. Gummi Trag. Aqu. Roſar. fact. f. Candelæ minores in Umbrâ ſiccandæ.

Cauterium indolens ſ. Pyrapyron, Zvingeri.

Rec. Albi crudi ſive Calcis vivæ part. ij. Rubri cocti ſive Minii, part. j. Nigri unctuoſi ſ. Saponis nigri q. ſ. M. F. Paſta, formentur inde Pilulæ, quibus recentibus adhuc utere; eas ſcil. ſaliva madefactas applicando ad locum corrodendum; operantur lentè, ſed indolenter ac tutè.

Aqua Ophthalmica, Zvingeri.

Rec. Roris Majalis Menſ. ij. Succ. Rutæ unc. iij. Miſce & digere in Vaſe clauſo ſub Radiis Solis per ç. vel ſex hebdomadas, pòſt filtra, & Liquori filtrato adde Lapid. Calamin. præparat. Antimon. diaph. ana unc. ſemis, Camphor. Sacchar. Saturn. ana drachm. j. ſ. Miſce probè, atque denuo in Solis radiis per aliquot hebdomadas digere; dein ſerva ad uſum: & ubi eadem uti velis, probè priùs agita. Calefit autem leniter, linteola Aquæ immerſa in Oculum exprimuntur, Oculoque dein calidè applicantur.

Decoctum Vulnerarium, Zvingeri.

Rec. Herb. Sanicul. Pyrol. Alchymill. Hepat. nobil. Artemiſ. Lichen. petr. Clemat. Daphnoid. ana M. j. Flor. Roſ. rubr. Bell. min. ana Manip. dimid. Inciſa tenuiter miſce ad ch. Hujus autem mixturæ herbarum Manipulus in libris duabus Vini albi veteris, ac totidem libris Aquæ coquitur per horæ quadrantem; De Colaturâ poſtmodum mane, veſperi & noctu unciæ tres vel quatuor bibuntur; atque proſunt in Vulneribus, Ulceribus externis, internisque detergendis, mundificandis & conſolidandis. Sanguis

guis etiam Salino-Acido-Scorbuticus inde corrigitur, elutriatur atque edulcoratur; Decoctum proin utile in Scorbuto, Arthritide, Nephritide, Phthisi, & Hecticâ qualicunque.

Infusum Emmenagogum, Zvingeri.

Rec. Limat. Chalyb. unc. sem. Cinam. opt. drachm. ij. sem. Fœnic. Flor. Salis armon. ana drachm. j. s. Croc. orient. scrup. ij. Macis drachm. dimid. Summitat. Majoran. Roris mar. Artemis. Flor. Beton. ana Manipul. dimid. Incisis & contusis affunde Vini albi Veteris vel Rubri tenuis optim. Libras ij. Aquæ destill. Gramin. libr. j. Digere per quatriduum in loco tepido, quotidie agitando. Tandem Colaturæ adde Syrupi de 5. Radic. & Capillor. Vener. ana unc. j. s. Detur ad Vitr. De hoc Infuso sumantur quotidie mane ac vesperi bihorio ante pastum tria vel quatuor cochlearia. Ciet Menses, emendat Cachexiam, medetur Chlorosi & Leucoplegmatiæ, Urinam movet, Cordis palpitationem emendat.

Liquor Stypticus, Dolæi.

Rec. Alumin. Crud. Vitriol. Mart. Sacch. Saturn. ana part. æqual. Misce contusa invicem, & affunde Aceti Vini opt. Liquor. terr. sigillat. cum Spirit. Vitriol. ana part. æqu. & quant. suff. Digere, filtra. Dosis à gutt. 10 ad 30.

Essentia Ambræ liquida, D. Henr. Scretæ.

Rec. Ambr. gryf. drachm. j. Mosch. Orientalis opt. gr. 15. Olei destill. Cinam. gutt. 15. Sacchari albi q. s. ad Ambram terendam, Spirit. rosar. q. s. ad Moschum solvendum v. g. ana drach. 6. Spiritus vini tartarisati unc. 6. Stent in Phiala hermeticè sigillatâ in loco leviter calido per aliquot dies, donec Tinctura aureum colorem contraxerit, quam suaviter filtrabis, ac magmati residuo unam vel alteram unciam de Spiritu vini tartarisato affundere poteris, ut quod de Essentiâ restat, extrahatur, prout supra, & priori addatur.

Sal volatile oleosum, Ejusdem.

Rec. Salis Tartari puriss. libr. j. oleorum stillatit. Succin. alb. Amarac. Thymi, Serpill. ana drachm. ij. vel q. satis ad obtinendam offam. Tamdiu super Porphyrite vel in Mortario lapideo, vitreóve misceantur, donec offa alba appareat, ac olea benè Sali adhæreant. Postea adde Salis armoniaci puriſſimi Libram unam, confestim vel citò probè

probè mixta ſive ſolitariè, ſive affuſione Aquæ deſtillentur Artis lege in Cucurbitâ vitreâ ex Arenâ, donec urinoſa ſalis pars unà cum Oleis junctis aſcenderit; quod ſal poſtea in limpidum ſolvitur liquorem, vel ſi Cryſtallos acquirat, pauxillo Spiritûs Vini tartariſati in liquorem verti poterit, de quo poſtmodum in Syrupo de Betonicâ, vel Aquâ appropriatâ cephalicâ mane ac veſperi 10. 15. ad 20. guttas aſſume. Omni Cephalææ antiquæ, ac Hemicraniæ, à ſtagnatione Lymphæ & craſſo Sanguine, vel ſegni ejuſdem motu ortis remedium conveniens.

Aqua Coſmetica diſcutiens ac detergens.

Rec. Aqu. Roſar. incarn. Flor. lib. alb. Chelidon. major. Succ. Limon. vel Citr. ana unc. j. Mercur. dulc. opt. drachm. j. f. Miſce probè, uſque dum Mercurius ſit ſolutus: hinc noctu linteum liquori huic calefacto intinctum faciei, aliiſve locis, ubi exanthemata ſunt, calidè applicetur, ac poſtridie mane Facies Aqu. flor. Lil. alb. Acaciar. vel Malv. iterum abluatur. Sæpiùs reiterandum eſt hoc, donec facies nitida evaſerit iterum. Si Rubor & Ardor ſimul jungantur exanthematibus aut maculis in facie, tum Aquæ illi permiſcebis ſemunciam Mucilaginis ſemin. Pſyll. Aqu. Roſar. fact. & Camphor. Spirit. Anth. ſolvend. drachm. j. Sunt etiam, qui loco Mercurii dulcis, ſumunt Mercurium ſublimatum corroſivum ad ſcrupulum unum vel ſemidrachmam.

Hydromel ex deſcriptione Guil. Arragoſii.

Rec. Mellis optimi libr. dimid. Aquæ fontan. libras iiij. vel v. Bulliant lento igne ad deſpumationem perfectam. Tum ceſſante fervore extra ignem infunde Cinamomi contuſi pro ratione ventriculi validi vel imbecillioris, ad libitum, coletur ut Oxymel, & ſervetur in Caveâ. Uſus ejus eſt in paſtu loco Vini extra Febrem in Tuſſi, Raucedine, Aſthmate.

Syrupus Antihecticus, & Sceletyrbicus, Zvingeri.

Rec. Herb. recent. Beccabung. Cherefol. Fumar. Naſturt. aquat. ana unc. j. Trifol. fibr. Cochlear. ana unc. ſ. Flor. recent. ac Fol. Bellid. minor. unc. ij. Mundatas has plantas omnes minutim incide & in mortario lapideo contunde:

tunde : poſtea Rec. Sacch. alb. opt. unc. quatuordecim vel ſedecim. Aquar. Cherefol. Fumar. Scab. Flor. Til. ana unc. 5. vel 6. Solve ſuper ignem lenem, ſolutum fervidumque adhuc Saccharum affunde Herbis contuſis, ſtatimque per Colum trajice cum leniſſimâ expreſſione, Syrupum trajectum uſui repone in loco frigido. Exhibetur man. ac veſper. cochleare unum vel alterum plenum in Atrophiâ, Anaſarcâ, Rachitide, Hecticâ, Obſtructione Hepatis, Lienis, Meſenterii, atque Uteri; In Tuſſi denique à pituitâ viſcidâ pulmonibus impactâ originem ducente.

Elixir Stomachicum, Zvingeri.

Rec. Spirit. Ceraſ. nigr. rectific. libr. 4. Sacch. alb. libr. Ceraſor. acidorum nigr. tantillum ſiccator. Pom. citr. ana uncias tres, Cinam. elect. drachm. ſex, Caryophyll. aromat. unciam dimid. Mac. drachm. j. Inciſ. & contuſ. iinvicem miſce, ac Phiolæ immitte; quam probè clauſam per menſem Solis radiis expone, ſubinde intra octidui ſpatium agitando. Confert egregiè in Stomachi imbecillitate, catarrhis pectoralibus ac cephalicis. Doſis Cochleare unum vel alterum plenum.

Pilulæ uſuales laxantes, Zvingeri.

Rec. Aloës ſuccotr. unc. j. Scammon ſulphurat. drach. ij. Extract. Centaur. min. ſcrupul. viij. Myrrh. elect. Caſſiæ ligneæ ver. ana ſcrupul. iiij. Croc. oriental. ſcrupul. ij. Olei deſtill. Roriſmar. q. ſ. M. F. l. a. Pilulæ num. 480. Inaur. ac pulver. liquirit. vel Cinam. conſperſ. d. ad ſcatulam. Pilulæ hæ Cholericis ſunt & Phlegmaticis convenientes, ſumuntur inde decem vel 12. paulo ante Cœnam, & ſequenti mane purgabunt leniter, ſegnemque alvum ſubducent; Flatus diſcutient. Si bilem in ſe quis æſtuantem perſentiat, capiet ſimul drachmam dimidiam Cremoris Tartari, cum juſculo, aut Vino albo.

Pilulæ Antiloimicæ, Zvingeri.

Rec. Rhabarb. elect. Extract. Centaur. min. Unicorn. marin. ppr. Myrrh. elect. Bezoard. miner. ana drachm. ij. Extract. Angel. drachm. j. ſ. Extract. Croc. drach. dimid. Ol. ſtillat. cort. citr. gutt. xij. Mithridat. Damocr. q. ſ. Miſc. f. l. a. Pilulæ pondere gran. ij. Serventur in Pyxide ſtanneâ.

Tempore contagioſo quotidie 5. vel 6. cum Vino rubro præſervativi loco ſumantur.

Pilulæ Anodynæ, Zvingeri.

Rec. Theriac. Cœleſt. drachm. j. Dent. aprin. præp. Antimon. diaph. opt. ana ſcrup. ij. Succin. alb. præp. Cinnab. nativ. opt. ana ſcrup. j. Eſſent. Croc. q. ſ. M.F. Pilulæ pondere gran. j. ſ. Doſis Pilulæ 5. ad 10. In Cephalalgiâ, Dolore Iſchiadico, Pleuritide nothâ, Tuſſi ferinâ, Vigiliis nimiis, Nephritide, Colicâ, Diarrhœis.

Pilulæ Odontalgicæ, Zvingeri.

Rec. Theriac. Cœleſt. ſcrupul. ij. Laud. Opiat. ſcrup. j. Radic. pyrethr. gr. xviij. Piperis alb. ſcrupul. dimid. Olei deſtill. garyophyll. gutt. viij. M. F. Pilulæ num. 60. Conſperſ. pulvere Cinam. d. ad Pyxid. Si dens fuerit cavus, maximeque dolens, ſubinde una indatur pilula; ſiſtit enim dolorem, cariem emendat, ſalivam cum levamine copioſam elicit, & vermiculos dentium necat.

Trochiſci Prophylactici ſublinguales, Zvingeri.

Rec. Radic. Ireos flor. drachm. ij. Angelic. drachm. j. Zedoar. ſcrupul. ij. Cortic. Citr. recent. drach. j. Bol. armen. præp. drachm. ij. Antim. diaph. Unicorn. mar. præpar. Cinam. optim. ana drachm. j. ſ. Garyoph. arom. ſcrup. ij. Moſch. ſpirit. roſ. ſolut. ſcrupul. dimid. Sacchari optim. unc. iiij. Mucilag. Gumm. Trag. aqu. Roſar. fact. q. ſ. fiant Trochiſci ſublinguales, Tempore contagioſo ſæpius lambendi.

Pulvis Antiphthiſicus, Zvingeri.

Rec. Pulver. Lichenis Petræi unc. ſ. Pulmon. Vulp. præpar. Diaphoret. Jovial. ana drachm. ij. Sacch. cand. alb. unc. j. M. F. pulv. ſubt. de quo ter quotidie ſcrupuli duo vel tres capiantur in Phthiſi, aliisque Ulceribus internis.

Tragema Cephalicum, Zvingeri.

Rec. Summit. Majoran. ſicc. unc. j. ſem. Summit. Roriſmar. ſicc. unc. ſ. Cinam. opt. drachm. iij. Macis drach. ij. Ebor

ij. Ebor. præp. unciam. dimid. ſ. Nuc. moſch. Caryophyll. ana drachm. j. Semin. Fœnic. Aquileg. ana drachm. j. ſ. Sacch. alb. unc. ſedecim. M. F. Pulvis ſubt. d. ad Scatul. Cephalicus eſt, ſtomachicusque pulvis aperiens, diſcutiens, incidens, nervos roborans; in Cephalalgiâ, Hemicraniâ, Vertigine, Uteri ſuffocatione, Epilepſiâ, Catarrhis apoplecticis apprimè utilis. Doſis quotidie drachm. ij. ad unciam dimid.

Pulvis dentifricius, Zvingeri.

Rec. Oſſis Sepiæ libram dimid. Rad. Ireos flor. Sanguin. Drac. ana unc. j. ſ. Corall. rubr. unc. ij. ſantal. rubr. unc. j. ſ. Cinam. opt. unc. dimid. Alumin. uſt. drachm. ij. ſ. Miſc. F. Pulvis d. ad ſcat. Dentes mundificat, & ab omni carie tutos præſtat; poſt ſingulos inprimis paſtus eo dentes fricentur ac mundentur, ſine elotione ſequente. Vel ſume Radices Melvæ cortice ſuo nudatas, macera per 24. horas in Aceto roſaceo, evadent rubicundæ, cum his poſtea Dentifricio imbutis dentes abſterge.

Secretum expertiſſimum ad ſemen multiplicandum, ac Virilitatem reſuſcitandam atque confortandam, Henrici IV. Regis Galliar. Potentiſſ.

Rec. Nuc. Pinear. Piſtaciar. ana unc. ij. Cerebr. duorum Paſſerum vel unc. dimid. Stinc. marin. Radic. Satyr. recent. drachm. novem. Sacchar. cand. alb. unc. ij. Teſticulor. Capri priùs aſſator. num. ij. Omnia invicem contuſa coque cum lacte Vaccino, & per ſetaceum tranſmitte; quod primâ vice non tranſmiſſum erit, iterum coque atque hinc inſtar Caſſiæ exprime, idque repete, donec omnia ſint tranſmiſſa; tum adde Semin. Eruc. Cœpar. Napi Radic. Galang. Zingib. Cinam. elect. Cardamom. ana ſcrupul. ij. Ambræ gryſ. ſacchar. terend. ſcrupul. dimid. ſacch. albiſſ. libram dimid. Cum Aquâ Meliſſ. formentur Morſelli, quorum doſis erit drachm. ij. vel trium, duabus tribuſve ante coitum horis. Fœminis æquè ac Viris utile.

Olivæ ut celerrimè condiantur.

OLIVAS virides ſi citò libeat parare incidantur & in aqua calcis cum duplo cineris, per horas XXIV. ſinantur tepere: pòſt tepidâ quinquies laventur, inde aquâ ſalsâ. *Cardanus.*

Myrteæ baccæ, & ficulnei rami ut virides ſerventur.

Myrteæ baccæ cum cauliculis, & ficulnei rami cum foliis in faſciculos redacti, amurcâque ſepulti virides ſervantur, ſed vas gypſo oblinere oportet: atque ita condiuntur quæcunque ſpectare potiùs quàm edere conſilium eſt. *Idem.*

Rhabarbarum ut diu conſervetur.

Cera ſi quid aliud medicamentorum vires ſervat, aërem enim prohibet, humectat moderatè. Conſtat, Rhabarbarum non aliâ re melius ſervari etiam ad annos XX. *Idem.*

Ad ceram rubeo colore tingendam.

Rec. Ceræ lib. j.
Terebinthinæ unc. iij. tempore hyberno.
Cinnabaris ſuper lapidem pictorum benè triti.
Olei communis, ſing. unc. j.

Liquefiat cera & terebinthina ad ignem, demum removeatur, & poſt aliqualem refrigerationem addatur oleum, & cinnabaris, beneque ſimul miſceantur & ſervetur. Nonnulli loco Cinnabaris ponunt Minii unc. iij. pro qualibet libra ceræ. *Alexius.*

Ad Ceram viridi colore tingendam.

Rec. Ceræ lib. j.
Floris æris triti.
Olei communis ſing. unc. j.

Liquefiat cera ad ignem, & cùm ferè refrixerit, addatur flos æris, & oleum, miſceantur benè & viridis fiet. Quòd ſi hanc ceram tenacem facere voles, adde quantitatem terebinthinæ ſuprà ſcriptam in cera rubra. *Idem.*

Ad Ceram nigro colore tingendam.

Rec. Ceræ lib. j. liqueſcat ad ignem, cui deinde addatur

tur terræ nigræ, olei communis ſing. unc. j. miſceantur optimè, donec frigeſcat cera. Quòd ſi glutinoſam efficere voles, adde terebinthinam, ut antea dictum eſt. *Idem.*

Ad dealbandam ceram.

Rec. Ceræ quantum volueris.

Aquæ fontanæ partes ij.

Miſceantur & calefiant ad ignem, donec cera liqueſcat, deinde paululum permittatur quieſcere, donec tota cera natet ſuper faciem aquæ: Poſtea accipe vas aliquod vitreum, cujus pars exterior ſit lenis: & madefac in aqua frigida, deinde infundatur ferè medietas ejus in cera liquefacta: & extrahe cum cera quæ ſibi adhæret, & permitte ceram illam infrigidari, deinde ſepara eam à vaſe: Et tamdiu hoc facias, quoad tota cera ab aqua fuerit extracta: deinde dictam ceram taliter formatam Soli exponas, & rori in Majo: & illam ſæpe volvas: & tamdiu permittatur, donec fiat alba ut ceruſſa. Nonnulli tribus dieb. ipſam dealbant, ſervando prædictum modum, quando ſol in majori calore eſt: Et quia cera illa ſubtilis eſt, faciliterque à calore poſſet liquefieri, aſpergenda eſt aquâ fontanâ bis in die.

Aliud.

Exponatur cera quæcunque ad Solem, humectetur quotidie aquâ fontanâ, limpidâ tamen & purâ ſæpiùs lavando, redigaturque in paſtillorum formam, ut Sol eò melius poſſit operari: & ceram habebis, ad rem quamvis, albiſſimam. *Ludolph. Rolevincus.*

DE ARTE FABRILI.

CAP. V.

Horologia abſque fune.

STANT pro fune rotæ, in quibuſdam molæ ſuperpoſitæ, limacis figura, denticulis XXVI. quibuſdam etiam pluribus: ab his denticulis axis, qui totam agit machinam circumagitur. Id altero rota eſt denticulis XLIIX. in imo diſpoſitis, alterique rotæ implexis, ut cùm molæ nixu quæ in imo eſt circumvertitur, alia totidem dentibus implexa etiam circumvoluta totam machinam ſecum ducat. *Cardanus.*

Vaſa quæ non frangantur.

Docuit hæc etiam vaſa pro liquandis metallis conficere:

Nam ex arietis cornibus, præcipuè ſummitate, & oſſibus in cinerem redactis, piſtilloque ſubactis fiunt. Si verò ſmirim aut ſummitates cervini cornu, vel mandibulas Lucii ignitas, ac in aceto extinctas bis aut ter addideris, neque frangentur vaſa, nec metallum effugiet: adduntur hæc intus & ubique ne combibat, ſed in imo præcipuè. *Idem.*

Sera quæ ſub quocunque nomine claudi poteſt.



Hanc *Janellus* conſtruxit, ſeptem conſtabat literis, nec ſub alio nomine quàm clauſa erat reſerari poterat. Orbis primùm erat ſolidus, atque ex adverſo lenis: parte anteriore canalis ex centro rectus prominebat, in cujus faſtigio cochlea maſculus brevis erat. Huic in margine orbis alius eſt canalis inanis, rotundus, magnitudine æqualis & æquidiſtans: atque ex adverſo duæ lineæ parvæ limbum diſtinguunt: His lineis 7. dictionis literæ, orbiculos circumagendo, aptandóve è directo poni debent, eo ordi-



ne quem ſervare inſtituiſti: ut nomen exempli gratiâ ſeptem literarum ſit ſerpens, ſinguli orbes è directo ſpacii duarum linearum ſuam literam conſtituent, ut vel claudi vel aperiri poſſit. Erunt enim ſeptem orbes in margine alphabetum habentes, quorum unum pro exemplo in margine deſcripſi: aut totidem numero, quotus eſt literarum numerus ſub quo claudi debet. In medio circulus latus, totidem diſtinctus ſpaciis, quot ſunt in margine literæ. Totidem quoque orbiculi dentati, quot ſunt ordines alphabeti. Hos in tertia figura denticulo adjecto deſcripſi, velut in quartam partem orbium ſecundæ figuræ poſteriorem, cum ſpatio in orbiculo medio, cujus denticulus parvi orbis infigatur. Manifeſtum eſt enim, ſic in circumverſo ſecundo orbe ſimul & tertium ſecum trahi, & tamen non niſi fixa litera loco ſuo unus alteri aut jungi poterit aut avelli. Cùm concluſa fuerit ſera, circumaguntur orbes abſque impedimento ut ſic nominis ratio confundatur. *Idem.*



Arca quæ pecunias recondit abſque indicio.

Nemo ignorat materiam è ferro, craſſitudine tabularum eſſe neceſſariam. Tùm verò uſitata, duplicem arcæ fundum, aut è lateribus arculas, & recondita ſcriniola abdi-

tosque receſſus, quæ omnia ſagacem virum haud fallere poſſunt, cùm craſſitudinem partium & laterum invicem comparaverit. Itaque in lateribus, vel angulis decliviore loco foramen aperitur exiguum, intus verò cavitas eſt in tabula quantam volumus, imò plures includuntur pecuniæ, & cum cotto completur cavitas, inde tenuiſſima ligni ſcobe, & albo ovi locus quâ patet clauditur, ut etiam eum qui clauſerit fallat. *Cardanus.*

Aliud ad idem.

Tabula cavitati obducitur ita arctè, ut rima non appareat. In fruſto quod amoveri poteſt cochlea parva è metallo fœmina includitur, eique clavus ſuperponitur: alii illi conſimiles per arcam certo ordine diſponuntur, cùm referendus eſt locus ſublato clavo cochlea maſcula intruditur, fruſtulumque tabulæ avellitur. Semper autem memineris ut loci inanitas, cùm quidpiam impoſueris, nec reſonet, cotto vel aliâ re ſimili impleatur. Plures etiam ſic latebras facere potes. *Idem.*

Aliud optimum ut nihil melius.

Seram aut ferreas laminas quibus arcæ integumentum annectitur, clavis in cochleæ formam aptatis tabulæ firmiter junges. Sub ſera aut lamina oſtiola ſint cavitatum: cùm reſerare volueris, ferrum habens ut à latere vides, in cujus extremo cavitas ſit, quæ capita clavorum firmiter apprehendat, ſic ut revolvi ſeram aut laminam ab arca disjungi permittant. Oportet autem, ut opus ſit ſtabile, clavis ſubigere cochleas fœminas, quæ clavos arctè ſuſcipiant easque arcæ lateri ſub bracteis dictis collocare. In arcis etiam quæ tela intus obducuntur, multi alii modi ſolent excogitari. Sed in univerſum danda eſt opera, ut vel omninò lateat foramen, ut primo exemplo docuimus, vel ut firmiſſimo præſidio & ſolita bractea abſcondatur. Sic etiam magis latebit: & oſculo ſolubilis arcæ inſertis tabularum capitibus integantur. *Idem.*



Sera mirabilis.

Non minoris hoc erat induſtriæ, quod mihi non ita pridem oblatum eſt, ſeræ genus inuſitatum quidem quo cæteris forte minùs commodum videatur, ſed viſu certè non inju-

injucundum ob ingenioſos ejus artificii ductus. Ferrea erat fiſtula A. digitos ſex aut plures longa, cui adfixum erat regulum B. inſtar Falcis tortuoſum, & ita quidem adhærens, ut foramen ad fiſtulæ latus exciſum, ex altera ſui parte poſſet inſeri, viciſſimque ſi quando aperienda eſſet ſera, educi. Ne verò ſine clavis adminiculo à quovis aperiretur, cuneus D. ea craſſitie quam fiſtulæ ferret capacitas, in fiſtulam G. duabus cuſpidibus, E. E. in duo anſæ ſeu repaguli modò deſcripti foramina intrudebatur. Cuſpides autem ex utroque latere pinnulis erant inſtructæ, quæ ubi foramina pertranſiſſent extendebantur, atque ita nec cuneus extrahi, nec repagulum ſolvi poterat, niſi clavis auxilio pinnulæ conſtringerentur, quo cunei exitum impediebant: Ea verò clavis F. alio quàm uſitato modo confecta erat: Inſtar enim bacilli oblonga exiſtens, in fiſtulam ex altera parte H. ingerebatur, duobusque in apice interſtitiis, II. cunei pinnulas comprimebat, eaque ratione repagulum, demto cuneo, facilè extrahebatur.

Portæ ut à domeſticis ſolùm aperiri poſſint.

Sed ad mechanica redeo; deſcribamus autem duos modos, quibus conſtrui poſſunt ſeræ portarum, ut à domeſticis ſolùm poſſint aperiri, ab aliis minimè: ut ex his innumerabiles variaque ab his poſſis excogitare. Sit igitur A. annulus G. junctus baculo ferreo ſolido B C. annulus alius C D. in cujus medio B C. circumagitur (quia rotundus nec annulo junctus) intra poſtes eſt, A. autem extra prominet: Convenit autem baculus ipſi C D. D E. verò eſt lamina ferrea juncta annulo C D. ut circumacto annulo elevetur, per ſe autem ſponte decidat: decidit autem F. uncum ferreum alteri poſti infixum, G H. pars januæ in qua annuli. Itaque cùm A circumducitur non movet C D. tum propter pondus D E. tum quia annexus baculus non eſt ipſi C D. Cùm verò G. H. impellitur, vehementer E. adhæret F. ideoque non poteſt elevari D E. cùm autem mediocriter B. adhæret C D. elevatur annexum C D. & D E. lamina, aperiturque porta. Igi-



tur & trahendo vehementer & non movendo immobilis D E. Mediocriter autem movetur, atque ita inter immobilia extrema, medium mobile manet. *Cardanus.*

Alius modus.

A. annulus extra portam prominens, junctusque baculo, qui intra portam annulo B. jungitur, ipsi B. jungitur superius alter baculus C. ita ut circumagendo A. circumdetur & C. prominet autem C. aliquantò ultra postem interius, ita ut si circumvolvatur, non cadat supra D E. Est autem D E. lamina infixa posti G H. cum clavo, ita ut decidere possit & elevari, qua foramen, per quod clavo D intruditur, laxius est: Decidit autem in P. uncum, ut prius alteri posti fixum: Hoc totum artificium lignea tabula concava, quæ motum repaguli minimè impediat, posti GH. affixa integitur, sicut & in aliis, quæ occulta esse volumus, quia non sunt omnia improbo mundo communicanda. Trifariam igitur decipitur in hac constructione, qui compositionem & usum ignoraverit: primùm quòd cùm in aliis D E. sit annexum B. circumverti solent à sinistra in dextram: Hic autem versa vice, quia aperiuntur valvæ eo quòd C. deprimit D. & ita propter hypomochlion elevatur E. Secundò quia cùm C promineat longius à porta quàm D E nisi retrahatur A. non cadet C super D & ita non aperietur. Tertiò quia si non statim aperiatur porta, C descendet infra D. & E. rursus concidet, quoniam C. longitudo vix extenditur ultra D. Ex quibus quartum sequitur quòd nisi fiant duo motus contrarii, non poterit janua aperiri. Oportet enim trahi ut C decurtetur, & impelli ut aperiatur: quos duos motus contrarios simul efficere insuetis non est admodum facile. *Idem.*

Instrumentum quo versa circumaguntur minimo igne.

Ferrea lamina lateribus camini muro utrinque infigitur. In ea est foramen in quo cuspis flagelli ferrei versatilis intruditur. Flabellum tenue est, & ab imo tympanum habet dentatum; cujus cuspis altera parum obtusa infigitur foramini superiori clavi, & ipsa in eo versatilis. In eodem clavo juxta foramen superius aliud est foramen à latere, cui intruditur cuspis alterius ferreæ virgæ, cui juxta cuspi-

cuſpidem, quæ eſt in clavo, rota ferrea cum denticulis circumducta, ſic ut denticuli tympano inſerantur, & ipſa cuſpis verſatilis, ut ex adverſa parte quæ includitur annulo: juxta medium ligneum circumducitur tympanum excavatum multis circulis, quorum cavitatibus catena circumacta ferrea rurſus circumambit circulum ferreum circumdans veru: ut quot fuerint circulorum cavitates in tympano ligneo, tot etiam ſint catenæ, totidem verua, quibus inſerantur. Ita ergo fit, ut fumo flagellum quod quaſi



alis inæquale redditur, ac quaſi inclinatum convertatur, quo tympanum rotam circumagit, quæ catena ob inæqualitatem ſecum agens, convertit totum veru. Tantâ verò in æquilibrio, & ad perpendiculum flante flabello, vertitur facilitate, ut etiam ſine igne modò veru non adſit, etiam tympanum circumagat rotam ſibi inſertam, non obſcurâ ratione. Nam ſub camino aër incluſus, cùm in arctum feratur, vim habet, ut aliàs de cryptis oſtendimus. Indicioque hoc eſt, aërem ſurſum ferri. Atque eo maximè hoc contingit, cùm levis fuerit machina & benè polita, & camini ſpatium circa flabellum undequaque concluſum, ut minimum reſpiret. Camini nomine, ut clariùs intelligerer, quemadmodum etiam alibi licenter uſus ſum pro mea, qua polleo authoritate: non ignorans focum latinè aut fumidum operculum rectius dici debere: agitur flammâ

mâ potiùs quàm fumo, propter motum vehementem: à pruna nequaquam. Verua quoque rotunda eſſe oportet, eâ parte quâ inſident macrotripo dicto: angularia enim non facilè vertuntur. *Idem.*

Menſæ quæ duplicantur.

Non contemnenda eſt menſæ conſtructio, quæ à me ſæpius in Belgica Gandavi maximè viſa eſt. Sumatur quadrata margo veluti quatuor cubitos longa, totidemque aut paulò minus lata A B. in medio huius ſit ſecundùm tranſverſum C D. tabula lata dodrante affixa clavis margini, atque in eadem duo foramina, in quibus paxilli poſſint intrudi infra deſcendere ac firmari, columnæ quatuor in capitibus marginis, & juxta illas quatuor foramina, ſingula ſingulis non è regione inter ſe poſita in lateribus longitudinis, ſed tanto intervallo ut ſeſe repagula mutuò non impediant. Ipſa verò foramina uſque ad marginis ſuperficiem attingunt quadrata ac profunda ac lata pro magnitudine extremitatum repagulorum quæ ipſis inſeruntur. Nam omnia tantum profunda eſſe debent, quantum eſt altitudo minima repagulorum, ſeu ut extrema eorum quibus inſeruntur foraminibus ad unguem ex omni parte conveniant. Sub tabula C D. tignum collocari debet,



in quo





in quo inciſuræ profundæ quatuor, juxta magnitudinem repagulorum, qua parte latiora ſunt, latæ etiam ad modum eorum, ut ipſa recipere poſſint cùm intrudantur. Eſt poſtmodum tabula longa E lataque ad unguem quantum margo A B. & duos habet paxillos qui intruduntur C D. foraminibus, ita ut elevari ac deſcendere poſſit, loco moveri non poſſit, eaque perpetuo ſuperſtat margini, niſi ſi quis velit alia ex cauſa eam auferre paxillos elevando. Porrò tabula C D. ſuper marginem inſidet, elevatque pro ſua craſſitie E. tabulam à margine, dum repagula extenduntur. Demum fiant duæ tabulæ F & G. altitudine æquali exactè tabulæ C D. longitudine verò ac latitudine tantæ, ut ad unguem compleant ſpatia circa CD. ipſius marginis, adeò ut C D. & F. & G. ſimul junctæ æquentur E. his repagula bina & bina clavis, & glutino firmiſſimè ſubaffigantur: repagulorum verò longitudo æqualis ſit A B. longitudini, latitudo quanta eſt cavitatum in margine quibus excipiuntur, altitudo etiam in extremitatibus æqualis ad unguem cavitatibus marginum, ſed ſenſim ab utroque extremo verſùs medium augetur, adeò ut altius medium ſit extremis ad amuſſim, quantum eſt craſſities C D. F G. tabularum, quas æquales eſſe ſuppoſuimus: In medio quoque ejus maximæ altitudi-

tudinis duo utrinque tubera prominent è lateribus. Quibus expoſitis oſtendo rem perfectam eſſe. Cùm enim extremo repagulorum adverſo margini intruſeris, medium eorum cavitati ſubjectæ trabis inſidebit. Cumque F & G. conveniant ſpatiis circa C D. non excedent limbum nec deficient. Et quia altitudo F & G. tanta eſt, quanta C D. fiet una quaſi tabula ex tribus compoſita C D F G. unius altitudinis, cui ſuperinducta E. effigiem quadratæ tabulæ referet atque ſolidæ. Cùm verò exeris repagula, quæ latiora ſunt verſùs medium, ideo excedent cavitates, ſenſimque elevabunt tabulam E. quæ ob paxillos patitur ſe elevari: non enim conjuncta eſt cum C D. & eouſque elevabitur, donec limbi interiores F & G. cadent extra E: tunc enim E cadet ſuper C D & F. illi convenient: retinebuntur autem propter tubera, ne amplius extractæ rimam latiorem relinquant cum E. nec poterunt decidere, quia repagulorum extrema continentur à C D. tabula, cùm ad illius medium perveniant exactè, ut demonſtratum eſt, nec altiores poſſunt eſſe quàm E. aut humiliores, quia differentia medii repagulorum ab extremis, eſt ſuppoſita æqualis altitudini C D. Igitur repagula elevabunt tabulas, quibus affixa ſunt ſupra marginem ad quantitatem altitudinis G D. Cùm igitur E. ſuperſtet, C D. erit ad libramentum E. tum F & G. quod erat demonſtrandum. Manifeſtum eſt autem, quòd cùm volueris reducere rurſus F & G. ſub E. quòd oportet elevare capita E. utrinque.

Ut arcæ colorem nanciſcantur pulchrum.

Lignea ſupellex quam amurcâ deterſeris, & expoliveris, coloris gratiam ac ſplendoris elegantiam miram contrahet. *Mizaldus.*

Arcæ ne fumo vitientur.

Lignea eadem amurca macerata, aut delibuta, nullo fumi tædio exardeſcent. *Idem.*

Circuli ferrei omnibus vaſis commodi.

Compendio eſt rei familiaris, ſi ferreis vinculis vaſa vinciantur: Nam in ſingulos annos ſumtus eſt fermè ex octava parte. Verùm & ferrei circuli quandoque franguntur, lignei autem frequenter dum muſtum fervet. Remedio ſunt circuli ferrei, qui omnibus vaſis conveniunt, quos

Medio-

Mediolani è Germania delatos vidi, juxta templum beati Ambroſii. Eorum conſtructio talis eſt, circulorum ferreo-



rum portiones quaſi maximorum vaſorum, adeò parum incurvatæ junguntur, flexilibus fibris veluti nodis. Itaque fibularum auxilio adeò incurvantur, ut etiam minimis utribus poſſint convenire, in quibusdam harum ſunt clavi exterius prominentes alterâ medietate, alterâ foramina quibus clavi alterius portionis excipiuntur, ita fit ut modò producti magnum explicent circulum, modò contracti parvum ſed multiplicem. Extrema junguntur cochleâ maſculâ, qui ſimplici foramini adverſæ partis quaſi annulo incluſa ac prominens eâ parte inſeritur, quâ prominet feminæ cochleæ minimæ circulorum portionibus juncti: ſed vecti ferreo, à quo circumducta conſtringit circulum, ut totum id, quo laxior eſt, auferatur, utroque in ſe coacto vinum effundi non permittat. *Cardanus.*

Ut arma cælentur.

Mira ſubtilitas eſt in cælandis armis, de qua partim aliàs partim nunc etiam dicetur. Modus ergo alius: picem, oleum lini, & thuris modum coquunt, inſpiſſant, illinunt hoc quod vocant vernicem: depingunt ſtylo quod volunt: deinde implent locum ex quo vernix eraſa eſt, aqua ſeparationis: cui additum ſit argentum ſublimatum & ærugo, & intra viginti quatuor horas cælant figuram adeò pulchrè in ferro, ut non meliùs in cera poſſit fingi ſigillum. *Idem.*

Acies

Acies cultrorum ut denſa reddatur.

Aqua ex contuſis lumbricis per pannum expreſſa, & ſucco raphani æquis portionibus mixta, uſque adeò duram & denſam reddit aciem cultrorum, enſium, & aliorum inſtrumentorum, quæ bis aut ter dum cuduntur in illa extincta fuerunt, ut ferrum aliud ac ſi plumbum eſſet, facilè incidant. *Acceptum à quodam Pariſienſi Machæropæo.*

Aliter.

Aciem gladii, enſis, vel alterius inſtrumenti præſtantiſſimam ad hunc facies modum. Mitte in libram unam lotii adoleſcentulorum, tantum fuliginis, quantum manu prehendi poteſt, additis quatuor unciis olei lini. Confuſa omnia ſimul ferveant: & dum inter cudendum incandeſcit, gladius, enſis, vel quid aliud ad ſecandum parabile, in hoc miſcellaneorum decocto intingatur, & ut artis eſt, probè temperetur. *Ab eximio aliquo Machæropæo. Mizaldus.*

Arma & inſtrumenta quævis ferrea, aut chalybea ut ab ærugine, & ferrugine vindicentur, ac ſplendida maneant.

Illinantur aceto alumini mixto, aut ceruſſâ vel cervi medullâ: nam hæc oleo præſtantiora habentur. Sed omnium præſtantiſſimum fuerit, ac utiliſſimum, ſi plumbi ſcobem tenuiſſimum in plumbeo aut ferreo mortario diligenter ſubegeris, addito pauco oleo de ſpica (quod ultra conceptum ſcopum ad odoris gratiam plurimum faciet) & eo veluti unguine, ferrum aut chalybem illeveris. Hoc modo etiam per aquas, & vaporoſum aërem, arma quævis ab omni æruginis, & ferruginis labe immunia portabis. *Ex quodam armorum perito fabro.*

Navicula ſpontè mobilis, ac ſui remigii author. Eadem ratio volantis aviculæ eſt.

Materia ex junci medulla parabilis, veſiculis admiſta, aut pelliculis, quibus auri bracteatores, atque foliatores (ſic enim libet nunc) utuntur, nervis obvoluta: ubi ſemicirculus rotam unam impulerit, motum præſtabit aliarum, quibus alæ agitabantur. *Scaliger.*

Lucer-

Lucerna mirabilis.

Hac ratione lucerna mirabilis excogitata eſt, turris forma undequaque concluſa, ſoloque foramine D. contenta, per quod oleum ipſum infunditur, donec tota impleatur: Solida eſt ex ſtanno, cumque convertitur, ut inferius jacet, oleum effundi per D. non poteſt. Nam ſi effunderetur, quod eſt in C. deſcenderet gravis, & vacui ratione ad D. & quod eſſet in B. ad C. & quod eſſet in A. ad B. igitur vacuum in A. relinquatur, manet: quare etiam in B. oleum & in C. & in D. nihil ergo effunditur. Sed quonam pacto igitur dum accenſo ellychnio in F. oleum conſumatur per E. canalem ex ipſo D. exire poteſt, itaque ad vacui rationem rurſus pervenire videtur neceſſarium. Sive enim trahatur caloris vi, ſeu ſponte deſcendat oleum quantum ad vacui rationem attinet, nihil intereſſe videtur. Attamen experimentum edocet, ardere quidem lucernam, & ſenſim vacuam reddi: ſponte autem oleum nequaquam deſcendere. Cauſa igitur eſt, quòd ignis calefaciendo rarius ac tenuius efficit oleum: id rarius factum intumeſcit, & per D. foramen exuberat, leviſſimaque ejus pars interim aſcendit ad ſum-



mum lucernæ, ubi A. ſcripſimus: quæ cùm multo aëre referta ſit, locum aëre complet ac ſic ſenſim augetur,

dum oleum effunditur. Quamobrem & illud diligenter cavere neceſſarium eſt, ne canalis D E F. juſto brevior ſit, aut ellychnium in F. majus: nam utroque modo oleum nimis calore celeriùs intumeſcit, adeò ut effundatur. Hac ratione excogitarunt Athenienſes lucernam ante Minervæ ſimulacrum, quæ toto anno arderet. Nam ABCD. ſpacium auctum erat juxta multitudinem dierum anni: commodius forſan fuerit ſi ſubere craticulæ ferreæ ſubſtententur. Ideoque in vaſe maximè oleum effuſum, perſeverante flamma ellychnii ſufficiet in totum annum. Ut verò perſeveret, flamma ellychnium comburi non debet. Tale fit è lino Corpaſio, hoc enim non uritur: aut è lapidum cruſtarum filis. *Cardanus de ſubtilitate.*

Lucerna totum annum durans.

Nunc modò, quoniam de lucerna loquuti ſumus, quæ inferius oſculum habet, quo ellychnium fovetur, demonſtremus, non id obiter, ſed neceſſariò tale eſſe debere, ſi diuturna lucerna eſſe debeat. Nam ſi in ſuprema parte ſit oſculum lucernæ, ut oleum abſumatur, magis etiam elongabitur ignis ab oleo, quare nec benè ardebit, nec erit diuturna. Quòd ſi ſubere & ferro deſcendat, ut in lampade, durabit quidem plus: ſed ſi oblonga fuerit lampas, abſcondetur ignis ſub vitro nec eminebit, luxque obtuſa erit. Si verò lata lampas, obumbrabit lumen, diuturna tamen eſſe poterit. Hac igitur ratione lucernam pro toto anno conſtituemus: faciemus lucernam A. quæ tantum capiat olei, quantum ſufficit pro una die. Huic ſextuplo majorem faciemus B. jungemusque ipſi A. ex ſuperiore parte. Ipſi verò ſextuplum faciemus C. agglutinantes ipſi B. ſuperius firmiter. Ipſi quoque C. faciemus D. ſextuplam cum ſextante, quam eodem modo adjungemus ipſi C. Sitque tota machina benè undique concluſa: ſuppeditabitque



bitque oleum toto anno, perpetuo ardente ellychnio, & illuſtrante. *Cardanus de Varietate.*

DE SECRETIS PIGMENTARIORUM.

CAP. VI.

Cæruleum tranſmarinum, abſque lapide Lazuli.

SUMITO Argenti cum aqua forti calcinati unc. j. Salis Armoniaci drach. duas cum dimidia, aceti quantum ſufficit: Miſceantur, & aliquandiu relinquantur, donec materia in fundo reſideat: deinde cùm acetum eminet, ſenſim auferatur: materia verò reliqua in fundo relicta, ponatur in cucurbitam vitream, optimè obturatam per dies viginti quinque, & habebis Indicum, ſive tranſmarinum cæruleum pulcherrimum. *Alexius.*

Color ad ſcribendum, & miniandum, Ejuſdem.

Accipe floris æris, lithargyrii, argenti vivi, ſingulorum quantum ſufficit. Terantur, & miſceantur ſimul cum urina infantis maſculi, habebis colorem pulcherrimum, ſmaragdo ſimilem, non ſolùm ad miniandum, ſed etiam ad ſcribendum.

Ad viridem colorem.

Rec. Floris æris probè contriti, quantum ſufficit, croci capillos quatuor. Ponantur in aceto fortiſſimo, addendo ſucci rutæ tantundem: deinde cùm panni in urina priùs imbuti, moxque in umbra exiccati fuerint bis vel ter in ſucco tingantur, deinde in umbra ſiccentur, & erunt perfecti. *Alexius.*

Color viridis Smaragdo ſimilis.

Accipe olei communis vel lini vel clari, libram j. Aluminis contriti libram dimidiam. Miſceantur, & in olla ponantur ad ignem, donec alumen reſolvatur: deinde addatur ad ignem, donec alumen reſolvatur: deinde addatur floris æris, in leviſſimum pulverem contriti tantum, ut à prædicto oleo in olla tegatur: mox operculo ſuper-

poſito, auferatur ab igne, relinquaturque ſic per octo, vel decem dies. Quo facto, rurſus teratur optimè, addendo aliquantulum aquæ reſinæ ſi fieri poſſit, & erit color pulcherrimus, ita ut naturali Smaragdo perſimilis exiſtat. *Idem.*

Modus efformandi omnis generis frondes virides, ut naturalibus ſimiles habeantur.

Sumito frondes virides, quarum in præpoſtera parte majores venas ligno aliquo contundito, mox ſequenti colore tingito, qui hujuſmodi eſt: Accipe olei communis, vel lini, vel alterius rei, quæ fumum creat, quantum ſatis eſſe videatur, accendatur in lucerna olla ſuperpoſita, ut totum fumum recipiat. Quod cùm factum fuerit, adhærens fumus diligenter colligatur, atque oleo, vel vernice liquida contemperetur, fiatque tinctura, quâ contuſa pars frondis tingatur, cum panno linteo, vel bombyce, mox ſuper chartam duplicem locetur pars tincta, comprimendo leviter manu, vel panno aliquo, quo charta tingi queat. Fronde mox dextrè ſublatâ, chartam egregiè tinctam invenies, ad mininam uſque venulam, ita ut prorſus naturali reſpondeat. Quòd ſi hanc viridi colore tingere voles: Accipe aceti acerrimi, floris æris, paſtæ veſicæ, ſingulorum quantum ſatis eſt, coquatur, fiatque color viridis, quâ charta formata tingatur, atque hoc modo poteris efficere varia pulcherrima, quibus cubicula intrinſecus obduci poſſint. *Idem.*

Ebur & oſſa quævis viridi colore tingenda.

Sume aquam fortem, quâ tantum æris, quantum fieri poterit, erodatur. In ea oſſa, quibus formis viſum erit, elaborata, pernoctare ſine: & ita veros ſmaragdos colore imitabuntur. *Mizaldus.*

Ad rebus ruborem inducendum.

Erythrodanum, vulgò Rubia tinctorum dictum, oſſa pecudum rubenti, & ſandycino colore imbuit, ſi dies aliquot depaſtæ ſint oves, etiam intacta radice, quæ rutila exiſtit. Res ea ſimiliter perſpici poteſt in carnibus hujus pecoris elixis, & aſſatis. Nam rubicundæ apparent, ſicuti ova in decocto ejus radicis elixata: putamine enim rubello non minùs hinc veſtiuntur, quàm ſi cum ramentis, & præſegminibus braſiliani ligni percocta eſſent, vel cum radicibus anchuſæ. *Idem.*

Modus

Modus parandi colores ex omni metallorum genere.

Accipe lapidem lydium optimè cum ovi albo contritum, & fiat liquor, quo ſcribe, ac ſuper literas ducito, vel adfricato aurum, aut quodvis aliud metallum, & colorem ejus recipiet. *Alexius.*

Liquor aureus ad ſcribendum, & ferrum, lignea, vitrea vaſa, oſſa, aliaq; auro obducenda.

Ovum recens natum, alteraque parte fractum aliquo modo ut albumen auferri queat, ſumito atque imple Argento vivo, & ſale ammoniaco puro atque contrito, ita ut duæ ſint partes argenti vivi, & una ſalis ammoniaci. Quod cùm impletum, & ligno aliquo materia benè miſta fuerit, cooperiatur foramen operculo ſuo, deinde cerâ: deinde dimidii ovi cortice ſuperadditis, ponatur ſub fimo equino per viginti quinque dies. Quo deinde ablato, habebis liquorem aureum elegantiſſimum, ad ſcribendum & pingendum quodvis. Quòd ſi nimis dura, ſpiſſaque materia fuerit, aqua gummi miſceantur, & mollior erit. *Idem.*

Liquor aureus ſine auro.

Sumito ſucci florum croci recentium, vel ſi deſit, croci contriti, auripigmenti optimi, & lucidi ſingulorum partem unam. Miſceantur & terantur cum felle caprino, vel lupi piſcis, quod melius eſt: deinde cùm in vaſe aliquo ſub fimo poſitum aliquandiu ſteterit, auferatur, & conſervetur liquor ad ſcribendum & pingendum, & habebis aureum colorem pulcherrimum. *Idem.*

Pannus violaceus, ad pingendum & ſcribendum.

Accipe granorum Ebuli, maturorum, & contuſorum quantum ſatis eſt, relinquantur in loco aliquo calido, donec putreſcant: deinde aliquantum contundantur, ſuccuſque ſub prelo exprimatur: deinde ſumito calcis vivæ ſcutellam dimidiam, ponatur in catinum aliquem, ſuperinfundendo tantum aquæ, donec ad duas vel tres ſcutellas aqua emineat: deinde ſenſim aqua colata, panni lintei

mundi, ſubtiles & veteres eâ humectentur, atque in umbra ſiccentur. Quo facto, aluminis aliquantum in aqua communi coquatur, pòſt pannos ſupradictos injicito, & bulliant aliquandiu: deinde cùm in umbra ſiccati fuerint, in ſuccum prædictum bis térve immergantur, & in umbra ſiccentur, collocando ſuper rete aliquod æqualiter, ne color uſquam defluat: & ſic erunt pittacia ſive pecciolæ coloratæ in loco aliquo, à pulvere aëreque remoto ſervanda. Atque hic eſt verus modus tingendi pittacia quolibet colore, tam ad miniandum quàm ad ſcribendum, quem inſignis miniator nomine Evangeliſta ſemper tenuit, & probavit. *Idem.*

Effigies & imagines ſolidæ & pulchræ.

Cornea membrana, ex qua laternæ fiunt, cum glutine piſcium mundo, in formas ſubigitur aqua, figuraſque effingit, omnium maximè nudæ puellæ: roſeum enim colorem facilè combibit candore pellucido: Nec ſolvitur ea compago igne icta. Vivas refert formas, tum flores varios, herbasque mixtis coloribus, ut non pauci hoc ſolo artificio vivant. *Cardanus.*

Color Cæruleus Indicus, tranſmarinus, perfectus.

Accipe lapidis lazuli, optimi, id eſt, marmorei & colore cæruleo, & venulis quibuſdam aureis ſubviridibuſque probè tincti (talis autem eſt, qui accenſos tamdiu, donec candeſcat poſitus, deinde frigidus non friatur, ſed durus atque cœruleo colore vehementer tinctus remanet) libram j. fringatur in fruſta parva, & ponatur ſuper carbones accenſos tamdiu donec optimè candeſcant; deinde cum aceto deſtillato extincti, exſiccati fuerint, cum ſequenti aqua ſuper lapide, cinnabaris more, terantur, quæ eſt hujuſmodi. Recipe Aquæ fontanæ menſuram unam, mellis crudi albi unc. ij. miſce & coque deſpumando optimè, deinde cùm ab igne ablatum, atque frigidum fuerit, adde ſenſim & non affatim, tantum ſanguinis Draconis, optimè triti, ut nucis magnitudinem referat; deinde coletur per pannum. Verùm animadvertendum, ne aqua nimis rubra, neque nimis lucida ſit, ſed medio ſe habeat modo, nempe ſit violacea, clara, ita ut cœruleus color

color aſſumat violaceum colorem. Deinde dictum lapidem ſic præparatum, cum hac ipſa aqua, tenuiſſimè, cinnabaris more, per horam aut amplius contere, mox in vaſe vitreo lato, & patenti collectum repone, & ſiccetur in umbra: deinde in tenuiſſimum pulverem redige ſervetur-que in pannis lineis densè contextis, ſtrictè colligatum. Quibus factis fiat paſtillus.

Rec. Reſinæ,
Colophoniæ,
Maſticis,
Olei lini,
Terebinthinæ,
Ceræ novæ ſing. uncias duas.

Terenda conterantur in púlverem tenuiſſimum, miſceantur, & coquantur, donec confectum ſit, miſcendo continuè; confectum autem deprehenditur, ſi ex eo gutta, in aquam frigidam injecta, manibus humidis non adhæreat: deinde fit calidum, per pannum rarum, in vaſe aquâ frigidâ pleno, coletur (nam frigidum fluere non poteſt) tamdiu in aqua ſinendum, donec concretum fuerit: tunc eximatur, ſicceturque, & miſceatur cum prædicto pulvere hoc modo: Paſtillus jam dictus cùm in partes minutas redactus fuerit, ponatur in æneo vaſe, ſtanno illito, igni ſubjecto: ubi fervere incipit, ſtatim amygdalarum amararum olei unc. j. infundito, ſimulque ferveat, non diu. Hoc facto, pulverem ex Lazuli lapide in alio vaſe paratum habes, ad quem ſit aliquis cum bacillo, miſcendo continuè, dum tu in pulverem ex altero vaſe materiam paulatim effundis: idque faciendum, donec optimè miſta fuerint: quæ deinde frigefacta, manibus oleo priùs lotis, tractentur, ſubigantur benè, & fiat paſta in forma panis, & ſervetur in vaſe aliquo vitreo, per dies ſaltem decem. Quum autem cœruleum extrahere voles, ſumito lixivium, ex vitium cineribus paratum atque ita calefactum, ut manibus tractari ſine læſione poſſit. Tum paſtillum ſume, atque in vaſe vitreato pone, in quod tantum lixivii infunde, quantum ſatis videatur ibi: paſtillum manibus leviter tractato, ſubagitatoque, donec cœruleum exire, atque apparere videbis: quo viſo lixivium ipſum cum cœruleo in vitreatum vas infunde, deinde cum recenti lixivio calido, in alio vaſe rurſus agitato, ac tractato ut priùs, atque ſic ſemper procedendo, at-

que iterando, donec cœruleum totum exierit. Verùm notandum, quòd è ſingulis libris optimi lapidis lazuli uncia tantùm una amittitur, remanentque undecim, nimirum perfecti unc. v. medii iij. ultimi itidem iij. Puri atque optimi, uncia, quæ ut minimum duobus coronatis cum dimidio æſtimatur, medii uno, ultimi, tertia coronati parte. Extracto autem Indico prorſus toto, ſimilitudinem diligenter attende, ut ſimile ſimili tripartito adjungas, ut dictum eſt, deinde lixivio puro, ſingulas partes per ſe eluito, mutatis vaſis, donec puræ, atque à paſtilli ſordibus repurgatæ optimè fuerint: tunc in umbra ſiccato in cubili clauſo. Hoc facto, ſumito aquæ vitæ poculum unum, in eaque aliquantulum verzini optimi macerato, eâdem aquâ Indicum aſpergatur, & ſiccetur, idque facito per triduum, ut Indicum totum ejus aquæ ſit particeps, atque ita colorabitur bellè, eritque optimum. Condantur in ſcorteis ſacculis ſingula. *Alexius.*

Modus parandi Laccam coccineam.

Rec. Purpuræ tomentum, lib. j. coquatur in lixivio, donec colorem aſſumat: lixivium deinde coletur, & exprimatur benè omnis ſubſtantia. Quòd ſi tomentum adhuc colore eſſet infectum, coquatur rurſus in alio lixivio, ut priùs: deinde omne lixivium ſic coloratum ponatur ad ignem, & non bulliat: cui addantur aluminis contriti, atque in aqua calida diſſoluti, unc. v. coletur in vaſe aliquo vitreo, ſuperinfundendo aquam calidam, idque fiat tamdiu donec non amplius rubra, ſed ſine colore lucida omninò evadat. Quo facto, color in colatorio reſidens eximatur, atque in umbra ſiccetur, & ſervetur. *Idem.*

Ad Oſſa viridi colore tingenda.

Calcis vivæ fruſtum magnum ponatur in aqua fontana per diem unum: ſequenti die ligno aliquo, circa meridiem, ac demum veſperi, miſta coletur, & ſervetur ad uſum. Interim tamen ſumito oſſa, quæ tingenda ſunt, & in aqua communi, in qua aluminis tantum diſſoluti fuerit, ut diſſolvi queat, coquito. Quæ cùm optimè in jam dicta aqua cocta fuerint, eximantur, ſiccentur, & aliquo modo in ſuperficie radantur: deinde ponatur in ſupradictam aquam calcis vivæ, adjuncto floris æris quantum ſatis eſt: coquantur benè omnia ſimul, demum extrahantur, ſiccentur, & fiant inde quæ voles opera. Quòd ſi aqua calcis deſit, urinam ſumito, quæ æquè bona cenſetur. *Idem.*

Aliud

Aliud ad tingenda Oſſa, aut Ebur, viridi colore, ut Smaragdi videantur.

Sumito aquam fortem, quâ tantum æris, vel orichalci, quantum fieri poteſt, erodatur, in ea oſſa, priùs in formas varias, ut videbitur, elaborata, per noctem unam poſita ſinantur, atque ita veros Smaragdos colore imitabuntur. Quòd ſi in ſupradicta aqua argentum, æris loco, diſſolutum fuerit, tantò melius erit. *Idem.*

Ad Oſſa rubro, cæruleo, vel aliis coloribus tingenda.

Primò oſſa in aqua aluminis, ut ſuprà dictum, cocta eſſe oportet: deinde aqua calcis, vel urina in promptu exiſtat, in quibus ponatur verzinum, vel rubrica, vel cæruleum, vel alius color, unà cum oſſibus, & coquantur benè, & ſic habebis oſſa, quo volueris colore tincta. *Idem.*

Pulcherrimum ad ligna tingenda variè, quibus fabri lignarii utuntur, ad menſas conficiendas, variis teſſellis, & figuris inſignes.

Manè ſumito ſtercoris equini recentis, & adhuc humidi cum ſtramine, quantum ſatis eſt, ſupra quod ligna aliqua tranſverſa collocentur, cui ſubjicito vas aliquod, liquorem recipiens. Quòd ſi uno die tantum quantum ſatis eſt, extrahi non poſſit, altero, & tertio, & quarto die colligas, donec ſatis eſſe videatur: deinde coletur, addaturque in ſingulas menſuras ejus liquoris, aluminis, & gummi Arabici, ſingulorum fabæ inſtar. In eo liquore, quos voles colores temperabis, variaque vaſa facies, ſi varios colores habere velis. His comparatis, fruſta lignorum in vaſis, ut lubet, condes, eaque ad Solem vel ignem pones: pòſt ubi uti voles, fruſta aliqua extrahito, reliqua ſinito. Nam quò diutiùs in vaſis manent, eò magis colorem mutant. Et ſic habebis ligna variè colorata, alia clariora & dilucidiora, alia magis fuſca, alia media, qui colores nullâ elui ratione poſſunt. *Idem.*

Modus conficiendi Hebeni, ut videatur naturalis.

Omnis generis ligna, Hebeni formam acquirere poſſunt,

præſertim dura, quæ lucidiora, ut buxus, cedrus, morus tam albus quàm niger, quæ ligna omnium ſunt ad hoc opus præſtantiſſima, quamvis nigra morus aptior. Sumito itaque hujus generis ligna, atque in aqua aluminoſa tres dies, vel ad Solem, vel prope ignem ponito, ut tantùm calefiant: deinde in oleo communi, vel ſeſamino, in quo vitrioli Romani, ſulphuris, ſingulorum tantum, quantum avellanæ reſpondeat, coquito aliquandiu: nam quò magis coquuntur, eò etiam nigriora fiunt, modò ne nimium coquantur. Nam tunc & ambuſta & fragilia fiunt. Ritè autem cocta ſi fuerint, nil pulchrius deſiderari poſſe videtur.

Ad pelles cæruleo colore tingendas.

Sumito grana ebuli, vel ſambuci, quantum ſatis eſſe videatur, coquantur primùm, ungantur pelles, & laventur optimè, pòſt exprimantur. Hoc facto, ſumes ebuli vel ſambuci acinos, eoſque in aqua in qua alumen ſit liquefactum, coquito: mox eâdem aquâ pelles ſemel inficito, & ſiccato, rurſusque tingito & aquâ fontanâ lavato, atque cultello, ab averſa parte aquam abſtergito. Quod cùm factum fuerit, rurſus tingantur ſupradicto colore aliquo, ſiccenturque, & cæruleo præſtabunt. *Idem.*

Ad pelles rubro colore tingendas.

Pelles priùs unctæ, lotæ, expreſſæ, ut ſuprà & expanſæ, ponantur in aqua, in qua coctum fuerit tartari ſal: deinde cùm expreſſæ fuerint, addito prædictæ æquæ, cineris cancrorum uſtorum quantum ſatis eſt, ea quàm optimè fricentur pelles: poſtea aquâ communi abluantur, & exprimantur. His factis ſumito radicis rubræ, q. ſ. eſt cum aqua tartari miſtæ, qua fricentur pelles benè: deinde rurſus addito cineres cancrorum uſtorum, fricentur, laventur, & exprimantur, deinde ligno braſilio tingantur, præſertim ſi nondum ſatis rubere videantur. Radices rubræ cum aqua calida, in quâ tartarum fuerit coctum, contemperandæ erunt, & per noctem relinquendæ: deinde addendum aliquantulum aluminis ex vini fece parati, vel catini in aqua diſſoluti. Poſſunt etiam pelles purpuræ tomento tingi in lixivio ferventi, & cocto, & tracto colore erunt pulcherrimæ. *Idem.*

Ad

Ad viridem colorem pellibus inducendum.

Rec. Spinæ cervinæ,
Aluminis ſing. q. ſ. eſt.
Aquæ Fontanæ tantum, ut digitum unum emineat. Miſceantur, & ſemel efferveant : deinde cùm colatum fuerit, pelles priùs unctæ, lotæ, & ſiccatæ fricentur optimè, dictis acinis coctis. Quibus factis, rurſus alumine contrito fricentur, deinde rurſus ſtercore ovino combuſto, atque in ſupradictam aquam poſito, poſtea iterum granis: quæ cùm deinceps aquâ lotæ ac ſiccatæ fuerint, bis prædicto colore tingantur, & erunt perfectæ. *Idem.*

Aliter.

Rec. Spinæ cervinæ acinos maturos, contunde : deinde in aqua, alumine temperata, coque quantum volueris, quâ bis tingantur pelles priùs unctæ, lotæ, & expreſſæ, quæ cùm exiccatæ fuerint, tingantur colore flavo, ex liguſtri acinis coctis in aqua aluminoſa, & pauco croco, & erunt pulchræ. *Idem.*

Ad pelles cæruleo colore, alio modo tingendas.

Pelles tantùm corticibus uvarum nigrarum fricentur, donec violaceæ fuerint : deinde Indico pulvere ſuperaddito, rurſus fricentur, laventur, & ſiccentur. Poteſt etiam pulvis Indicus cum vino rubro contemperari, ut eo pelles lotæ tingantur. *Idem.*

Ad pelles rubeo colore tingendas.

Pelles benè lotæ, deinde in galla poſitæ, per horas duas, atque expreſſæ, tingantur, ſemel colore ſcotano, qui in aqua aluminoſa unà cum æris flore fuerit coctus. Quibus factis, inungantur pelles bis verzino, cum lixivio cocto. Verùm ſi pelles, Damarum pelles imitantes, tingere voles, in lixivio ſcotanus coquendus erit. *Idem.*

Aliud ad pelles viridi colore tingendas.

Recipe Acinorum { Sambuci contuſorum, Ebuli contuſorum, Spinæ cervinæ contuſorum ſing. q. ſ. eſt.
Aluminis quantum volueris.
Miſceantur, & primò grana liguſtri acini, in lixivio ſemel

mel ferveant: deinde adde acinos ebuli & ſambuci, quæ cùm ſemel quoque bullierint, cocta auferantur ab igne: quib. frigefactis, fricentur pelles granis primò; deinde ovino ſtercore uſto, demum aquâ ſupradictâ acinorum laventur, cultelloque ex adverſo abſtergantur, & pelles ſiccentur. Quòd ſi ſatis tinctæ non fuerint, penicillo iterum tingantur, addito pulvere Indico, ut perfectiores reddantur. *Idem.*

Ad hircinas pelles viridi colore tingendas.

Sumito hirci, aut capræ pelles, pumice expolitas: deinde oleo inunctas, demum lotas. Ad hæc in aqua calida colata, in qua gallarum tritarum unc. j. vel ij. poſitæ ſint, fricentur benè: deinde relinquantur ſic per horam unam, demum eximantur, exprimantur, & expandantur. His peractis, ſumito acinos Spinæ cervinæ menſe Julio collectos, quum ſunt virides, hos ſiccatos tenuiſſimè terito: aluminis contriti, in ſingulas pelles unc. ij. cum dicto pulvere liguſtri acinorum miſceantur, ſuperinfundendo aquam calidam: deinde frigida facta infundatur ſupra pelles, manu colorem imprimendo. Quibus factis, addatur aliquantulum ſtercoris capræ uſti, & contriti, & rurſus fricentur: mox laventur, aquaque cultello, ut ſuprà, abſtergantur, & expandantur. Deinde ſumito liguſtri acinos benè maturos eosque integros in aqua aluminoſa coquito aliquantulum, quâ unà cum acinis frigefactâ, manu fricentur pelles, & cinere dicto reſpergantur, aqua acinorum calida contemperata, laventur, & cultello abſtergantur: deinde ubi ſemel aqua viridi penicillo tincta fuerint, ſiccentur, & erunt perfectæ. Quòd ſi obſcuriorem colorem voles, quum acinos & alumen coquis, adde pulveris Indici aliquantulum tenuiſſimè contriti.

Pellium, è floribus liliorum tinctura.

Rec. Flores liliorum cœruleorum recentes.
Acinos Spinæ cervinæ aridos
Alumen ana q. ſ.

Terantur omnia, & miſceantur cum pauca aqua fontana, & ſerventur in vaſe aliquo mundo. Deinde pelles prius inunctæ, & lotæ tingantur tum acinis & cinere, ut dictum: deinde laventur, aquaque cultello abſtergatur, & ſiccentur. Quo facto, tingantur pelles cum prædicto colore

lore in vaſe ſervato: deinde fricentur, corrugentur, lævigenturque ſecundùm artem. *Idem.*

Ad Oſſa cæruleo, rubroq; colore inficienda.

Cùm omnia oſſa alba, præſertim cornu cervi, tingi poſſint, ſumantur ea quæ placuerint: quæ cùm priùs fuerint parata, & formata ad uſum, coquantur priùs aliquandiu in aqua aluminoſa: deinde eximantur & ſiccentur. Quibus factis, ſumito floris æris, ſeri caprini, ſingulorum quantum ſatis eſt, miſceantur, & ſimul cum oſſibus in vas aliquod æneum, coopertum in fimo, per quindecim ponantur dies: deinde auferantur, & erunt pulcherrima. Quòd ſi pro ſero Urinam ſumas, optimè feceris. Porrò ſi rubra efficere voles, adde cinnabarim, vel laccam, ponantur in vas aliquod ligneum, aut vitreum, & non æneum. *Idem.*

Ad tingendas ſuillas ſetas, aut alia hujuſmodi quibus veſtes mundantur.

Sumito ſetas benè lotas: deinde in aquam, in qua alumen coctum fuerit, tamdiu immittito, donec aliquo modo colorem ſubflavum aſſumant. Deinde cape Rubiæ tinctorum contritæ, quantum ſatis eſt, ponatur in aceto: deinde aqua ad ignem, cui, poſtquam fervere cœperit, infundantur: quæ cùm aliquandiu coctæ fuerint, auferantur ab igne, relinquanturque, donec frigidæ evaſerint, deinde eximantur, & erunt pulcherrimæ. *Idem.*

Ad tingendas ſetas flavo, vel viridi, vel cæruleo, vel alio colore.

Setæ cùm priùs fuerint lotæ, & in aqua aluminoſa coctæ, ſcotano, & croco tingantur, ſiquidem flava habere velis: vel ſucco acinorum ſambuci, aut ebuli aut liliorum cœruleorum, ſi cœrulea: vel æris flore, ſi viridia. Atque ita his adhibitis, factoque periculo, an arrideant colores, ſetas variis coloribus infectas habere poteris. *Idem.*

Purpurinæ faciendæ modus, quo colore aureus color ad pingendum, & ſcribendum conficitur.

Rec. Stanni igne liquefacti, libram j. cui adde, ſi ab igne remotum fuerit,

Argenti

Argenti vivi unc. viij. vel x. miſcendo continuè.
Sulphuris contriti,
Salis ammoniaci contriti ſing. libram j.

Miſceantur omnia optimè, & terantur in mortario, vel lapideo vel vitreo, non æneo: deinde ponantur in cucurbitam ligneam magnam digitos duos, ſupra materiam luto inductam, & coquantur in fornace, primò igne perquàm lento, deinde aucto, miſcendo aliquandiu baculo, donec flavum colorem aſſumat. Quo facto auferatur ignis, & deferveſcere permittantur, & ſic habebis purpurinam pulcherrimam, aureo colore infectam: quæ pòſt lixivio teritur, & urinâ, vel lixivio, adjuncto croci puſillo, eluitur, aquaque è gummi temperatur, ut infrà clariùs dicetur. *Idem.*

Modus parandæ laccæ è Verzino.

Sumes tomenti, cujuſvis generis libram j. Coquantur in lixivii ſextariis duobus, donec tomentum in aqua diſſolvatur. Quod cùm factum fuerit, ponatur in vas aliquod ligneum vel lapideum, adjiciendo ſenſim aluminis contriti libram j. ligneâ ſpatulâ continuè miſcendo, deinde etiam aquæ frigidæ ſextariis duobus ſenſim infuſis, in ſacculo coletur, & materia in ſacculo reſidua, in vaſe vitreo ſervetur. Quibus factis, ſumito ligni braſilii inciſi libram j. coquatur in ſextario lixivii, donec digitus unus evaneſcat: deinde fiat colatura, cui adde gummi Arabici contriti unc. j. & coquatur iterum, donec medius digitus abſumatur. Mox adjungito materiam in vitreo vaſe ſervatam, & miſceto optimè, deinde coletur, & eximatur, ex eoque quod in colatorio relictum eſt, fiant pilulæ, atque in umbra ſiccentur, & erunt perfectæ. *Idem.*

Modus parandi Tabulas albas, delebiles, in quibus ſcribitur ſtylo æneo, cujuſmodi ſunt libelli qui in Germania fiunt.

Gypſi mundi & cribrati, quantum ſatis eſt, capies, & cum colla cervina, aut alia diſſolves: quod cùm exſiccatum fuerit, radatur, ut politum fiat & lucidum. Quibus ſic ſe habentibus rurſus, ut priùs diſſolvatur, radatur: deinde ſumito ceruſſæ in tenuiſſimum pulverem redactæ, & cribratæ, quantum ſatis eſt: miſceatur cum oleo lini cocto, & fiat unguentum, quo illinantur tabulæ: quæ cùm benè illitæ fuerint, ſiccentur in umbra per dies quinque

que aut ſex, deinde panno aliquo, in aqua intincto, deinde expreſſo, expoliantur tabulæ, & ſic relinquantur per dies quindecim, aut viginti, donec optimè ſiccentur, quibus ad ſcribendum delendumque, quod ſcriptum fuerit, utimur. *Idem.*

Scriptoriæ rubricæ ratio.

Rec. Ligni braſilii minutim inciſi unc. j.
Ceruſſæ
Aluminis ſing. unc. ij.

Terantur & miſceantur: quibus tantum urinæ ſuperinfundito, donec cooperiantur, relinquanturque ſic per tres dies, miſcendo quotidie ter aut quater: deinde coletur per linteum ponaturque in catino aliquo vitreato, vel mortario, & ſiccentur in loco aliquo, ab aëre & Sole remoto & ſerventur. Quando autem ad ſcribendum uti voles, aqua gummi temperata conficito. *Idem.*

Ad Pelles inaurandas, quibus cùm alia, tum periſtromata, & aulæa fiunt.

Rec. Olei lini libras iij.
Vernicis.
Colophoniæ ſing. libram j.
Croci contriti unc. ſem.

Miſceantur & coquantur ad ignem tamdiu, donec gallinæ penna immiſſa, deinde extracta, videatur uſta: deinde auferantur ſubitò ab igne, addatur ſenſim aloës hepaticæ in pulverem redactæ, libra j. miſcendo continuè baculo aliquo dextrè, ne nimio fervore juſto altius ſubleventur. Nam cùm ſublevatur, ſubitò ab igne auferenda erunt, quouſque reſideant: deinde rurſus ad ignem ponenda, coquendaque tamdiu, donec optimè permiſta fuerint: poſtea auferantur ab igne, & cùm aliquantulum quieverint, coletur, & ſervetur in vaſe aliquo. Quòd ſi pro croco ſumas alborum liliorum croceos floſculos, optimè feceris. Cæterùm ſi pelles auro obducere voles, obducantur primò foliis argenti, vel ſtanni cum ovorum albo, vel gummi Arabico: deinde prædicto unguento inungantur, & ſubitò auri colorem recipient: deinde ſiccentur ad Solem, imprimendo formas, vel pingendo, & erunt pulcherrimæ. *Idem.*

Ad

Ad tingenda ſerica coccineo colore, quod Chermeſinum vocant.

Rec. Smegmatis duri, & raſi, quantum ſatis eſt, diſſolvatur in aqua communi: deinde imponantur ſerica panno aliquo linteo raro involuta, & coquantur ſimul ad ignem, per ſemihoram, movendo aliquando, ne vaſi adhæreſcant. Quibus deinde exemtis, & lotis aquâ ſalſâ, deinde communi, ſumito pro qualibet libra ſericorum libram unam, aut plus, aluminis in aqua frigida ſufficienti diſſoluti, in quam ſerica per ſe, abſque prædicto panno, injicito per horas octo. Quod cùm factum fuerit, eximantur ſerica, & laventur, primò in aqua communi, deinde ſalſa: atque iterum communi, quibus poſtea ſubitò in cacaba poſitis, unà cum ſequentibus cocci granis, quod in hunc modum ſe habet:

Rec. In ſingulis libris ſerici, Chermeſi, ſive cocci contriti & cribrati unc. iij. aut iiij. bulliant in tanta aqua communi, donec ſericum cooperiatur ad quatuor aut ſex digitos, adde ſimiliter in ſingulas ſerici libras, uncias tres gallarum in pulverem contritarum. Quòd ſi gallæ deſint, adde loco gallarum arſenici cryſtallini unc. ſ. pro libra ſerici, quod colorem perfectiorem reddit, niſi quòd tam aqua, quàm ejus vapores ſunt valdè periculoſi. Quando autem bullire incipit, tunc ſericum ita præparatum, ut ſuprà, injicito, & coquito per horas quatuor: deinde cùm exemtum fuerit, ſiccetur in umbra, & erit perfectum. *Idem.*

Modus parandi Verzini quatuor colorum.

Rec. Verzini quantum ſatis eſt, coquatur in ſufficienti quantitate aquæ, uſque ad conſumtionem tertiæ partis, vel donec color pulcher evadat: deinde ablato ab igne, in quatuor dividatur partes, quarum una per ſe ſervatur, & erit roſei coloris: alteræ adjungatur parum aquæ calcis, & erit punicei: alteræ addatur parum lixivii, & erit violacei coloris: ultimæ denique adjiciatur aliquantulum aluminis, & vini fecis, & erit viola obſcurior. Verùm cùm hæc adduntur, verzinum tepidum eſſe oportet. *Idem.*

Verzinum rubrum, alio modo.

Sumito menſuram aquæ communis, cui addito tantum calcis,

calcis, ut nucis magnitudini reſpondeat: deinde cùm ſic per integram noctem fuerit relicta, ſumito Verzini raſi tantum, ut ad dimidiam vaſis partem perveniat, cui ſuperinfundatur aqua calcis, colata, quæ cùm per quatuor horas ſteterint, coquantur, donec dimidia pars evaneſcat. Quod cùm ritè factum fuerit, auferatur ab igne, & ſenſim in aliud vas infundatur, ut color tantùm auferatur: cui denique addatur aluminis contriti parum, nempe tantum ut ciceris magnitudinem referat & ſervetur. Quòd ſi ad ſcribendum uti velis, adde aliquantulum aquæ gummatæ. Si verò mavis colorem puniceum, adjicito lixivii unc. iij. plus minúſve, & erit perfectum.

Color purpureus ut parandus.

Rec. Myrtillorum baccar. nigr. libras ij. aluminis unc. j. æris uſti unc. ſ. aquæ menſuram mediam. Hæc commiſceantur in aheno, & ad duorum digitorum conſummationem coquantur, frigefacta coletur, & vaſe puro excipiatur, & donec ad ſufficientiam craſſeſcat, relinquatur.

Coloris roſei parandi modus.

Aceti vel vini ſume q. placet, huic adde alumen in tenuiſſimum pollinem redactum, quo diſſoluto, lixivium forte ex calce conficiatur. Pòſt accipe ligni braſilii, aluminis q. ſ. quibus linteo involutis in lixivium ſuſpendantur, & ad diem illic relinquantur, dein ſuccum exprimito, & rurſus ſuſpendito: hoc fac iterando ter aut quater. Cùm tandem quartò expreſſeris, colorem optimum ſiccandum relinque. *Idem.*

Alius roſeus color.

Rec. Partes minii duas, ceruſſæ partem unam, conterendo, probè miſceantur. Vel Sume auripigmenti, & minii ſing. æqualem partem, & agitando benè commiſceantur. *Idem.*

Color ſpadiceus ut parandus.

Sumatur Lignum braſilium infriatum, & vitriolum album, commixtis invicem ad ignem coquantur. Vel immiſce nigro colori minium & gummi q. ſ. *Idem.*

Color flavus.

Rec. Baccas rhamni circa feſtum Laurentii lectas, his tuſis aluminis triti adde paululum & in vaſe æneo aſſerva.

Aliter.

Accipe Cortices mali, his detrahe tunicam aſperam exteriorem, & abjice, reliquas in fruſta ſecabis ſuperinfundendo aquam, ad ignem bis vel ter ebulliant, adde alumen tritum & ſemel adhuc bulliant. *Idem.*

Aliud.

Optimum parabis luteum colorem, ſi ovi vitellum cum croco permiſcueris. Vel excipito crocum & alumen tritum panno lineo, ſuperinfunde acetum & exprimito. Item poteris invicem commiſcere crocum, vitellum ovi, gummi Arabicum & Alumen, & ad uſum reſervare. *Idem.*

Color viridis ut parandus.

Baccas Rhamni, poſt feſtum Michaëlis lectas contunde aquam ſuperinfundendo, & aluminis pauxillum addendo. Pòſt probè miſceantur & ad duos dies relinquantur. *Idem.*

Elegans viridis color.

Accipe mellis q. ſ. cui affunde aceti paululum plus, commiſce invicem diligenter in vaſe vitreo vel cupreo, quod melius, quo obturato fimo duodecim diebus immoretur. Idem recipe acetum vitreis chymiſtarum organis extractum, funde in vas cupreum, adde ſcobem cupri & ad locum calidum repone, cùm apparuerit acetum cœruleum, effunde in aliud vas vitreum. Pòſt acetum aliud affunde & repone, ut antea dictum. Et hoc fac iterando quoad ſufficientem coloris copiam habeas. Colatum tandem ut craſſeſcat linque. *Idem.*

Ad molendum ſive terendum aurum, ad miniandum & ſcribendum.

Rec. Folia auri, & quot volueris.
Mellis tres aut quatuor guttas.
Quibus miſtis & contuſis, ſervetur in vaſe oſſeo aliquo, ſi ad ſcribendum uti velis, addito aliquantulum aquæ gummatæ, & erit optimum.

Aliter.

Rec. Folia auri vel argenti quot volueris, ponantur in catino

catino vitreo, terſo, in quo digito tantum macerentur cum aquâ, donec optimè macerata fuerint: deinde impleatur aquâ communi, & miſceantur, relinquanturque per ſemihoram. Quibus factis ſenſim auferatur aqua, ita, ut aurum in fundo remaneat, quod ſiccetur, & ſervetur in vaſe cooperto. Quando autem ad ſcribendum uti voles, addito aquæ parum. *Idem.*

Aliter cum purpurina.

Rec. Purpurinæ quantum volueris, ponatur in catino cum urina, aut lixivio, digito miſcendo & macerando benè. Quod cùm factum fuerit, impleatur urinâ, vel lixivio, & relinquatur, donec reſiduum faciat: deinde rurſus maceretur, mutando urinam, vel lixivium toties, donec aqua, vel ultima urina lucida evadat: deinde ſenſim coletur urina: materiæ verò reliquæ addatur parum croci, aquæ gummatæ, & fiat liquor ad ſcribendum, miniandumque. *Idem.*

Compoſitio quæ Siſa vulgò dicitur, in qua aureæ bracteolæ expolitæ collocantur.

Rec. Gypſi optimi,
Boli Armen.
Aloës hepaticæ,
Sacchari candidi ſing. drach. ſ.

Terantur ſingula per ſe, quibus alterum ſuper alterum collocatis, addatur parum zibethi, vel mellis.

Ad aurum ponendum, ſimplex compoſitio.

Rec. Gypſi optimi,
Aloës hepaticæ,
Boli Armen. ſing. part. j.

Redigantur ſingula in pulverem, & contundantur cum ovorum albis: deinde colentur. Quòd ſi nimium eſſet fortis, adde aquam communem.

Aliter.

Sumito aquæ gummatæ q. ſ. eſt, qua ſola affigatur aurum, vel charta pergamena, vel corio, & erit perfectum. Valent etiam alba ovorum, lac ficuum.

Ad Aurum in nigra materia reponendum.

Sumito fumum ex lucernis, quo tingantur nigra: deinde ſuperaddatur aurum cum aqua gummata.

Marmor aut lignum, quomodo auro obducenda.

Rec. Boli Armeni,
Olei nucum, ſing. q. ſ. eſt.
Contundantur, & pinſentur ſimul: deinde quando aurum obducere voles, videas ne liquor nimium humidus, aut nimium ſiccus conſpiciatur. *Idem.*

Ad literas aureas ſine auro faciendas.

Rec. Auripigmenti,
Cryſtalli ſing. unc. j.
Rediganturin pulverem ſingula: deinde miſceantur cum ovi albo, & fiat liquor, quo ſcribatur. *Idem.*

Ut Literas argenteas abſq; argento facias.

Rec. Stanni unc. j.
Argenti vivi unc. ij.
Miſceantur, & liqueſcant ſimul: deinde cum aqua gummata contundantur, & ſcribe. *Idem.*

Ut Literæ virides fiant.

Sumito folia rutæ, ex quibus ſuccum exprimito, cui addito floris æris, croci, ſingulorum parum, contere, cùm uti voles, aquâ gummatâ, utere & ſcribe.

Ut Literæ albæ ſcribantur.

Sumito lactis ficuum q. ſ. eſt, & in vaſe aliquo vitreo ponito ad Solem, per ſemihoram. Cùm verò uti voles, aquam ſumito gummi, miſce, & ſcribe. Ubi ſcripſeris, tota papyrus atramento tingenda erit: deinde cùm exſiccata fuerit, panno aliquo linteo optimè fricanda, ut literæ cum ficuum lacte ſcriptæ, auferantur, ſpaciaque illa alba remaneant. Nam eo lacte effectum eſt, quò minus ſpacia literarum atramento tingerentur. Similiter valent etiam ovorum vitella, modò cum aqua contuſa, fiat liquor & ſcribatur: deinde cùm atramento tincta integra papyrus, atque exſiccata fuerit, fricentur literæ, vel panno aliquo vel cultello, & remanebunt literæ albiſſimæ. *Idem.*

Liquor

Liquor viridis ad ſcribendum & pingendum.

Rec. Floris æris quantum ſatis eſſe videtur, ponatur in aceto, donec liquefiat: deinde coletur per pannum ſubtile. Quod cùm factum fuerit, ſuper lapide porphyrite teratur optimè cum aqua communi, addendo parum mellis. Deinde cùm benè ſiccatum fuerit, rurſus ſuper lapide porphyrite, cum aqua gummi teratur, & res erit perfecta.

Cærulei parandi alia ratio.

Cæruleum cum melle, ut æris flos, conterendum, ſed purgandum non eſt. Temperatur autem ovi albo agitato, aut glutinis aqua, & non gummi. Aqua hæc glutinis, fit ex viſcerum glutine lucido & liquefacto, & colato, ut ex gummi ſolet.

Cinnabaris parandi modus ad ſcribendum.

Cinnabaris, cùm ſuper lapide porphyrite optimè aquâ communi contrita, deinde exſiccata, fuerit, ponatur in vas aliquod oſſeum, vel vitreum, urinaque ſuperinfundatur, relinquaturque ſic aliquandiu: nam fundum materia petet: poſtea auferatur ſenſim urina, atque rurſus recens addatur. Quod cùm octies, aut decies factum fuerit, optimè purgatum erit. Quibus ſic ſe habentibus, ſumito ovorum alba optimè agitata, & in aquam puram diſſolvantur: eam aquam ſuper cinnabarim effundito, ut transverſum digitum emineat, rurſusque ſimul agitato: deinde cùm reſiduum fecerit, auferantur ovorum alba ſenſim, rurſusque recentia addantur, fiatque hoc toties, quoties cum urina factum fuit. Hoc quidem nullâ aliâ ratione fit quàm ut fœtens ille odor, ex urina contractus evaneſcat. His omnibus factis, addantur albumina ovorum recentia, miſceantur optimè, & fiat liquor ad ſcribendum, & pingendum. Cæterùm hic liquor in vaſe aliquo obturato ſervandus erit: deinde cùm quis hoc uti volet, ligno aliquo miſcendus ſervatur etiam diutiſſimè incorruptus.

Aqua fortis ad Serica, marmora, pannoſq; linteos inaurandos.

Sumito glutinum ex pergameno confectum, quo illi-

natur tela ſerica leviter, ne aqua illa penetrare queat. Quo facto ſumito

Ceruſſæ,
Boli Armen.
Floris æris ſing. part. j.

Miſceantur, & redigantur in pulverem ſuper lapide porphyrite, & fiat pulvis, qui ponatur in ollam aliquam vitreatam, addendo ſandarachæ liquidæ tantum, quantum ſatis eſſe videtur, ad ignem admodum lentum ne bulliat. Cæterùm ſuper marmora gluten non erit ponendum, ſed tantùm fortis aqua. *Idem.*

Libri auro quomodo obduci queant.

Rec. Boli Armen. ad nucis quantitatem.
Sacchari candidi ad ciceris magnitudinem.

Redigantur in pulverem tenuiſſimum ſimul: deinde addantur alba ovorum, miſceantur optimè, contundendo. Quo facto, ſumito librum optimè ligatum, & ſub prelo, cum ovorum albo illitum: deinde cùm exiccatum fuerit, illinatur prædictâ compoſitione, & ſiccetur, fricetur-que benè, ut politum læveque fiat. Quum autem auro eos obducere voles, aqua communi priùs humectentur: deinde ſubitò auro ſuperpoſito, bombyce premantur leviter, & exiccati, dente lævigentur, atque ferro frigido formæ imprimantur. *Idem.*

Ad conſervanda ovorum alba incorrupta ad cinnabarim parandam, aliosq; colores absq; arſenico, res perpaucis admodum cognita.

Sumito ovorum alba recentia & integra, quibus ſuperinfundito in centum ova, tertias aceti partes, finitoque ſic ad horas vigintiquatuor: deinde coletur per pannum linteum ſubtile, ne frangantur ovorum alba, relinquanturque ſic per dies octo: quæ cùm deinde rurſus colata fuerint, ſerventur ad uſum, in vaſe aliquo cooperto.

Aqua fortis ad effigiandum.

Rec. Gummi Ammoniaci part. iij.
Arabici part. j.
Sagapeni part. iv.

Miſcean-

Miſceantur, & ponantur in aceto, donec molleſcant: deinde contundantur, colentur, & ſerventur ad uſum. *Idem.*

Aliter ad idem.

Rec. Gummi ammoniaci unc. j.
Arabici unc. iij.

Ponantur in aceto per horas xxiv. donec molleſcant: deinde adde mellis flavi, ad magnitudinem nucis, allii mundati, & contuſi caput unum, aloës hepaticæ parum: miſceantur, & coquantur aliquando in aceto: deinde coletur, exprimaturque benè ſubſtantia omnis. Quòd ſi videatur liquidius, coquatur denuò, donec juſtam conſiſtentiam acquirat, & ſervetur in vaſe aliquo vitreo. Quando autem uti voles, tingantur eâ, quæ auro obduci velis: deinde cùm exiccata, & oris halitu calido humectata fuerint: ſubitò auri folia ſuperponantur, ac penicillo, ſeu bombyce applicentur.

Modus quidam hactenus ignoratus, ſed facilis, molendi auri, vel argenti pulcherrimi coloris, quod expoliri, & gummi illuſtrari poteſt.

Sumito foliorum auri tantum, quantum volueris, ponantutur in crucibulum, vel teſtam ad ignem: deinde ſumito argenti vivi quater tantum, & ſimiliter in aliud crucibulum, vel teſtam ponatur ad ignem, ſed non propè, ut tantùm calefiat. Auri verò folia tamdiu ad ignem relinquenda, donec rubeſcere incipiant, ſed non liqueſcant. Quibus factis auferantur ab igne crucibula, & miſceatur argentum vivum cum auri foliis, miſcendo aliquantulum ſimul ligno aliquo: deinde ſubitò in ſcutellam aquæ plenam injiciantur, & fiat malagma. Verùm ſi aliter facere voles, folia auri cum argento vivo, ſuper lapide porphyrite conterantur, donec optimè miſta, atque contuſa: deinde bis, térve aquâ communi laventur, quòd ſi parum aceti, vel ſucci limoniorum addas, optimè feceris: nam meliùs citiusque permiſcentur. Itaque hoc malagma quocunque modo paratum, ſumito, atque per pannum lineum non rarum exprimatur, ut pars aliqua argenti vivi exeat: vel exprimatur per damæ, ſive agni candidam pellem, quod melius eſt: deinde quod in pelle hæſit, conteratur cum ſulphure vivo optimè

priùs contrito, tanto, ut dimidiam maſſæ menſuram non excedat. Quibus factis, ponatur in vaſe aliquo ferreo ad ignem, optimè cooperto, ibiqúe relinquatur donec totum ſulphur combuſtum, & quod relictum, flavum fuerit: deinde frigidum in ſcutella aquæ plena toties lavetur, donec auri colorem ſumat, & ſervetur ad uſum. Quando autem quis uti volet, addat tantum aquæ roſarum, vel communis, in qua gummi Arabici diſſolutum ſit, quantum ſatis eſt: hæc miſce, & fiat liquor aureus, ad ſcribendum, & pingendum. Quod cùm ſcriptum, pictumqúe fuerit, fricentur literæ, dente aliquo leviter, quod cum alio molito auro, quo omnes ferè pictores utuntur, fieri nequaquam poteſt. Cæterùm hoc ſecreto Veterum quidam uſi ſunt, ut in quibuſdam veteribus libris videre licet. Verùm in poliendo, animum adhibere oportet, ut etiam papyro ſuperaddita fiat: deinde etiam abſque papyro, præſertim literis non ritè lucentibus. *Idem.*

Ad gummi faciendum (quod Vernicem vocant) pulcherrimum ad dictum aurum illuſtrandum, & omnia alia opera, coloribus infecta, & ſine coloribus.

Rec. Belzoinum, inter duo folia papyri, contritum optimè, idqúe in ampulla ponito, ac tantum aquæ vitæ ſuperfundito, ut ad tres, aut quatuor digitos emineat, croci capillos quinque, aut ſex craſsè contuſos, vel integros, & relinquatur per unum, aut duos dies. Quod cùm factum fuerit coletur, quo cùm opera inaurata illuſtrare volueris, penicillo ea illines, & fient lucida & pulcherrima. Hæc materia citò ſiccatur, atque in multa durat ſecula. Quòd ſi argenti folia conterere voles, facito, ut ſuprà dictum eſt, niſi quòd loco ſulphuris, ſal accipiendum erit. Quæ ſi gummi opera illuſtrare voles, ſumito medullæ belzoini: nempe partes illas albas in medio belzoini conſiſtentes, quantum ſatis eſt, addendo tantum aquæ vitæ, quantum ſuprà dictum eſt: crocum autem non adhibebis. Hoc gummi poſſunt illiniri varia, ſive picta ſive non, ut menſæ, capſæ præſertim ex hebeni, aut nucum ligno: item Coria, ſive auro obducta, ſive non: quoniam non ſolùm lucida efficit, verùm etiam colores conſervat. Præterea cùm ſtatim exiccetur, neque pulveres, neque alias ſordes admittit, quæ vel panno, vel cauda vulpina abſtergi, atque auferri nequeat.

Modus

Modus terendi ſive molendi auri vel argenti facilè, quo periti Artifices utuntur.

Sumito folia auri, quæ in ſcutella aliqua vitrea cum julapio roſaceo conterito, & miſceto digito medio, ut optimè miſceantur: deinde ſuper lapide porphyrite, aut marmoreo poſitis, rurſus probè conterantur, addendo aquam ſenſim: pòſt auferatur, atque in ſcutellam colligetur lapide benè loto aqua, ut ritè colligi poſſit. Quibus ſic ſe habentibus, aurum benè digito lavetur: deinde cùm in fundo reſiduum fecerit, aqua ſenſim auferri debet, aliaque ſuperinfundi calida, ac denuò lavari, hocque toties faciendum donec julapium, lavando probè ablatum fuerit, aquaque dulcis amplius non apparuerit. Poſtea exſiccatum aurum, in vaſe aliquo vitreo ſuper cinerem calidam poſitum, tamdiu ſinendum erit, donec optimè calefiat, atque colorem ſuum naturalem recipiat: quo facto contemperetur aqua gummi, & fiat liquor ad uſum. *Idem.*

Liquor aureus facilis, & non multi precii.

Rec. Cortices arantiorum flavas, & ab interioribus optimè purgatas, & contuſas, ſulphuris flavi, & lucidi in pulverem redacti, quantum ſatis eſſe videatur: miſceantur, conterantúrque benè ſimul, & ponantur in phialam aliquam vitream in loco humido per dies octo, aut decem, quâ deinde ablatâ, ad ignem calefiat liquor aureus ad pingendum & ſcribendum. *Idem.*

Aliud ad inaurandum quævis metalla.

Rec. Vernicis liquidæ libram j.
Terebinthinæ,
Olei lini ſing. unc. j.
Miſceantur omnia optimè, ſerventur ad uſum.

Atramenti conficiendi modus optimus.

Sumito gallarum optimarum in tres aut quatuor partes inciſarum, vel leviter contritarum quantum volueris, quæ cùm in oleo pauco, aliquantulum fuerint frixæ, ponantur in ollam vitreatam, ſuperinfundendo vini albi tantum, ut ad quatuor, vel plures digitos emineat: deinde adde gummi Arabici contriti lib. ſ. Vitrioli contriti unc.

viij. miſceantur & ponantur ad Solem per dies aliquot, miſcendo quotidie. Poſtea cùm aliquantulum, & ad ſufficientiam cocta fuerint, coletur, & erit perfectum. Cæterùm fecibus relictis recens vinum addi poteſt, quoties vinum non ampliùs à fecibus tingitur. His quidem vinis ſimul miſtis, addantur gallæ, gummi, vitriolum recentia, ut ſuprà: deinde cùm rurſus ad Solem poſita, demumque cocta fuerint, multò melius erit, quàm prius. Quò enim ſæpius iterentur hæc, eò etiam melius evadet atramentum. Quòd ſi atramentum ſpiſſius, quàm par eſſet evaderet, addatur parum lixivii, & fiet fluidum. Si verò nimium eſſet fluidum, addatur gummi Arabicum. Cæterùm gallas parvas, criſpas, duras eſſe oportet, quemadmodum vitriolum coloris cœrulei: gummi præterea lucidum & friabile. *Idem.*

Atramenti pulvis, quem quiſque proficiſcens ſecum ferre poteſt, modò aquâ vel vino contemperetur. Hic etiam pulvis reddit atramentum perfectius.

Sumito nucleos perſicorum, vel armeniacorum, vel amygdalarum, ſive dulcium, ſive amararum, & ponantur ad ignem, donec candeſcant, auferantur, & ſerventur. Quo facto, ſumito reſinæ piceæ quantum ſatis eſt, ponatur in vas aliquod, vel ollam ad ignem, & cùm candelâ vel carbone accenſa fuerit, cooperiatur operculo aliquo; ita ut ſpirare, non extingui, ſed fumus optimè recipi poſſit: deinde cùm reſina omninò conſumta, vaſaque frigida fuerint, abſtergatur fumus in operculo hærens, & ſervetur. Quòd ſi quis tantum laboris, pro conficiendo fumo inſumere nollet, emat ab iis, qui impreſſorum atramentum conficiunt. De hoc itaque fumo ſumito part. j. pulveris nucleorum accenſorum part. ij. vitrioli part. j. gallarum frixarum, ut ſuperiùs dictum, part. j. gummi Arabici part. iv. Redigantur in pulverem, cribrentur, & miſceantur, fiatque pulvis in corio ſervandus. Quando autem uti voles, ſumito hujus pulveris parum: cui adde aliquantulum aquæ, vel vini, vel aceti, & miſce benè & utitor. Atque ſic habes atramentum repentinum, quod quiſque ſecum, abſque effuſionis periculo ferre poſſit. Quòd ſi hic pulvis addatur atramento non bono, perfectiſſimum redditur. *Idem.*

Atra-

Atramentum paratu facile, neque magno precio: præterea non ſolùm ad ſcribendum, verùm etiam ad libros imprimendos aptum.

Rec. Ejus tincturæ, quâ coria tinguntur, quantum volueris, fellis ſæpiarum, quantum ſatis eſt, miſce & fiat atramentum. Verùm ſi melius efficere voles, adjungito prædictum pulverem ex illis carbonibus, vitriolo, galla & gummi. Hoc etiam atramento libri imprimi poterunt: præſertim ſi aliquantulum vernicis, & olei lini addatur, ut liquidius & tenacius fiat. Cæterùm atramentum pro imprimendis libris, ex ſolo fumo reſinæ conficitur, ut ſuprà dictum eſt, addendo vernicis liquidæ quantum ſatis eſt, & coquendo parum, fiat atramentum, vel liquidius, vel ſpiſſius, ut res ipſa poſcere videbitur. Nam hyeme liquidius, æſtate firmius eſſe debet. Quòd ſi liquidius efficere voles, adde plus olei lini: ſi verò durius, minus olei, & plus fumi, meliusque coque. Verùm durius atramentum elegantiores efficit literas. Quòd ſi rubrum atramentum conficere cupias, loco fumi ſumito cinnabaris optimè contritæ, quantum volueris: ſi verò viride, & æris florem accipito: ſi cœruleum, ut paucis retro annis utebantur, ſumito cœruleum Germanicum, vel enchauſtum vitreum, quod Venetiis habetur. Reliqua fiant, ut in communi atramento dictum eſt. *Idem.*

Liquor ad ſcribendum tanto candore præſtans, ut papyrum vincat, in eaq; legi poſſit.

Sumito ovorum cortices optimè lotas, eaſque ſuper porphyrite, vel marmore, cum aqua conterito, & in ſcutella poſitas ſinito, donec in fundo materia reſideat: quo facto ſenſim auferatur aqua, materiaque vel per ſe vel ad Solem ſiccetur, ferveturque. Quando autem uti voles, accipito gummi ammoniaci, exemto flavo cortice quantum ſatis eſt, ponatur in aceto diſtillato, per horam unam, donec diſſolvatur: deinde coletur, cui addatur aliquantulum prædicti pulveris, & fiat liquor omnium albiſſimus ad ſcribendum & pingendum. Hoc etiam liquore primaria quædam fœmina Italica ad faciem dealbandam utitur, propterea quòd abſque ulla aliqua læſione cutis, & dentium, ita faciem albam reddit, ut non illita,

illita, ſed naturâ ſic eſſe videatur. Verùm ſi ad faciem uti velis, liquorem multò rariorem & tenuiorem eſſe oportet, ut melius penetrare & durare queat. Cæterùm ſi ad hunc effectum aliquantulum talci combuſti, ut ſequenti libro docebitur, addideris, optimum feceris. *Idem.*

Pulvis abſtergens atramenti maculas, vel literas ſcriptas in papyro, quæ res ſcitu eſt pulcherrima atque commodiſſima.

Rec. Ceruſſæ optimè contritæ,
Lactis ficuum ſing. q. ſ. eſt.

Miſceantur, & fiat maſſa, quæ cùm exſiccata, deinde rurſus imbuta lacte, atque ſic ſexies factum fuerit, fiat pulvis & ſervetur. Quando autem atramentum vel literas à papyro auferri velis, ſumito pannum lineum, aquâ imbutum: deinde expreſſum, ponatur ſupra atramentum, vel literas, tamdiu, donec humectata ſint. Quod cùm factum fuerit, pulvis prædictus ſuperaſpergatur, & relinquatur ſic per noctem unam: deinde manè cum panno aliquo linteo ſicco fricetur leviter: quo facto, papyrum candidiſſimam videbis, & ad ſcribendum aptiſſimam. Quòd ſi omninò deletum atramentum non eſſet, iteretur ut priùs, & fieri nequit, quin auferatur. Quòd ſi attenuata charta nimium ſit eâ frictione, glutine, quo ligna ferruminantur, leviter liquefacto, ceruſſæ vel farinæ puſillo admiſto denſabitur. *Idem.*

Modus parandi vernicem, ad membranas, ſive papyrum lævigandam, quâ utimur ad ſcribendum: quæ melior eſt, & pulchrior eâ quâ vulgò utuntur, nec, ut vulgaris, malè olet.

Vernix quâ ſcriptores utuntur ad conficiendos libros, eſt gummi juniperi in pulverem redactum. Ex hoc etiam gummi cum lini oleo cocto liquida vernix conficitur: Utuntur ſcriptores prædicta vernice contrita, ut melius atramentum ſuſcipiat charta, nec perfluat. Verùm ſi meliorem, atque minore precio parare voles, ſumito ovorum cortices, mundatas & leviter contritas, eaſque in olla aliqua benè cooperta, in fornace, vel figuli, vel vitrearii tamdiu finito, donec optimè in calcem ac cinerem vertantur:

tantur: deinde cribrentur, & fiet pulvis albiſſimus. Quum autem uti voles, ponatur aliquantulum ſuper papyrum, atque leporino pede hinc inde ſpargatur, hinc quod reliquum eſt, abſtergatur, & ad ſcribendum reddetur optima. Verùm ſi poſteaquam ſcriptum eſt, & ſiccatum, pulverem auferri deſideres, aliquantum cum medulla panis fricetur, & abſterget pulverem omnem. *Idem.*

Liquor ad formandas Lineas, quæ deinde cùm ſuperſcriptum fuerit, auferri queunt, ita ut nullo modo ampliùs appareant.

Sumito tartari ad albedinem uſque uſti tantum, donec ad avellanæ magnitudinem accedat, diſſolvatur in ſcutella aquæ plena: deinde fiat colatura, cui adde lapidis lydii in tenuiſſimum pulverem contriti tantum, quantum ſatis eſſe videtur, miſce & fiat liquor ad formandas lineas, quas cùm auferri velis, fricetur papyrus cum medulla panis duri, & auferentur, ita ut ne veſtigium quidem reliquum ſit, quod eſt arcanum ſcitu dignum, & admodum utile. *Idem.*

Ratio ſolida in plano pingendi.

Verùm quæ in plano pinguntur, ſolida apparent. Hoc autem maximè duabus ex cauſis: altera eſt umbra, à qua oculus judicium illud refert. Si umbra igitur umbroſum & ſolidum corpus. Adeò enim ſenſus aſſeverare judico ex diuturno uſu contracto, ut referant in Inſulis nuper repertis, nec habitatis unquam aliàs, aves non refugientes, cápi manibus. Altera eſt, ut conſideres, quæ pars corporis videatur, velut in cubo ſuprema anterior, dextra aut ſiniſtra: latent reliquæ ſuperficies: inde umbram ad lumen quod ante te finges ad altitudinem dimidii tecti collocabis, corpus autem pro lineis quæ ab oculo ad cubum ſuper planum extenduntur, & ab angulo intuitum conſtituere, & lumen è latere. Rurſus alia ratio eſt tabulæ, quæ in pariete pendet, alia ejus, quæ ſub oculis ac manibus finitori æquidiſtans jacet: verùm in omnibus hoc commune eſt, ut rem ipſam conſtituas eodem loco, & angulos & puncta eodem in plano, & ad lumen exprimas, ut terminos rei viſæ. Cùm enim anguli fuerint æquales, & coloribus, ac umbris adjuvantur, ut eadem

corpora

corpora referant neceſſe eſt. Idem enim refert idem, & ſimile ſimile. Memento tamen, ut locum viſus æqualis obſerves, is eſt humanæ figuræ caput, cùm homo in tabellâ pictus fuerit: quæcunque enim infra illud ſunt, videbuntur humilia: quæcunque ſuprà, ſublimia, non ſecus, quàm ſi verè tali in ſitu forent, oculus judicabit. Igitur ut ſolida referas, ſunt hæc quatuor abſolvenda; forma rei ex radiis oculorum ſumta, umbra ex radiis lucis, color qui non alius eſſe debet, quàm ejus corporis ſub ea luce, & ſub eo ſitu collocati: ac demum ſitus in tabella ad hominis depicti rationem, cujus vertex è directo ſit tuorum oculorum, ſtatuendus eſt. *Cardanus.*

Ut in ligno figuras protuberantes efficias.

Sed placet inventum *Georgii Joachimi*, viri ingenioſi adjicere, quo in ligno figuras effingere docemur, lignum durum, rotundum, perpolitum, neque viride, neque planè ſiccum, craſſitudine pugni vel etiam majore, in aquam aliquot diebus, donec intumeſcat, demiſſum, ſtylo ferreo malleoque ligneo ſenſim elaborato: erit autem cuneus cum margine, ut à latere vides, ne profundiùs poſſit immitti: cùm verò, quod voluiſti, abſolveris, torno lævigato lignum, ad unguem uſque quo penetravit ſtylus: inde permitte in umbra ſiccari, nam vi coactæ intro ligni partes protuberabunt, atque ita formam, quam meditatus es, referent. Sit autem ſtylus obtuſus aliquantulum. *Idem.*



Liquor aureus ad inauranda coria, argentum & vitrum.

Rec. Olei lini libras iij. coquantur in olla vitreata ad ignem lentum, donec ſatis eſſe videatur, id quod injectâ gallinæ pennâ illicoque exemtâ, facilè deprehendi poterit. Nam ſi extracta nudatur, ſatis coctum: ſi verò non, ampliùs coquendum erit. Verùm ut tutius & abſque ullo periculo coquatur, fornacula conficienda erit, ita

ita ut olla ſuperpoſita, flammam concipere nequeat, atque ipſum oleum accendere. Cocto itaque quantum ſatis eſt oleo, accipe reſinæ piceæ, vernicis non liquidæ ſing. unc. viij. aloës hepaticæ unc. iv. redigantur in pulverem omnia, & prædicto oleo addantur, & continenter baculo miſceantur, maximè igne jam aucto, & coquantur ad julapii uſque conſiſtentiam. Quòd ſi liquor videretur clarior ſplendidiorque quàm par eſt, addito aloës citrini unc. j. ſem. vel unc. ij. addendo minus ſandarachæ, & ſic paulò obſcurior erit liquor, auroque ſimilior. Cùm autem fuerit coctus, illicò ab igne auferatur, ne flammam concipiat (omnem enim conſumeret) deinde ſacculos binos acutos, quorum alterius acumen altero contineatur, habeto: in hunc ſubitò liquorem infundito, ut antè quàm frigefiat, ſubtiliter percoletur, & ſic omnis utilis materia in fundo hærebit. Hæc perdiu conſervatur, & quò vetuſtior, eò melior. Scito autem ab aloë aureum illum colorem pervenire, cætera corpus efficiunt & inſpiſſant. Quòd ſi denſiorem voles, cùm oleum ad certam menſuram inditum, coctum fuerit, quantum voles eximito: deinde præſcriptum ordinem ſequere, quæ ubi perfecta fuerint, tres quatuórve libras non excedent: quoniam minore pondere parari nequit. Artifices verò quadraginta vel ſexaginta libras conficiunt ſimul, & ſervant à pulvere immunem. Quòd ſi vitrum vel ſtannum inaurare voles, penicillo tingito, & ſic vaſa auro puro obducta videbuntur. *Alexius.*

Ad marmora, & alabaſtrum, cæruleo vel violaceo colore inficienda.

Accipe Succi paſtinacæ rubræ, liliorum cæruleorum, aceti albi ſing. quantum ſatis eſt. Quòd ſi prædicti ſucci in promtu non ſint, eo tempore parentur, quo flores & radices haberi queant, & ſerventur ad uſum: vel ſi alterum deſit, altero tantùm utere, miſceantur, & coquantur aliquandiu, addendo in ſingulas libras ſuccorum aceti, aluminis contriti unc. j. Quibus factis, marmora, vel alabaſtrum in prædicto ſucco ponantur, coquanturque tamdiu, donec probè fuerint infecta. Quòd ſi marmora præ magnitudine imponi nequeant, calefiant tantùm optimè eo in loco, quo ſita ſunt, deinde ſucco ferventi tingantur, & erunt pulcherrima. *Idem.*

Roſæ,

Roſæ, vel flores Caryophyllorum quomodo inſigniantur.

Accipe ſalis ammoniaci quantum ſatis eſſe videatur, teratur ſuper marmore cum aceto, & pauco ſaccharo, quod candidum vocatur: & ad uſum ſervetur. Quando autem uti voles, ſumito roſas, vel violas, quantum folia, ita cerâ applicato, ut prorſus plana conſpiciantur: deinde ſuper ea pingito quæcunque voles, prædicto liquore, & relinquantur ſic per horam unam, ut ſicceſcant, quo facto, auri, vel argenti folia ſuperaddito, & cum bombyce leviter comprimito, ſic quod affixum non erit, abſtergatur, & quæ picta volueris, expreſſa bellè cernentur. *Idem.*

Ad picturas illuſtrandas.

Rec. Reſinæ craſſæ & albæ libram j.
Gummi unc. ij.
Terebinthinæ Venetæ unc. j.
Olei lini unc. ij.

Reſina primò ad ignem liqueſcat, & coletur, deinde gummi in oleo communi ſinatur, donec molleſcat: quod cùm fuerit percolatum, miſceantur omnia ſimul, & coquantur igne perlento miſcendo continuè, quouſque ritè omnia fuerint permiſta, & ſervetur ad uſum. Hac miſturâ ſi pictura aliqua munda illinita fuerit, pulcherrima ſplendidaque evadet. *Alexius.*

Alia quæ citò ſicceſcit, Ejuſdem.

Rec. Olibani maſculi.
Gummi juniperi, ſing. quantum ſatis eſt.

Miſce, & fiat pulvis tenuiſſimus, cui addatur terebinthinæ Venetæ, quantum ſatis eſſe videatur, & miſceantur ad ignem benè, deinde coletur, & ſervetur. Quum autem uti voles priùs calefiat miſtura, deinde pictura leviter illinatur, & citò ſiccabitur, nitidaque evadet.

Alia Ejuſdem.

Rec. Olei lini quantum volueris, diſtilletur in cucurbita vitrea, donec omne exierit oleum, de quo ſumito unc. j. Vernicis ambræ unc. iij. miſceantur ad ignem lentum probè, & fiat miſtura, quâ calidâ utere ad omnis generis picturas,

cturas, ſive in ligno, ſive in tela fuerint. Verùm induſtriâ ac dexteritate opus eſt in utendo.

Quisque picturæ ignarus, ut rei alicujus effigiem ſtylo deſcribere poſſit, dummodo ſolùm colores aſſimilare diſcat.

Hoc in ſubjectam tabulam, vel ſolidiuſculam papyrum imagine repercuſſa (erit enim perito facillimum) ſi Sol defecerit, id alio imitaberis lumine: pleraque alia eveniunt, & cognoſces meliùs, quàm ut enarrare poſſimus, præcipuè ſi diligens inſpector pertractaverit. Et huic rei conſcio quiſpiam occultè narrandi auſpicari poterit principia, & quæ voluerit, & remotè carceribus occluſo, nec leves poterunt imaginari technæ, diſtantiam ſpeculi emendabis magnitudine, ſat habes: qui ſe id feciſſe jactarunt, non niſi meras nugas protulerunt, nec aliquibus adhuc inventum putarim. *Joan. Bapt. Porta.*

Carmen de floribus ſeu coloribus, ad ſcribendum, pingendum, &c.

Flores in varios qui vult mutare colores,
Cauſa ſcribendi quos libri pagina poſcit.
Eſt opus ut ſegetes in ſummo mane pererret:
Et tunc diverſos flores ortuſque recentes
Inveniet, properetque ſibi decerpere eoſdem:
Cumque domi fuerit caveat, ne ponat in unum
Illos, ſed faciat quod talis quis ſibi quærit:
Dum ſuper æqualem petram contriveris iſtos
Flores, in coctum pariter tum contere gypſum:
Sic tibi ſiccatos poteris ſervare colores.
Ex quibus in viridem ſi vis mutare, recentem
Quod ſi mandavi, veluti prius ipſa probavi.

Marcellus Palingenius.

Modus pingendi vaſa, & vitra, Ejuſdem.

O vos artifices qui ſculpere vultis honeſti
Vitrum nunc pandam vobis velut ipſe probavi.
Vermes quaſi vi pingues, quos vertit aratrum
Ex terra atque ſimul me quærere juſſit acetum
Utilis ars, iſtis rebus calidum atque cruorem

Roſæ, vel flores Caryophyllorum quomodo inſigniantur.

Accipe ſalis ammoniaci quantum ſatis eſſe videatur, teratur ſuper marmore cum aceto, & pauco ſaccharo, quod candidum vocatur: & ad uſum ſervetur. Quando autem uti voles, ſumito roſas, vel violas, quantum folia, ita cerâ applicato, ut prorſus plana conſpiciantur: deinde ſuper ea pingito quæcunque voles, prædicto liquore, & relinquantur ſic per horam unam, ut ſicceſcant, quo facto, auri, vel argenti folia ſuperaddito, & cum bombyce leviter comprimito, ſic quod affixum non erit, abſtergatur, & quæ picta volueris, expreſſa bellè cernentur. *Idem.*

Ad picturas illuſtrandas.

Rec. Reſinæ craſſæ & albæ libram j.
Gummi unc. ij.
Terebinthinæ Venetæ unc. j.
Olei lini unc. ij.

Reſina primò ad ignem liqueſcat, & coletur, deinde gummi in oleo communi ſinatur, donec molleſcat: quod cùm fuerit percolatum, miſceantur omnia ſimul, & coquantur igne perlento miſcendo continuè, quouſque ritè omnia fuerint permiſta, & ſervetur ad uſum. Hac miſturâ ſi pictura aliqua munda illinita fuerit, pulcherrima ſplendidaque evadet. *Alexius.*

Alia quæ citò ſicceſcit, Ejuſdem.

Rec. Olibani maſculi.
Gummi juniperi, ſing. quantum ſatis eſt.

Miſce, & fiat pulvis tenuiſſimus, cui addatur terebinthinæ Venetæ, quantum ſatis eſſe videatur, & miſceantur ad ignem benè, deinde coletur, & ſervetur. Quum autem uti voles priùs calefiat miſtura, deinde pictura leviter illinatur, & citò ſiccabitur, nitidaque evadet.

Alia Ejuſdem.

Rec. Olei lini quantum volueris, diſtilletur in cucurbita vitrea, donec omne exierit oleum, de quo ſumito unc. j. Vernicis ambræ unc. iij. miſceantur ad ignem lentum probè, & fiat miſtura, quâ calidâ utere ad omnis generis picturas,

cturas, ſive in ligno, ſive in tela fuerint. Verùm induſtriâ ac dexteritate opus eſt in utendo.

Quisque picturæ ignarus, ut rei alicujus effigiem ſtylo deſcribere poſſit, dummodo ſolùm colores aſſimilare diſcat.

Hoc in ſubjectam tabulam, vel ſolidiuſculam papyrum imagine repercuſſa (erit enim perito facillimum) ſi Sol defecerit, id alio imitaberis lumine: pleraque alia eveniunt, & cognoſces meliùs, quàm ut enarrare poſſimus, præcipuè ſi diligens inſpector pertractaverit. Et huic rei conſcio quiſpiam occultè narrandi auſpicari poterit principia, & quæ voluerit, & remotè carceribus occluſo, nec leves poterunt imaginari technæ, diſtantiam ſpeculi emendabis magnitudine, ſat habes: qui ſe id feciſſe jactarunt, non niſi meras nugas protulerunt, nec aliquibus adhuc inventum putarim. *Joan. Bapt. Porta.*

Carmen de floribus ſeu coloribus, ad ſcribendum, pingendum, &c.

Flores in varios qui vult mutare colores,
Cauſa ſcribendi quos libri pagina poſcit.
Eſt opus ut ſegetes in ſummo mane pererret:
Et tunc diverſos flores ortusque recentes
Inveniet, properetque ſibi decerpere eoſdem:
Cumque domi fuerit caveat, ne ponat in unum
Illos, ſed faciat quod talis quis ſibi quærit:
Dum ſuper æqualem petram contriveris iſtos
Flores, in coctum pariter tum contere gypſum:
Sic tibi ſiccatos poteris ſervare colores.
Ex quibus in viridem ſi vis mutare, recentem
Quod ſi mandavi, veluti prius ipſa probavi.

Marcellus Palingenius.

Modus pingendi vaſa, & vitra, Ejuſdem.

O vos artifices qui ſculpere vultis honeſti
Vitrum nunc pandam vobis velut ipſe probavi.
Vermes quaſi vi pingues, quos vertit aratrum
Ex terra atque ſimul me quærere juſſit acetum
Utilis ars, iſtis rebus calidum atque cruorem

Ex hirco ingenti ſolito quem tempore parvo
Ex hedera forti pavi tecto religatum:
Sanguine cum calido poſt hæc vermes & acetum
Infudi, ac totam phialam clarò renitentem
Unxi, quo pacto tentavi ſculpere vitrum
Cum duro lapide Smerilli nomine dicto.

Ad vaſa fictilia depingenda, Ejuſdem.

De vitro ſi quis depingere vaſcula quærit,
Vitrum Romanum benè marmore conterat, & cùm
Ut pulvis fuerit claro pinguedine gummi
Fontis aqua miſta, figulorum vaſcula pingat,
Siccaque fornaci mandes: ſit terra probata
Quæ valeat flammis obſtare, nitentia tandem
Regibus apta ſatis ex furno vaſcula tollet.
Eligat ipſe duas rufo de marmore petras
Inter quas vitrum Romanum conteret, & cùm
Ut pulvis terræ fuerit pariter reſolutum,
Hoc faciat liquidum clara pinguedine gummi:
Poſt hoc depingat peculas, quas finxit honeſtè
Figulus è terra, ſiccatas ponat eaſdem
Fornaci: caveatque ſimul quòd terra probata
Has teneat qua ſic valeant obſtare calori:
Illasque faciet plena virtute nitentes.

De vitro viridi quomodo fieri debeat, ad vaſa fictilia depingenda.

His rebus vitri patet effectus precioſi:
Igni combuſtum ſulphur, aſſum quare cuprum,
Atque teras horum ſplendens cum pulvere vitrum
Hoc cures ſole liquidum ter reddere gummo,
Attamen inde litam poſt ignibus injice teſtam:
Aſſumet viridem quoniam pictura colorem
Exterior teſtæ, cum cœperit ipſa rubere.

Marcellus Palingenius.

De vitro albo, ad fictilia vaſa depingenda.

Album picturis vitrum ſic attenuabis:
Candens permiſtum cum ſulphure contere vitrum,
His ſimul attritis, poſtquam fuerint quaſi pulvis,
Exterius ſpiſſam depinges undique teſtam:
Injice poſt ipſam fornacis ab igne coquendam:

Cùm

Cùm ſimul ipſa rubet, ſibi cùm pictura cohæret
Extrahe, ſic ea pinges hinc vaſcula quædam
Ars velut in prima notat inſinuata libello. Idem.

De vitro nigro ad ea vaſa depingenda.

Sic etiam nigrum pingendi transfer in uſum:
Qui terra capitur cum gummo contere lazur,
Ut ſit perſpicuum, frangens in marmore vitrum
Ipſi miſcebis: rurſumque terendo parabis:
Hæc quoque cæruleam ſumat commiſtio formam
Quæ tamen in nigrum convertet ſingula vitrum. Idem.

Di vitro valde virente, Ejuſdem.

Sic etiam nimium tu virens effice vitrum:
Accipies aſſi ſubtilia fragmina cupri,
Quæ tamen ejuſdem poſt cum rubigine miſces:
Rurſus & admiſto ſplendenti contere vitro:
Protinus hinc pictam fornacibus injice teſtam
Poſtquam lucentem dabit ipſi flamma colorem,
Accipe: nam pulchram capiet hinc frigida formam:
Nam dum fit vitrum nimis fervere, coloris
Hinc aufert propriam flammæ violentia formam.

De pictura eboris, Ejuſdem.

Pingere ſi quis ebur vult, ſic procedere debet.
Sculptura eboris auri pecula decorabis:
Quo tamen ipſa tibi res ordine congruat, audi:
Quære tibi piſcem, qui dicitur Huſa liquentem
Veſicam ſerva decoctam fluminis unda:
Inde locum pecula quemvis componere ſigna. Idem.

DE SECRETIS

LIBER XVII.

DE LUDICRIS.

FIUNT artificialiter lumina quædam per lampades, lychnos, candelas, & ejuſmodi ex certis quibuſdam rebus, & liquoribus, ad ſtellarum normam oppor-

tunè electis, & ad eorundem congruitatem inter ſe compoſitis, quæ quomodo accenduntur, atque ſolæ lucent, ſolent nonnullos mirabiles & cœleſtes producere effectus, quos ſæpè homines admirantur, quemadmodum ex Anaxilao narrat *Plin.* Equarum virus à coitu in lychnis accenſum, equinorum capitum viſum monſtrificè repræſentare: ſimile fieri etiam ex aſinis, & muſciliones cum cera diſtemperatæ & accenſæ faciunt videre muſcas: & corium ſerpentis accenſum in lampade, facit apparere ſerpentes. Et dicunt, quando uvæ ſunt in flore, ſi quis circumligarit illis phialam plenam oleo, & dimiſerit, donec fuerint maturæ, illuminato illo poſtea in lampade, facit videre uvas. Idem valere etiam in cæteris fructibus. Quòd ſi centaurea permiſceatur cum melle, & ſanguine Upupæ, & ponatur in lucerna, circumſtantes apparebunt ſolito majores: & ſi per noctem illuminatur in ſereno, videtur, quòd ſtellæ diſcurrant ad invicem. Piſcis ſepiæ atramento etiam ea vis eſt, ut lucernæ inadditum Æthiopes videre faciat. Fertur quoque, quòd candela ex quibuſdam Saturnalibus rebus confecta, ſi accenſa extinguatur in ore hominis recenter mortui, poſtea quoties ſola luceat, inferat circumſtantibus triſtitiam maximam atque timorem. *Corn. Agrippa.*

Ut ſtantes ſine capitibus videantur.

Auripigmentum ſubtiliſſimè tritum novâ ollâ ex oleo ſinas ebullire, nec ab re fuerit, ſi ſulphur immiſceas, operculo ollæ impoſito, ne croceus evolet vapor, id nova incendes lucerna, & aſtantes ſine capitibus, & manibus videbuntur, oculos digitis comprimendo, dum candela accenditur, idque pauliſper videbis, ut fieri poterit. *Alexius.*

Ludicrum de canibus.

Herba Cynogloſſum, ſeu Lingua canis, matrici canis copulata, omnes urbis, vel ruris canes eo loci cogit, ubi occultata vel ſepulta fuerit. Et ſi talis miſcellanea collo canis ita appenſa aut ligata erit, ut excuti non poſſit, videbis eum tamdiu circumvolvi ac rotari, donec ſemimortuo ſimilis corruat. Illud idem ſub planta pedis geſtatum, omnem canum latratum ligat & impedit. *Albert.*

Ludi-

Ludicrum de pane.

Si pani in clibanum mittendo inſerueris nucem vivo ſulphure, ſale petræ, & hydrargyro oppletam ac diligenter cluſam, ubi incaluerit, videbis panem ita ſalire, ut jucundum ac plauſibile ſpectaculum præſentibus omnibus exhibeat. *Mizaldus.*

Quomodo in tenebris ea conſpicias, quæ foris à Sole illuſtrantur & cum ſuis coloribus.

Si quis id videre affectarit, feneſtras omnes claudat oportet, proderitque ſi ſpiramenta quoque obturentur, ne lumen aliquod intrò irrumpens, omne deſtruat: unam tantùm terebrato: ac foramen rotundæ pyramidis formam habeat, cujus baſis Solem, conus verò cubiculum aſpiciat, è regione parietes albos, vel linteis, & papyro tectos oppones. Sic à Sole illuſtrata omnia, & deambulantes per plateas (ut antipodes) ſpectabis, quæque dextra, ſiniſtra, commutataque omnia videbuntur, & quò longiùs à foramine diſtabunt, tantò majorem ſibi adſciſcunt formam, & ſi papyrum, vel tabulam appropinquabis, ea viſuntur minora. Aliquantiſper tamen immorando, non enim illicò ſimulacra apparebunt: Quia ſimile validum maximum cum ſenſu nonnunquam efficit ſenſationem, talemque invehit affectionem, ut non ſolùm, cùm ſenſus agunt, ſenſoriis inſit, eaque laceſſant, ſed etiam cùm ex operibus diſceſſere, diutiùs immorentur: quòd liquidè poteſt perſpici; nam per Solem deambulantes, ſi ad tenebras convertimus, comitatur nos affectio ea, ut nihil vel ægerrimè cernamus, cùm adhuc in oculis ſervetur affectio ipſa à lumine facta, inde paulatim evaneſcente, clarè in tenebris aſpicimus. Nunc autem enunciabo, quod adhuc ſemper tacui, & fatendum putavi, ut omnia cum ſuis coloribus videantur ſi quæritur: E regione ſpeculum apponito, non quòd diſgregando diſſipet, ſed colligendo uniat, tam accedendo movendoque quouſque ad ſuam veræ imaginis quantitatem cognoveris, debitâ centri appropinquatione, & ſi attentiùs perpenderis inſpectator, vultus, geſtus, motus, hominumque cognoſces veſtes, cœlum nubibus diſperſum, cyaneo colore, & volantes volucres, quòd ſi ad verum pervenerit, non parum lætaberis, mirumque cognoſces,

obverſa omnia, quia centro ſpeculi vicina ſunt: ſi enim extra centrum elongabis, majora erecta, uti ſunt, conſpicies. Ut clarius appareat, feriat Sol vultus: ſin minus, ſpeculum dirigendo Solis reflexione ejaculetur, ut inſigni fulgore illuſtretur, debitâ tamen diſtantiâ, tamdiu ſitum variando: dum verum te aſſecutum eſſe cognoſces. Hinc Philoſophis & Medicis patet, quo fiat in oculis viſus loco, ac intromittendi dirimitur quæſtio ſic agitata, nec alio præſtantius utrumque artificio demonſtrari poterat; intromittitur enim idolum per pupillam feneſtræ inſtar vicemque obtinet ſpeculi parva magnæ ſphæræ portio, ultimo locata oculi: quòd ſi quis diſtantiam menſuraverit, centri loco fiet viſus, quod ſcio ingenioſis maximè placiturum. *Joan. Bapt. Porta.*

Funambulorum ratio.

Funambulorum ratio hæc eſt. Vir audax & exercitatus ſuper funem diſtentum admodum, nudis pedibus inambulat, dextra, lævaque pondus decem aut quindecim, vel etiam viginti librarum plumbeum continet, cùm ad dextram inclinatur intentus operi (ob hoc audaciſſimum eſſe oportet) ſiniſtram intendit ac extendit, remittit ac contrahit dextram, ita antequam vi dextra præponderet ſiniſtræ, pondera æquat, & corpus reducit ad æquilibrium, inde ſenſim, & pondera & brachia priſtino ſtatui reſtituit. Hoc autem neceſſarium eſt: nam antequam caſurus ſit, oportet partem alteram alterâ certâ proportione pondere eſſe graviorem. Cùm hæc proportio ſenſim acquiratur antequam ſit acquiſita, extento & intento etiam brachio ad aliam partem inclinatur: igitur non cadet. Cadere igitur poteſt, ſi vel funis non exactè extenſus fuerit: ſi membra ſtupore interim tentantur: ſi corpus non intentum validè contineatur: ſi pavitet, ſi delaſſetur, ſi arte, vel uſu careat, ut tardius extendat donec inclinetur, vel nimis extendat, ut in adverſam ejus partem: omitto quòd ponderа rationem certam, aut ei appropinquam obtinere debent, ad ſingulorum tum pondus, tum magnitudinem ac etiam vires. Ergo ſi hæc ſex adſint, in nullo eſt periculo. Itaque quidam puer ſphæris ligneis pedibus ſuppoſitis, aliquando etiam ſacco incluſus totus præter brachia ſuper funem inter cacumina turrium extenſum maximo noſtro pro illius vita metu, ambulabat. Alius etiam deſcendebat ab imo ſolo

ad

ad turrim, quod difficilius eſt, cùm renes in hac exercitatione multùm laborent. Item ſe è turri abſque ponderibus pronus per funem uſque ad ſolum extentis manibus demittebat: nam robur adeò manibus, & brachiis conſtans erat ac firmum, ut illis ponderum vice uteretur. Idem, quod miſerrimum eſt, funiculo ſatis tenui pede ſe ſuſpendebat è fune, ubi proximus maximè turri erat, infame ſpeculum atque horrendum. Robore inde renum & dorſi manibus vinculum apprehendebat, atque ita funi denuò ſe reſtituebat. Fingebant ambo ſe cadere præcipites, ſumma verò pedis hærebant funi capite prono. Quantum pedis ſummitati illius roboris ineſſe neceſſarium fuerit, intelligis: nam ſola curvatura digitorum atque ea in ſylveſtrem partem ſubſtinebantur. Puer etiam in præcipitem ſe dabat cum ſphæris alteraque earum fune inter pedis plantam, & ſphæram hærente, neſcio prorſus qua ratione ne ob rotunditatem dilaberetur, pendebat. Verùm ſupra fidem omnem atque expectationem ars fuit, atque audacia duorum Turcarum: tibi viſa ac toti urbi noſtræ refero. Duo erant juvenes corpore haud magno, ſed tereti: quiſque illorum primùm aſſumto homine in humeros per funem ad dimidium recti anguli acclivem adſcendebat, & abſque etiam ponderum auxilio. Inde adjectis gladiis trium fermè palmorum longitudinis, præacutis, acieque novaculæ, pedum malleolis, rurſus cum homine eodem adſcendebat, adeò diſtentis pedibus, ut nec in plana terræ ſuperficie facile fuerit ſic ambulare. Inde funi ſuperpoſita tabula, pedibus verò ſuppoſitis ſublicis quas noſtri cives vocant *ſcantias*, ſuper tabulam ſic poſitam ambulabat, cùm tabula ipſa per ſe ne vel momento funi ſuperſtare poſſet. Deinde quinque teretia ligna ferreo filo craſſiore transfixa, ob idque cohærentia, ſed ita ut nullum lateri poſſet rectè inſiſtere utrinque ſupponebat pedibus, cum quibus ſuper funem ambulabat, cùm nemo ſic per planum ſolum poſſit ambulare, imò ne ſtare queat, hinc inde rotundis lignis, quæ craſſiora brachio non eſſent dilabentibus. Poſtmodum ſuppoſitis patellis æneis abſque vinculo, quas pedum extenſione retinere cogebatur, ſuper fune ibat. Pòſt in caldario ſedens ſtabat, caldarium ſuper funem pendulum, horribile dictu. Quod verò proximum miraculo fuit, haſtam cum ponderibus vaſi ſubduxit, ut caldarium in aëre pendere videretur. Nam haſtam retrò inter vas & funem poſitam antè re-

duxit. Saltabat ad rhythmum ſuper fune pulſante tympano, & modò ſe præcipitem ex illa dabat hærens ſolo calce (his oculis vidi) modò tarſo ac cymba pedis: Stupeat neceſſe eſt, qui videat alterum eorum diſtento tenuiori funi, ut quæ pollicem non excederet craſſitudine, inſiſtere, ac immota tota ſuperiore parte, inferiorem tanto impetu cum fune agitare, ut hinc inde palmis plus quàm duodecim celerrimè ac quaſi jaculi jactu moveatur. Quod verò minus prodigioſum fuit, ſed ſupra fidem tamen omnem humanæ potentiæ eſt, quòd cùm è campo Joviæ arcis ad turrim quæ altiſſima eſt, adſcendiſſet cum ponderibus inde è ſumma turri adſcendit ad trabem per funem, quæ à plano plus tribus è quatuor recti anguli adeò erecta erat, diſtabat. Majore quoque miraculo deſcendit quàm adſcendiſſet, pronus ſcilicet tanquam ruiturus in caput. Animadverſum eſt, pollice pedis utriuſque dum funem continet adverſus alios digitos tantam vim ſuſtinuiſſe. Neque aliter fieri potuit, ut vel aſcenderet tam erecto fune, vel deſcendens non rueret præceps. Voluit dum hæc ageret hominem ſecum humeris ſuſtollere, magno precio etiam addito. Sed tam temerarii propoſiti complicem non invenit. Itaque nihil mirum eſt, quoſcunque maximos principes hoc ſpectaculo, ut re maximè egregiâ, delectatos fuiſſe. Plebem verò cenſuiſſe arte Dæmonum hæc fieri, quandoquidem ſupra vires humanas viderentur. *Cardan.*

Draco volans.

Extat artificium, quod aliquibus *Draco volans*, vel *Cometæ ſidus* dicitur, cujus talis fit conſtructio. E ſubtilioribus arundinum paxillis quadrangulum conſtituatur, ut longitudo latitudini hemiolæ ſit proportionis, diametri duo, & ex oppoſitis partibus, vel angulis immittantur, quarum interſecatione funiculus illigetur, & ejuſdem quantitatis, cum duobus aliis jungatur, è capitibus machinæ provenientibus: ſic papyro, vel ſubtili lino obtegatur, ne quid grave in ea ſit: inde à turris, montis, vel altiorum loci faſtigio, æqualibus & uniformibus ventis credenda, non validis, ne diſrumpatur machina, nec velis, ſi undique ſilebit aura: nam eam non ſublimat, ventorumque ſegnities irritum faciat laborem: ipſa recto non incedat tramite, ſed obliquè, quod afficit tactus è capite uno ex altera longa cauda, quam è reſtibus effinges æquidiſtantibus, & papyris paſſim religatis, ſic levi tractu immiſſa, artificis

cis manibus committenda, qui nec ſegniter, nec oſcitanter, ſed validè impellat: & ſic volitans carbaſus aëra petit, ubi paululum fuerit elevatum (hic enim ex domorum anfractu diſruptus eſt ventus) ut vix manibus compeſci, vel retineri queat. Laternam aliqui ſupra locant, ut Cometa videatur. Sclopum alii chartæ, & pyrio pulvere involutum, & cùm in aëre quieſcit, immittitur per reſtim accenſus funiculus, annulo, vel lubrico aliquo, ſtatimque velum patens, ignem ori admovet, maximoque tonitru, in plures machina diſſilit partes, & ad terram procumbit. Ælurum aliqui, vel catulum ligant, ac per aëra immiſſas auſcultant voces. Hinc auſpicari poterit ingenioſus principia, quonam pacto, & homo volare poſſit ingentib. alis cubito, & pectore deligatis, eas autem à pueritia paulatim jactare aſſueſcat, loco ſemper ſublimiori. Quòd ſi quiſpiam id mirum putaverit, adjiciat ea, quæ Archytam Pythagoricum commentum eſſe atque feciſſe traditur: plerique enim nobilium Græcorum, & *Favorinus Philoſophus* memoriarum veterum exequentiſſimus, affirmativè ſcripſerunt, ſimulachrum columbæ è ligno ab Archyta ratione quâdam diſciplinaque mechanicâ factum volaſſe, ita erat, ſcilicet libramentis ſuſpenſum, & aura ſpiritus incluſa, atque occulta concitum. *Joan. Bapt. Porta.*

Homines ut mortui videantur.

Vinum cum ſale ad conſumtionem partis tertiæ coquito, inde vinum illud accende; ſublatâ omni aliâ luce, & ipſis immobilibus manentibus, ſpeciem mortuorum præbebunt. *Cardanus.*

Vitrum duplicatum.

Jucundum etiam eſt vas duplici vitro conficere, ut à latere vides: in medio candela ardet: inter vitri ſuperficies, aqua aut humor varius ac perſpicuus ponitur: ita ut ſplendor duplicatus, & miraculorum varietas interluceat. Quidam autem in medio piſciculos inter vitri ſuperficies collocarunt, avicula modò piſciculos mirabatur, modò roſtro petere nitebatur. Licet multiplices candelas & lumina & vaſa humoresque jungere, ut res fiat admirabilior. *Idem.*

Mulieribus lotium compeſcere.

Extat paſtinacæ piſcis è cauda aculeus quidam, quo nihil in mari execrabilius eſſe authores ſcribunt, mira operans multa: inter hæc & retinet, ſi mentem adhibes, mollis ubi terra vel horti fuerint, ac mejat vetula, illico aculeum defiges, ut totum abſcondas, tamdiu ei lotium prohibebis, quamdiu ſcrobe effoſſâ detrahes: pauculis enim immoraberis diebus, & extemplo mejet, ſic vetulas ſæpè juvenes urina retinent, ſi alicujus uſum interdixerint. *Joan. Bapt. Porta.*

Ut mulieres in menſa nihil edant.

Mulieres in menſa nihil edent, ſi ocimum ignorantibus illis ſub obſonii patina cum radicibus integrum reponatur. *Autor Florent. Geoponicus.*

Convivæ ne accumbentes edant.

Si vis autem convivæ ne accumbentes edant, ſic fiet: & quanquam minùs veritatis habeat, non tamen omittam. Acum habeas illam, quâ mortui ſæpè linteis obvoluti reſarciuntur, ac ſæpè eos perforaverint, clàm cœnæ initio ſub menſam figas, prohibet enim hæc convivarum eſum, ut accumbentes potiùs cœnæ tædeat, quàm edendi, vel ſedendi voluptas inſit: detrahe ubi eos aliquantulum irriſeris. *Joan. Bapt. Porta.*

Piſtor ut panem in furnum non immittere poſſit.

Suſpenſi furis laqueum habeto, ubi habueris in inſtrumenti parte illa deligato, quæ furnum ſubintrat: ſi piſtor in furnum panem immittere quæſierit, hinc inde diſcurrens, verum nunquam reperiet iter: & ſi immiſerit, foras ejicietur pala, quod mirabile videbitur valdè, minus verum. *Idem.*

Ut quis in ſomno loquatur.

Rana & bubo efficiunt hominem loquacem, & ex his maximè lingua & cor: ſic lingua ranæ aquaticæ ſuppoſita capiti, facit loqui in ſomnis: cor bubonis impoſitum mammæ mulieris dormientis ſiniſtræ, fertur efficere, ut omnia ſecreta pronunciaret: idem fertur efficere cor noctuæ, & ſevum leporis poſitum ſupra pectus dormientis. *Agrippa.*

Ut

Ut aliquis dormire non poſſit.

Oculus hirundinis poſitus in lecto, non permittit jacentem dormire donec auferatur. *Alb. Magnus.*

Mulier ut in ſomno patrata narret facinora.

At ſi mirabilius ultrò atque invitò vis, ut mulier in ſomnis patrata narret facinora, quod Democritum quoque ſenſiſſe video, magisque in mulieribus quàm viris prævalet, cùm ad loquelam promptiores, & loquaciores ſint. Nocte intempeſtâ, ubi profundo mulier fuerit demerſa ſomno, lacuſtris ranæ linguas: ſic etiamnum ſylveſtris anatis bubonisque (quia noctu loquuntur) pectori ſupra cordis palpitationem admoveto, immorari ſinito, & quantum poteris interrogato, nec iterare pertædeſcat, ſi illicò reſponſa non præbeat. Namque erumpens tandem vox cordis ſecreta manifeſtat, interrogatis omnibus vera ſemper reſponſura: ſimulatis carminibus aliqui evenire tradunt, cùm id omni abdicatâ ſuperſtitione operetur. Dii immortales unde hoc evenit, ut ſic efficaciſſimè operetur, ut in ſomnis ea liberè narret, quæ vigilantes in caſſum conamur: quis hoc fieri poſſe credat: leniter tamen ad eam accedendo loquitur blandè, in neceſſariis utitor. *Porta.*

Ludi adversùs convivas.

Si lintea, & mappæ calcanthi pulvere inficiantur, qui loti ſe detergent ea parte nigri fient, cùm tamen lintea priùs ſint candidiſſima. Si gladii ſucco colocynthidis, omnia amara videbuntur. Si quam vocant aſſam, cuncta fœtida videbuntur. *Cardanus.*

Ludicrum primum.



Duas tabellas ſtrictas nec longas aſſumito, in quibus foramina duo A. B. & C. D. juxta tabellarum capita lorum verò diſciſſum in E. & F. per longum, ſuperponatur igitur E. ſuper A. & ex inferiore parte G. ducatur per utrunque foramen: pòſt per B. C. D. alternatim ſurſum atque deorſum, rurſus autem per C. deorſum inducatur ut ſurſum aſcendat, atque

atque eodem donec tabula A. B. per F. lori foramen poſſit educi, atque ſic incluſum erit lorum utrique ligno: contrariâ ergo ratione extrahetur: ita ludimus, ut in meo ore, quanquam exiguo naturâ. *Idem.*

Ludicrum ſecundum.



Similiter fiet, ſi duæ tabellæ minimi digiti longitudine tenues, & coæquales aſſumantur cum tribus foraminibus, in ſingulis æqualibus diſtinctis intervallis, ut à latere vides: lorum quoque transverſim juxta capita diviſum in G. & deorſum: ergo caput K. lori ducito ſurſum per B. L. autem per C. ex adverſo, ut capita ex eadem parte promineant, poſt L. duc per G. poſt per A. ſurſum ut deorſum tendat L. inde L. rurſus deorſum per D. & ſurſum per F. & deorſum ſurſum per E. inde rurſus per D. poſt per H. ſectionem tranſmittes tabulam A. B. C. inde reducta L. in contrarium per D. fiet ut conquieſcat in E. velut K. in B. *Idem.*

Ludicrum tertium.

Aliud: duas habeto ligulas, quas plicabis ut à latere vides, jungeſque eas filo ejuſdem coloris, & ſuper eos orbiculos tres induces, quibus pro numerandis precibus utimur, ſint autem A. B. C. ſed medium non appoſitum, ut quando filum jaceat, intelligeres. His paratis, reducito capita D. verſus C. E. verſus D. nodo ſuper orbiculos injecto, deinde trade in manus alicujus, & ſtylo ſcriptorio præſcinde filum B. infra D. & E. ponens, relinquentur ligulæ integræ, orbiculis excidentibus. *Idem.*



Ludi-

Ludicrum quartum.

Simile fermè eſt, quod contingit filo conduplicato velut A. B. C. ducatur extremitas D. per A. ita ſub digito lateat A. & C. ſub alio digito, remaneatque pars C. D. duplicata, ita dividatur C. D. gladio, & videbuntur quatuor initia & fines, ubi dimittas clanculum excidere C. D. apparebunt tantùm duo initia, & tamen filum videbatur quadrivariam diviſum. Hæc igitur ſubjungere volui, ut quiſque intelligeret artem deluſoriam, totam ejuſmodi, eſſe ut antequam, quomodo fiant, ſcias, miracula eſſe exiſtimes quæ fiunt: poſtquam noveris, puerilia eſſe cognoſcas. *Idem.*



Furtum cognoſcere.

Si volumus furtum cognoſcere, ſic poſſumus & ſubreptam illicò rem recuperare. Eſt lapis, qui *Ætites* dicitur, & veluti prægnans eſt: nam cùm quatitur lapillus, in utero ſonat, ſi quis ergo terit eum, & ſub cineritio pane decoctum, & conditum furi offerat, fur manſum devorare non poteſt, quin etiam cogitur, aut ſuffocari, aut fur deprehendi, quippe cum eo decoctum glutire nequit. *Porta.*

In vaſe urinali vitreo ut varia & mira conſpiciantur.

Recipe Croci, in panno linteo ligati, parum: ponatur in aqua fontana, donec benè coloretur: poſtea ſumito albumina ovorum, & cum jam dicta aqua conquaſſentur ſepties vel octies. Quo facto, ponatur hæc mixtura in vitro urinali, aquâ limpidâ pleno, & varia videbuntur in eo. *Fallopius.*

Panis ut in menſa ſaltet.

Argentum vivum in penulam imponito, obſtrue, & in panem calidum locato & ſaltabit. *Idem.*

Spectrum artificioſum.

Nox verò videtur harum ineptiarum mater. Verùm utut ine-

ineptiæ ſint, etiam quandoque magnarum, imò maximarum rerum cauſæ ſunt præſtigiæ. Veluti contingit Cenetho ſecundo Scotorum Regi, qui cùm Picti patrem Alpinum captum occidiſſent, & ipſum Regem timore perculſis, cùm perſuadere non poſſet ſubditis ultionem, nam maxima pars nobilium, & militum regni paterno prælio ceciderat, principes regionum convocatos benignè excepit. Inde etiam hoſpitio & convivio dignatus eſt. Sequenti nocte in ſingula illorum cubicula, dum omnia ſilerent, ſingulos immittit homines, baculo in manu dextra ex putri ligno, quod velut fax ſplendet in tenebris (hoc enim aliàs docuimus, veſte ex corio piſcium non deſquamato, quod & ipſum noctu mirum in modum ſplendet, tum maximè baculo auxiliante, eſt autem horum piſcium magnorum in Scotia ingens copia) in ſiniſtra, quæ ori admota erat, ingens bovis cornu: nam & talia in ea inſula cornua boum eſſe declaravimus. Hi omnes per cornu reboant horrendâ voce, parendum eſſe regi: Pictos daturos pœnas ſcelerum, victoriam ingentem apud Scotos ſtare, ſe nuncios à Deo miſſos. Facile fuit ſomnolentis imponere, quum neque venientes, nec abeuntes videre poſſent: nam veſtem involverant dum abirent, baculum abſconderant. Ubi mane ventum ad conſilium eſt, quiſque narrat quod vidiſſet audiſſetque: ſed Rex metuens, ne fabula prodiret in publicum, ob idque detegeretur, primùm docet id ſibi etiam viſum, deinde cavere illos ne divinitus monita promulgando cœleſte numen haud dubiè propitium, infenſum redderent. Itaque nemine fucum agnoſcente, in bellum conſentiunt, fuitque eventus non minus quàm oraculo divino reſpondens: ſiquidem victi Picti ſemel, bis térve: ad extremum deleti ſunt à Scotis, ut ne reliquiæ, aut veſtigium ſupereſſet. *Cardanus.*

Spectrum ſecundum.

Aliud quo plures uſi ſunt: ſcarabeos vel teſtudines, aut cancros cimiteriis præſertim ſpargunt cum exiguis candelis: alii ſubtilius mortuorum Capitibus intra condunt candelas, horrendamque faciem præbent. Si autem locuſtarum dorſis candelæ exiguæ annectantur, terrorem non levem afferunt. Ignis enim ſaltare videbitur. *Idem.*

Spectrum tertium.

Aliud quo chirurgici etiam falluntur, exiſtimantque vulneratum

neratum membrum haud dubiè: cum manus ſic medicamento inficitur, ratione conſtat, ut pleraque experimento, & uſu: talia plurima edocuit vir Græcus natione, qui ad nos pervenit, quæ tamen ſolùm joci cauſâ fiunt, cùm nullam afferant utilitatem. Ratione igitur quoniam in vulneribus cavitas, ſanguis, atque nervi nonnunquam ſpectari ſolent: ſemper autem fermè vulneris labia. Cavitatem ergo prominentia laterum mentitur: ſanguinem, minium, aut lacca, vel cinnabaris optimè ſanguis draconis: nervos, fila: cuti & carnis labia, ceruſa, reſina, ſepo, vel cera alba: hæc autem experimento. Uſus ornat fallaciam. *Idem.*

Spectrum quartum.

Aliud quo omnia, quæ in domo ſunt, moveri videntur ut terræ motus tempore, ſed ſolus viſus in hoc fallitur. Primùm quidem laquearia, & parietes è ligno, aut cemento ſint forma ſerpentis, & ſtriata in obliquum, & inaurata ſic ut ſplendeant: inde flamma tremula, ut ſuo loco docuimus, & ablato omni alio lumine, dico omnia tremere videri. Nam quia pars AB. (ſed tortuoſitas in plano non benè exprimi poteſt) videtur juxta AC. lineam, lumen verò fertur per AD. neceſſe eſt, ut AB. moveri videatur, rectus enim motus luminis fertur per obliquum: igitur tum propter proprium tremorem flammæ, tum propter obliquitatem motus, videbitur tremere: Adjuvant autem plurimùm ad hoc ignis non ſplendidus, & cum fumo: nam debilis actio faciliùs vitiatur, quàm valida, ſed fumus flammæ ſociatus, & flamma imbecillis, quæ à levi ſubſtantia procedit, debilem viſum facit: igitur talis ignis flammaque levi fumo juncta, hoc ſpectri genus efficiet. *Idem.*



Spectrum quintum.

Non poſſum præterire, quod edoctus ſum per ſomnum hac nocte, quæ eſt vigeſima octava dies Januarij MDLIIII. præcedens, dum librum hunc ultimò tranſcriberem, videbam parietem in quo imagines depictæ erant plurimæ, quarum aliæ ambulabant, aliæ colloqui videbantur, ſtabant nonnullæ, erant quæ ſederent, quæque deambularent: mira

mira certè res. Tum ego, id mirum profectò eſt: tum quiſpiam qui aderat. Non eſt hoc miraculum, ſed tu inventor fuiſti hujus rationis: memini ſanè: tum ille excipiens inquit: Paries hic in crypto porticu ex adverſo viæ publicæ, quam ſcis eſſe maximè frequentatam, & nunc fortè fortuna milites tranſeunt, poſitus eſt. Illuceſcat Sol in via, docuiſti qua ratione imagines ex umbris in adverſo pariete videantur: hæ autem quæ plurimæ ſunt in extremitatibus parietis, ac quaſi confuſæ, nonnullæque in medio, & quas ſedere perſpicis, omnes ſunt picturæ, ad ſimilitudinem umbrarum effictæ: ut cùm umbræ diſcedunt ex finibus parietis aliqua pictarum moveri videatur. Tum ego, certè pictas vix ab umbris diſtinguere licet. At ille, fuit hoc artis egregiæ opus: nam ſumta ratione ex libro tuo, dominus ædis hoc commentus eſt, hominum colloquentium effigies, non picturæ ſunt, ſed umbræ: ſtant enim hi duo in via, & mox diſceſſerunt. Verùm ego mecum recogitans intellexi, licere hoc idem in tabella facere, quæ transferri poſſet. *Cardanus.*

Spectra in nubibus quomodo fiant.

Nicolaus Siccus, præfectus juſtitiæ vir inſignis, quem honoris cauſâ nomino, dicebat ſe expertum eſſe flante vento, ſi equi adverſùs illum ferantur imagines leves, & velut è pluma, vel charta depictas, filoque annexas equi poſtilenæ, ferri per aërem, adeò ut ſi filum tenue ſit, res prorſus mira videatur, id verò jure meritò: nam cùm ventus in adverſum feratur, imago verò lata ſit ac levis, non poteſt recta decidere: ſed neque juxta venti impetum, velut reliqua, quæ decidere ſolent, quia à filo retinetur: neceſſe eſt igitur ſurſum ferri, ac ſpectri videndi cauſam præbere: verùm ad nubes uſque magna dubitatio eſt: aut enim filum frangetur, aut venti vis non eò uſque pertingit, aut impetum tanta longitudo fili retinere non poteſt. Verùm id aliis experiri ſinamus: compendioſior enim ratio in Æſopi fabella deſcripta eſt: nutrita enim aquila in his, quæ in ſublime volant, annexaque pedibus imagine, deinde dimiſſa ſpectri videndi cauſam ſubminiſtrabit. His quidem artibus ad accendendos militum animos, dum pugnaces exercitus propè poſiti ſunt, non inutiliter utimur. *Idem.*

Jocus

Jocus Necromanticus.

Jucundum id quoque nobis fait ſpectatoribus, quo *Andreas Albius*, Medicus doctiſſimus Bononiæ credulo cuidam amatori metum incuſſit: Demortui caput menſæ appoſuit, quod patefacturum eſſe nobis auditoribus promiſit, quiſnam ex nobis filiam civis cujuſpiam miſerè deperiret, quis etiam futurus eſſet amoris exitus, caput in hoc eſſe prædicturum. Ludicrum id non intelligentibus horrorem induxit, perinde atque ſi cacodæmonis ope vaticinium id proceſſiſſet. Verùm iis, qui jocum animadverterent, riſum movit. Hac autem arte res hæc inſtituta erat. Menſa quatuor columnis pedum inſtar ſuffulciebatur, quarum una excavata erat, menſæ perforatæ ſubdita: Foramen id, totaque menſa ſubtili quodam tapeto tegebatur, ne menſæ foramen conſpiceretur: Eo loco demortui caput poſitum conſiſtebat. Pavimentum autem in ea parte perforatum etiam erat, in qua columna excavata menſam ſuſtinebat, ut ex inferiori ædificio, in ſuperius & viciſſim ex ſuperiori in inferius voces tranſmitti poſſent. Quamobrem is, qui in inferiori erat, tubo quodam in excavatam menſæ columnam immiſſo, & alterâ ejuſdem tubi parte auri admotâ, facilè quid alter in ſuperiori conclavi conſiſtens rogaret, exaudiebat, reſponſaque dabat quæſitis apprimè convenientia. Succeſſit hoc eò faciliùs, quòd uterque amatoris eludendi ſecreta noviſſent: Sic enim fabulam hanc communicatis antè conſiliis dextrè peregerunt. Ad majorem etiam vaticinii fidem, candelas cereas accenſas circa demortui calvariam poſuit, verbaque peregrina recitavit. *Andreas Albius.*

Jocus alter hiſtrionicus.

Multis & hoc admirandum videbatur, quod tamen ubi modum quo ſimiliter agi poſſit, expoſuerimus, ludicrum exſtimabitur. Vitrum vir quidam nobis inſpicientibus obtulit, in quod annulum immiſit, qui ſua ſponte quoties id expeteremus in vitro ſaltitabat. Hic aſtus hac ratione peractus eſt. Subtilis cujusdam mulieris capillus annulo adaptatus erat, hominisque ludentis digitis. Cùm ergo ſaltandum eſſet annulo, digitos hiſtrio motitabat, quibus agitatis, ſimul annulus ipſe movebatur, nobis capillum nequaquam conſpicientibus. Fucum hic hiſtrio ſubtili com-

mento teget. Annulus hic (ajebat) laſcivarum puellarum more non ſaltat, niſi meis ipſius digitis ei tympanum pulſem. *A quodam hiſtrione Veneto.*

Ad faciendum aliquem pedere.

Si accipiantur pili aſini, qui ſunt juxta priapum ejus, & dentur alicui in potu triti cum vino cuivis, incipit ſtatim pedere. *Albertus.*

Aliter.

Similiter ſi aliquis acceperit ova formicarum, & contriverit, & projecerit in aquam, & dederit ea in potu cuivis, ſtatim non ceſſat pedere. Similiter faciunt cum vino. *Idem.*

Crepitus ventris moventia.

Quædam etiam veneficii potiùs quàm medicinæ loco habentur: ſat ſit leviora recenſere. Crepitus ventris, ova formicarum, vel caſtanearum flores movent. *Cardanus.*

Ut hernioſo crepitent teſticuli.

Ut hernioſo crepitent teſticuli, ſic optabis: Ubi eum igni accedere conſpicies, & calefacere, ſambuci vel ficûs igni viridia immittito ligna, ut comburantur: ſic enim crepitum dabunt, ut ſecedere illinc cogatur. An id evenit, quam eructat, aura, illi vento ſimili, qui quoque eis officere ſolet. *Porta.*

Tympani mirum.

Fiunt & quædam, quæ ſpectra licèt non ſint, admirationem tamen pariunt. Tympanum è pergameno figuris pingitur variis, ita ut ſenſim deſcendat ratio picturæ, & rurſus deſcendentes excipiantur ab aſcendentibus: in obliquum enim ſitus earum tendit, ac quaſi per æquidiſtantes lineas, in medio lumen collocatur, quod more flammæ, quæ verua circumagit, tympanum vertit, cumque ſemper ſitu differentes figuræ occurrant oculis, omnes aut adſcendere, aut deſcendere videntur, quod mirabile eſt. *Card.*

Ludicrum de piſis in olla coquendis.

Qui voluerit jucundo ſpectaculo ex ollis ferventibus piſa excludere, argentum vivum immittat, videbit rem pul-

pulchram, niſi labra ollaris excellens altitudo, vel ignis remiſſior obſtiterit. Expertum tibi trado. *Mizaldus.*

Ovum ut in aëre aſcendat.

Sic facere poſſumus, ut ovum in aërem aſcendat: Ovi corticem vacuum rore complemus, & Majo menſe eum accipimus: (alio enim tempore, ut æſtate & autumno verus ros non eſt, ut phyſicis conſtat rationibus) & in meridie Soli oppones, & ab eo elevabitur, & ſi difficilis aliquando fuerit aſcenſus, baculi, vel tabulæ adminiculo, dum aſcendere incipiat facilius elevabitur. *Joan. Bapt. Porta.*

Latrunculorum ludus.

Quæ propoſita in memoriam revocant, quonam pacto duobus coloribus, imò uno tantùm, liceat plures differentias oſtendere, velut in latrunculorum ludo typis mandando: ubi qui Hiſpanicum librum emiſerunt, omnia confuderunt. Igitur loci nigri, lineis nigris, quaſi cancellis ſunt diſtinguendi, cùm albi puri relinquantur; latrunculorum verò figuræ, nigræ quidem totâ ſuperficie, atramento tingantur, albæ verò in ambitu ſolùm linea nigra deducenda, totum quod interius in typo eſt album maneat. *Cardan.*

Tres Schedulæ non tactæ, ut ſitum permutent.

Alia quoque remanet ludicra ſubtilitas, ut tres ſchedulæ non tactæ ſitum permutent: Quod illud penitus ignoranti fieri non poteſt, quin mirabile videatur: Tres ſunt ſchedulæ longiuſculæ è papyro vel linteis, ſeque mutuò æquali ſuperent longitudine: nam capite uno æquatæ omnes, & æquè revolutæ devolvuntur, diverſique ſitus reperiuntur, longior in medio, vel primo loco, ſi longior eadem in poſtremo fuerit loco, immobilis remanet, quòd non eſt, qui non putet à Dæmonibus factum, ſed aliunde non evenit, niſi quia in reſolutionis fine remanet procerior, & extrema, à qua exoritur, in revolvendo remanet. Quorundam fuit error, qui verborum vi, evenire putabant, ac de interrogatis omnibus, tanquam de oraculo reſponſa præbebant: nam ſi ſitum permutabant, ritè auſpicari, effectusque propitiari, ſin minus infortunari: nec voluêre rationibus, & experientiis fidem permutare, cùm habitum in credendo effecerint. *Joan. Bapt. Porta.*

Ludicrum de carnibus.

Inſtrumentorum fides ſeu chordulæ minutim exciſæ, & carni recens coctæ (ſive elixata fuerit illa, ſive aſſata) inſperſæ, eam vermiculoſam, putrem ac inſalubrem eſſe, diſcumbentibus jucunde mentiuntur. Quisquis rei hujus conſcius erit, utili impoſturâ ſolus pro arbitrio veſci poterit. *Mizaldus.*

Mulier ut omnia narret quæ fecit.

Quando vis, ut narret tibi mulier vel puella tua omnia, quæ fecit, accipe cor columbæ, & caput ranæ, & exicca utraque, & pulveriza ſupra pectus dormientis, & narrabit omnia, quæ fecit. *Albertus.*

Statuæ ligneæ mira.

Mira ſunt quæ de duabus ſtatuis ligneis parvis, & colludentibus, à duobus Siculis fieri vidi: erant autem unico filo transfixæ hinc inde, quæ annexæ alterâ quidem parte ligneæ ſtatuæque fixa manebit, reliqua tibiæ, quam ille pulſabat extenſo utrinque filo: nullum ſaltationis genus non æmulabantur, geſticulantes miris modis, capite, cruribus, pedibus, brachiis totque in varias formas, ut ingenuè fatear me tanti artificii rationem non aſſequi: neque enim plura fila, neque modò extenſa, modò remiſſa, ſed unicum filum in ſingulis ſtatuis, & ſemper intentum: nam multas alias vidi, quæ pluribus filis, atque his modò intentis, modò remiſſis agebantur, ſed id nihil mirum. Id verò pulchrum erat, quòd ſaltationes geſticulationesque modis cantilenæ congruebant. *Cardanus.*

Capilli in ſerpentes.

Hæc tamen mirabilia viſa ſunt. Menſtruatæ enim mulieris capilli in ſerpentes, & vermiculos vertuntur fimo obruti, & tempore brevi. Nec minùs putrefactus menſtruorum ſanguis rubetas ſive ranas generare poteſt: facilè enim corrumpitur, & convertitur, & ſæpè mulieres ex eodem cum humano fœtu bufones, lacertos, & iis ſimilia generant. Et Salernitanas mulieres legimus conceptionis principio, cùm fœtus vivificari debent, tale animal apii, & porrorum interficere ſolent ſucco. Cùm mulier quædam præter opinionem prægnans videretur, fœtûs loco, quatuor

tuor animalia ranis ſimilia peperit, & ſæpè tali è cauſâ abortivit, cujus monſtruoſæ conceptionis, non eſt alia (credo) putanda cauſa. Ex corruptione quoque humani ſeminis, veluti vermes in inteſtinis. Alcippe Elephantem peperit, & ancilla inter initia belli Marſici ſerpentem generavit. Nec equorum minus è cauda ſetæ aquis injectæ, animam recipere, & vivificari videntur. Tuſum ocimum inter lateres humido loco Soli expoſitum, Scorpiones generat: quanquam Galenus neget. Combuſtæ Anatis pulvis, ſi humido inter patinas ſervetur obrutus loco, ingentem & maximam mirè generat Rubetam. Facilius autem Rana procreari poteſt illicò, ſi earum cernatur ornatus, non enim illas dico, quæ legitimo naturæ ordine, ſcilicet ex coitu, in aquis ſuos natales habent, ſed quæ per ſe naſcuntur, & temporariæ dictæ ſunt: & æſtivo tantùm imbre litorum & itinerum pulverulentis arenis generantur, earumque brevis eſt vita, vel ſæpè ventorum ara, altis montium jugis ſævientes, attollitur pulvis, aquisque mixtus, non ſolùm in ranas, ſed in lapides cogitur, ranas enim aliquando pluiſſe auctor eſt *Philarchus*, *& Heraclides Lembus*: circa Dardaniam & Pæoniam idem eveniſſe tradit, idque tam copiosè, ut domus & viæ replerentur. Et *Ælianus* cùm ex Italia Neapoli Puteolos iter faceret, ranas perſpexit, quarum pars, quod ad caput pertinet, repebat, & duobus pedibus agebatur, altera nondum conformata, concretioni limoſi humoris ſimilis trahebatur, & ex eodem corpore pars altera vivebat, pars altera tellus erat. Narrat *Macrobius* in Ægypto, quòd ex terra & imbre mures naſcuntur, & in aliis locis ranæ, ſerpentes & ſimilia, unde facilis eſt earum procreatio. Quidam enim cùm ſpuiſſet, ex ſputo ſtatim Rana creata eſt, & Daumatus Hiſpanus, quoties libuerat Ranarum maximam illico producebat copiam, ſic vermium, & ſcropharum ex coitu exceptum virus & ſanguinoſum modo jam dicto, ineunte Sole capricorni principium, ut piſcis exitu ejiciant, dum affatim lacte, & micis ſaturentur, ſubeuntes: perceptumque illud, quod apriam vocant, quod idem eſt, quod equis hippomanes, vitreo ſub fimo vaſe conditum, & operculatum, ne ſurgens calor evolet, aliquibus lateat diebus, præceptumque opus plumbeâ conditum pyxide erit uſui: qui id rectè noverit componere, non vulgare cernet experimentum. Si quis verò curioſius, quàm par ſit, noſcere concupiſcet, quam novimus ratio-

nem experimento fimo & admirabilem admodum mandragorum producendi. Si enim humanam ſeram ex ovo enatam fœneratitia jam nomenclatura vulgò appellari cœpiſſe audio, ſi cui allibuerit, & is ad exemplar galli ſpermatis in ovo humanum & vitale aſperſerit virus operculo coercito ne fœtuoſum calorem coercitum ſuſpiret, efferret ſemiferum animal, hinc humanam, hinc verò vernaculam gerens formam. Nec negat id *Avicenna*, ſi occaſio dabitur, alibi paulò uberius, ſat ſit normam & fieri poſſe demonſtraſſe. Pleraque & majora jam omittuntur, apud inſcios, & plebejos fide penitus caritura. De partu menſtruoſo, deque producendi per fimum vi, hæc dicta ſufficiant. *Joan. Bapt. Porta.*

Arces & turres ut in aqua videas.

In vitreo vaſe matulæ ſimili aquam conjicies, parumque ex ea ſumens crocum in linteo ligatum, donec tingatur aqua, confricato: inde ovi candidum digitis ſepties aut octies confractum in ea ponito, totumque in vas illud conjicito permiſcens aquæ: videbis enim ut referunt, quaſi oppida, & arces, ac turres in aqua ſparſas. *Cardanus.*

In ſtrato hominis ut appareant pediculi ſcaturientes, ut non poſſit homo dormire.

Si vis facere, quòd in ſtrato hominis appareant pediculi ſcaturientes, ut non poſſit homo dormire, tunc projice in lecto ejus pondus unciæ unius, vel mediæ Alkakengi, & ſi acceperis pilos Aſturis, fiet inde licinium, quod quando accenditur vident ſe invicem omnes infimos ex vehementia infirmitatis, extenuationis. Accipe locuſtam citrinam, & exicca ipſam, & tere, & pone in panno exequiarum, & incende ipſum oleo ſambucino, in quocunque loco fueris, quod tibi dixi & mirabile. *Albertus.*

Situla aquâ quomodo ſuſtineatur.

Diximus de his, quæ plus ſuſtinent quàm ratio videatur oſtendere, & de his, quæ mutuò ſe ſuſtinent, nunc demonſtrandum, quomodo aliquid ſe ipſum ſuſtinere videtur. Sic abacus planus A B. & baculus C E. cujus exterior pars ſit ſub anſa D. ſitulæ plenæ aqua G F H. & inter baculum C E. & F. ſitulæ imum collocetur E F. lignum rectum arctè, ut dilabi non queat dico ſitulam pendere nec cadere.

Con-

Conſtat enim, quòd cùm F. ſit imum ſitulæ quòd baculus E F. & F. gravitatis centrum, & centrum terræ, quod ſit K. & centrum ſitulæ, quod ſit L. ſunt in una recta linea, quæ ſit KF. LE. Si igitur ſitula cadat, vel per rectam FK. vel prius inclinabitur latus aliquod, ut G. vel H. Si igitur inclinetur verſus H. in M. duco KM. quia igitur duæ lineæ veniunt ex K. KE. & KM. ad circulum, & KE. tranſit per cen-



trum circuli: id eſt, ſitulæ, erit ex demonſtratis ab Euclide in tertio elementorum KF. minor KM. igitur centrum gravitatis F. elongatum eſt à centro terræ K. ſponte, igitur motu naturali grave aſcendit, quod eſſe non poteſt. Non igitur ſitula deſcendit inclinando ſe ad aliquam partem. Sed neque per rectam KF. quia angulus FEC. rectus eſt, & conſtans, deſcendente D. in L. ducatur LB. igitur æqualis eſt EB. igitur cùm LB. opponatur recto vel quintam primi: triangulus LEB. duos rectos habebit, vel majori angulo majus latus non opponitur, quorum utrumque adverſatur his, quæ ab Euclide in primo elementorum ſunt demonſtrata. Ex quo ſequitur majus quoddam miraculum, & eſt, quòd aliquid ſpontè caſurum addito pondere non cadet. Nam poſita parte baculi BD. majore, DC. baculus cadet, quia extremum ejus cadendo appropinquatur centro terræ K. & ita C. poterit elevari, ſic cadet: tamen addito ſitulæ pon-

dere non cadet. Oportet autem (ne te cum risu astantium fallat experimentum: nam rudes ubi res non succedit, non hominem sed demonstrationes culpant) ut diligentissimus sis, primùm ut abaci superficies superior sit ad libellam posita, & lignum rectum ad unguem, nec flexile: & similiter lignum E F. rectum, & arctè junctum inter situlæ imum & C E. ita quòd faciat hærere firmiter lignum C E. manubrio D. Et quòd F. punctus sit centrum gravitatis, & situla rotunda. Multi legent hæc, sed pauci intelligent. Plura enim intelligere oportet, quàm quæ scripta sint, cùm tamen ad perfectionem nil desit. *Cardanus.*

An mulier sit adultera.

Dicunt, quòd si quis ponit adamantem capiti mulieris dormientis, manifestat si est adultera: quoniam si sic est, resilit territa de lecto: & si non, amplectitur virum suum cum grandi dilectione. *Albertus.*

Trabes mutuò se sustinentes.

Quædam etiam spontè videntur sustineri, ac etiam alia sustinent nullo vinculo; ut, capio A B. trabem, cui super-



pono C D. Ipsi C D. superpono E F. cadat sub A B. tunc dico, quòd nisi solvantur, cadere non possunt: nam A B. susti-

ſuſtinetur ab FE. & EF. à CD. & CD. ſuſtinetur ab AB. igitur nulla earum cadet. Locus autem DBF. ſuſtinetur, & ſuſtinet, experimento enim id patet, igitur ab aliquo ſuſtinetur; igitur ab omnibus, cùm par ſit omnium ratio, igitur firmiſſimus. Qui quantò magis premitur eò eſt firmior: nec fatiſcit, niſi aliqua illarum frangatur. *Card.*

Ut mulier confiteatur quæ fecerit.

Ranam aquaticam comprehende vivam & tolle ejus linguam, & remitte illam in aquam, & pone illam linguam ſuper partem cordis fœminæ dormientis, quæ cùm interrogetur, vera dicit. *Albertus.*

Telum pendens nullis vinculis.

Simili modo & in Dianæ Epheſiæ templo literis mandatum inveni, Cupidinis telum nullis retentum laqueis pependiſſe, quod ſi cui ingenium æmulari libuerit, facilè id aſſequetur: levi ferro harundinem pro haſta adjicito, lapidemque herculeum cubiti magnitudine excavatum eximiæ bonitatis inſerito, teſtudini templi, appoſitumque ſpiculum per plura ſecula ſpontè pendere videbitur, neque id magno miraculo. *Cardanus.*

Annulis præſtigioſus.

Cingulus aut annulus præſtigioſus ſic fiet: elaborantur 3. circuli, aut ſi libet plures, ita contexti, unâ tamen ſolâ ductili lineâ, ut nulla ex parte alter alterum tangat: ſic fiet ut duo penduli in aëre ſtare videantur, miro artificio vafroque invento: at efficere facilius longè eſt quàm effingere: quanquam, ut potuimus, eum depinximus. Ratio autem talis eſt; ſi annulum triplicatum facere voluerimus, deſcribemus circulos duos, deinde accipiemus numerum, quem volumus, qui diviſus per tria, numerum circulorum annuli ſuperrelinquat unitatem: utpote ſedecim, nam diviſus per tria relinquit unum, &



exeunt quinque: divide igitur circulum exteriorem in partes ſedecim æquales, deſcribendo totidem quoque diviſiones in minore circulo efficiemus, ita tamen ut puncta inferiora intercipiant in medio ſuperiora: deinde ductis portionibus circulorum à puncto inferiore ad ſuperius, ab eo autem ad inferius, duobus ſemper intermiſſis, tandem redibit poſt exactos tres circulos ad eundem punctum, itaque unus circulus tres efficitur. Circulos autem hos extremos, ſeu qui priùs deſcribuntur dimiſſi, ut melius deſcriptionis ratio intelligatur. Cæterùm juvat eos delere, ut abſolutius, & nitidius opus videatur. Oportet autem in ſectionibus, quæ in ſolido ſunt, non ſe tangere annulos corporeos. Sic enim penduli videbuntur, ac per ſe, cùm non ſit. *Cardanus.*

Ad furem dignoſcendum.

Si quis pulverem ex lapide aëtitis ſubcineritio pani incoxerit & ſuſpecto furi quidpiam de eo comedendum obtulerit, præmanſum bolum deglutire non poterit. *Mizaldus.*

An corrupta ſit mulier.

Fumus ſeminum portulacæ, vel foliorum perſonatæ, quam *bardanam* vocant, per infundibulum vel aliter, in fœmineum pudendùm transmiſſus, ſtatim mulierem, ſi corrupta eſt, ad mejendum proritat: ſi non eſt, lotium continet. *Joan. Bapt. Porta.*

FINIS.

)o(

INDEX

INDEX RERUM ET SECRETORUM hujus VOLUMINIS.

A.

ABortum prohibentia. 162.
Accipitres quomodo capiendi. 311.
Acetum ex aqua ut fiat. 223.
Acetum ut fiat acre. 222.
ut ſubitò fiat. ibid.
ut vini naturam adſciſcat. ibid.
ut fiat arte. ibid.
bezoardicum Zvingeri. 680.
roſaceum. 681.
Acies cultrorum ut denſa reddatur. 704. 450.
Adam ex terræ limo creatus. 6.
quid ſecundum Cabalam denotet. ibid.
Adamantis proba. 505.
tinctura. ibid.
Adamas ut fingatur. ibid.
Adamas quomodo expoliatur. ibid.
ex ſaphyro ut fiat. 519.
ut molleſcat. ibid.
Adonai cujus loco hoc pronuntietur. 20.
Ædificia quæ multum calefacere aërem poſſint. 524.
Æger an periclitetur. 129.
Æger proprias & alienas habet particulas. 84.
peſtilens ut corrigatur. 85.
Aëris gravitas. 84.
vis elaſtica. 85.
Æris metallum colore argenteo tingere. 440.
Æs viride cryſtalliſatum. 441.
ut fiat argentum. 438.
coquere ſ. urere. 437.
eximiè dealbare. 439.
aurum reddere. 437.
ut fiat dulce ut argentum. 443.
ut argenti nitorem induat. 440.
Agni ne ægrotent. 260.
Alabaſtrum cæruleo colore tingere. 737.
Alcabeſt Glauberi. 681.
Allium ut dulceſcat. 345.
odoris virus deponat. ibid.
Allii odor à manducante ut aboleatur. ibid.
Ambitum terræ invenire. 637.
Ambroſia herba unde dignoſcatur. 107.
Ambroſiam herbam Italia fert. ibid.
Ambroſiam vitam producere. ibid.
Amethiſtus ut fiat. 511.
Amor ut naſcatur. 103. 104.
ut concilietur. 97. 98. 99.
Amygdalæ amaræ ut fiant dulces. 337. 366.
inſcriptæ. 366.
ut fructum copioſum ferant. 337.
Amygdalo perſicum. 336.
Angelorum ſecreta. 38.
Anginæ curatio. 140.
Anguillæ. 294.
Anheloſis remedium. 145.

Ani Ani Hu quis Hebræis. 25.
Animi affectus corpus afficiunt. 100. & *seq.*
defectus curatio. 142.
Animarum & dæmonum diversa natura. 39.
Animæ ante corpora non creatæ. 7.
Animal fascinatum. 343.
visu & tactu inficiens. 302.
Animalia quæ è diversis commisceri possunt. 269.
si tussiant. 241.
Animalium secreta. 269.
feritas ut mitigetur. 266.
verrucæ ut curentur. 241.
impetigo. 244.
spasmus. 241.
Anates ut facilè manibus capiantur. 313.
Anatum saginatio. *ibid.*
Anni præsagia. 554.
Anni præsagia ex primo tonitru post exortum caniculæ ib.
Annulus præstigiosus 763. 666.
Antidotus contra venena. 123.
Anser adhuc vivus excoctus. 312. 678.
Anseres ut saginentur 311. 312
Anthracis cura. 183.
Antimonium diaphoreticum. 461.
Antimonii tinctura. 462.
vitrum. 463.
Antidotum memoriæ. 130.
Antiphthisica Tinctura. 453.
Ἄπυρον quid. 59.
Apostematum quorumlibet cura. 184.
Aper ne hominem aggrediatur. 126.
Apes quo tempore vindemiare oporteat. 315. 316.
ut transferendæ. 315.
ne fugiant. *ibid.*
Aphrodisiacum secretum. 691.
Apium comparandarum modus. 314.
Apium ut folii latissimi fiat & crispum. 348.
Apium hortense ocyssimè producere. *ibid.*
Apum morbi. 313.
Appetitus ut concilietur. 146.
Aqua à vino ut separetur. 85.
ut vino mixta superponatur. 211.
quæ accenditur. 61. 74.
Aqua ut se ipsam exhauriat. 545.
ut sine igne calefiat. 90.
Aqua antasthmatica Zvingeri. 689.
anticolica Dorncreilii. 685.
antihectica Zvingeri. 682.
apii selini. *ibid.*
aurum ab argento separans. 413.
argentum dissolvens. 437.
argentum colore aureo tingens. *ibid.*
ardens. 69. 72.
cosmetica discutiens ac detergens. 688.
colorem maculatum restituens. 536.
ad auditum. 684.
cinamomi buglossata Officin. 683.
cordialis s. cardiaca. *ibid.*
dentes extrahens sine dolore. 203.
diuretica Zvingeri. 684.
faciem reddens juvenilem. 196.
faciem denigrans. 197.

Aqua fortis ut fiat. 87.
ad flores effigiandos. 633. 634. 726.
ad inaurandum ſericum, pannos, marmora, lintea. 632. 633. 725.
byſteria D. Seyeri. 682.
quæ Magiſtra appellatur 391
ad nævos, ſerpigines, impetigines, & alias maculas delendas. 198. 199. 681.
lactis fontanæ ſimilis. 221.
ad maculas delendas. 538.
Rhizotico prophylactica Zvingeri. 682.
ſalſa ut potabilis fiat. 89.
ſtomachica rubra Zving. 684
theriacalis Plateri. 683.
vitæ cum caſtoreo Offic. 684.
adverſus locuſtas. 90.
optima pro Phthiſi. 143.
ophthalmica Zving. 686.
Aquæ inebriantes. 86.
marinæ concinnatio. 85.
Aqua ad ferrum auro foliato obducendum. 444.
Arbor pomifera ne rumpatur pondere gravata. 333.
Arboris Mali vermibus quæ adverſentur. 332.
Arbores ut citò creſcant. 323.
ut fœcundæ reddantur. 329.
ut fructus multo majores ſolito ferant. ibid.
Arbores ne à pecoribus lædantur. 331. 332.
à vermibus ut curentur 331.
ſylveſtres ut extirpentur. 332. 338.
ut necandæ aut extirpandæ ſint. 331.
ut tranſplantentur. 328. 397.
ut feraces fiant. 324.
quibus fructus defluunt. 330.
aut folia. ibid.
ne à Jumentis lædantur 331.
Arborum rubigini adverſa. 328.
morbis remedia. 329.
inſitio quæ fit ſub cortice. 324. &c.
infrugiferarum remedia. 330.
Arcanum è ſaturno Solem faciendi. 454.
Arca quæ pecunias recondit abſque indicio. 695. & ſeq.
Arca Noë quomodo ad menſuram corporis humani fabricata fuerit. 5.
Arcæ ut colorem nanciſcantur pulchrum. 702.
Arcæ ne fumo vitientur. 702.
Arces & Turres in Aquâ videre. 760.
Archimedis *ſpeculum.* 72.
Areæ quomodo faciendæ. 525.
Argentum ponderoſius reddere. 408. 435.
Argentum vel aurum diminuere. 436.
Argentum in aurum commutare. 428. 429. 433.
in aurum tingere. 430. 431.
Argentum vivum ut cogatur. 401.
Argenti molendi modus ad colores. 727. 729.
Argentum vivum congelatum in aurum tingere. 397.
Argentum vivum fixum. ibid.
Argentum vivum ut ex plumbo fiat. 402. 405.
Argentum vivum ut in præcipitatum

pitatum revocetur. 406.
Argentum vivum tingere. 405.
Argentum inaurare. 433.
in calcem vertere. 434.
Argenti vivi ſ. Mercurii ſublimati modus, quo utuntur Chymiſtæ. 402.
Argenti ex vivo argento conficiendi modus. 407.
Argenti liqueſaciendi mira ratio. 435.
Argenti vivi congelatio. 396.
congelatio cum oleo. 400.
congelati fixatio. 401.
Arma cælare. 703.
Arma & Inſtrumenta ferrea ut ab ærugine conſerventur. 704. 613.
Aries ne impetat. 260.
Ariſtotelis *ſcripta quo loco apud* Alexandrum *fuerint.* 2.
Ars magica quomodo addiſcenda. 586.
Artis proplaſtices modus. 388.
Arthritis ut curetur. 168. 169.
Articulorum Affectuum cura. 168.
Athaorſphæra quid, quæ ſit altitudo ejus. 89.
Aſtantes ut ſine capitibus videantur. 742. 646.
Aſparagi ut in magna copia proveniant. 349.
ut toto anno edules dentur. ibid.
Aſtra quomodo interdiu contueri liceat. 53.
Atramentum paratu facile. 572.
ad ſcribendum & imprimendum. 731. 571.
perpetuum. 573.
Atramenti maculas è panno delere. 537. 734.
Atramenti pulvis utilis viatoribus. 730. 572.
Atramenti conficiendi modus. 729. 571. 572.
Aſinus ne rudiat. 259.
Aſini animo delinquentes. ib.
Aſinorum claudicatio. ibid.
Αὐτόσιον *Deum.* 17.
Avis in Germania noctu lucens ut ignis. 71.
Avium pediculi. 297.
Aves ut congregentur. 296.
ut capiantur. ibid.
Aves ut à fructibus arcendæ. ibid.
à ſemente fugandæ. ibid.
ut manibus capiantur. ib.
quomodo doceantur loqui. 297.
ut intelligantur. 298.
ne arborem impetant. 330.
rapaces ut pennas mutent. 298.
Aviculæ ut pingueſcant. 311.
Avicularum educatio. ibid.
Auguria. 631. &c.
Aureus liquor ad ſcribendum, & ferrum, ligna, vitrea vaſa, oſſa, aliaque auro obducenda. 709.
Aureus liquor ſine auro. 709.
Aureum colorem è purpurinâ facere. 717.
Aurum vitæ. 415.
diaphoreticum. 428.
potabile. 414. 415. 417 422.
potabile verum Theophraſti Paracelſi. 417.
potabile Leonhardi Thurneiſeri. 423. &c.
fulminans. 427.

Aurum ex plumbo ut fiat. 459.
ad ponendum compoſitio ſimplex. 723.
in nigra materia. 724.
& argentum clam deferre. 413.
excreſcere & augere. 407.
ex cupro parandum. 442.
Auri abſterſivum. 419.
Auri color ut reparetur. *ibid.*
Auri terendi modus. 722. 417.
molendi novus modus. 723. 727. 418.
Aurum ex argento extrahere. 409.
ab argento ſeparare. 414.
Auripigmentum ſublimare. 469.
Aurichalcum argenti colore tingere. 442.
Auxilia Secreta contra ſerpentes. 283.

B.

BAccas myrteas virides ſervare. 692.
Balagii ſubtiles ut denſentur. 511.
Balneum ad reſolutos. 128.
Balſamum ad vulnera. 171. 685.
ophthalmicum Zvingeri. 136. 685.
Barba & capilli ut tingantur. 187. &c.
ut gignantur. 191.
ut naſcantur. *ibid.*
Batrachion herba. 131. & *ſeq.*
Bellicum ſtratagema. 659.
Beſtiæ ut domum redeant & homines ſequantur. 239.
Beſtiæ ne amplius comedant. *ib.*
Beta ut albidior & major fiat. 348.
Betonicæ Coronariæ flos ut in cæruleum commeet. 353.
Betonica ſ. Vetonica ut hyeme floreat. 359.
Bezoardicum Solare. 428.
Lunare. 434.
Martiale. 450.
Minerale. 462.
Bithiæ mulieres oculis faſcinantes. 100.
Bombardarum pilæ accenſæ. 58. 59.
Bos ſi ægrotet. 256.
Bovem ſi ſerpens momorderit. 259.
Boves ut valeant. 255.
ut non debiles fiant. *ibid.*
ne pedes ſubterant. *ibid.*
dum laborant ne laſſentur. 255.
ut muſcis non infeſtentur. *ibid.*
ut pingueſcant. *ibid.* & 256.
ſi capite doleant. *ibid.*
claudi. 258.
ſi ſcabioſi fuerint. *ibid.*
ſi pediculis & vermibus laborent. 259.
Boves ſi febriant. 257.
ſi tuſſiant. 258.
ſi profluvio alvi laborant. 257.
ſi torminibus. *ibid.*
Boum ſuppuratio. 258.
cicuratio. 255.
medicamentum. 256.
Braſſica ut non coquatur. 680.
ut fiat ſapore & magnitudine inſignis. 348.
Bubonis peſtiferi cura. 183.

Bubonum curatio. *ibid.*
Butyrum antimonii. 464.

C.

CAbala. 596. &c.
Cachectici pulvis Zvingeri. 451.
Cacodæmones ſubſtantias facere non poſſe. 44. 45.
Cacodæmonum ut Angelorum ordines novem. 40.
& eorum operationes de miraculo. 41. & *ſeq.*
Calcei incorruptibiles. 540.
Calcedonius ut tingatur. 508.
Calculi remedia. 152.
Calli & Verrucæ ut extirpentur. 184. 185.
Calx auri. 427.
Cameræ obſcuræ conſtruendæ ratio. 743.
Cameini lapides ut formentur. 517.
Caminus fumum non remittens. 526.
Cancer quo curetur. 128.
Cancri quomodo capiantur. 294.
Candela admirabilis. 55.
pavorem inducens. 68.
colores reddens. 75.
quæ animalium capita hominib. apparere faciunt. 79.
in aqua ardens. 55.
ſub aqua ardens. *ibid.*
quæ extingui nequeat. 56.
quæ ventis extingui non poſſit. 62.
ut fiat inextinguibilis. 55.
quæ cùm accenditur agitatur. 75.
Candelæ fumantes Regiæ. 686.
Candelas multas ſimul accendere. 63. 69.
Canes ut venationi celerrimè aſſueſcant. 265.
ne rabie corripiantur. *ibid.*
ne à pulicibus & ſcabie perdantur. 266.
ut obmuteſcant, ut fugiant. 265.
Canis ut quemvis ſequatur. 264.
ne te deſerat. *ibid.*
ne latret. *ibid.*
Canicies ut præcaveatur. 191.
Caniculæ ortus & quæ ex ipſa contingunt. 654.
Caniculæ æſtui quæ adverſentur. 329.
Canum morbi curatio. 265.
Capitis pediculos extinguens remedium. 181. 280.
vulnera ut ſanentur. 169. 170.
doloris remedia. 129.
Capilli ut aurei fiant. 187.
Capilli ut argentei fiant. *ibid.*
ut flaveſcant. *ibid.*
ut rubri evadant. 188.
ut virides videantur. *ibid.*
ut denigrentur. *ibid.* &c. 189.
ut diminuantur. 192.
in ſerpentes verſi. 758.
Caporum mores ut mutentur & pingueſcant. 303.
Capræ ut multum lactis præbeant. 263.
Capræ ne peſtilentia laborent. 261.
Carbunculus ut fiat. 510.
noctu lucens ut fiat. 83.
Carbunculi curatio. 183.
Cardanus voluminoſus. 42.

Caricæ ut durent. 370.
Carmen de floribus. 739.
Caro ut vermicularis videatur. 205.
ut ſanguinoſa appareat. ibid.
diſſecta ut iterum coaleſcat. 677.
Caro atmoſa & vetuſta ut citò coquatur. 677.
Carnes ut diu ſerventur incorruptæ. 676.
Carnium coctura ut acceleretur. 677.
Carmeni lapides quomodo formentur. 517.
Carnes coctæ ut crudæ videantur. 676.
ut citò tenereſcant. ibid.
ne putreſcant. 677.
Caſeus ne à muribus lædatur. 271.
Cataplaſma ad vulnera Regis Daniæ. 174.
Cataplaſma contra quemvis ictum & vulnera. 176.
Catapotia memoriæ. 130.
Cauſa ſub Relationis prædicamento ponitur. 14.
Cauſarum ſeries finita. ibid.
Cauterium indolens Zvingeri. 686.
Cementum purgandi aurum. 419.
Ceram tingere colore rubeo. 601. 692.
viridi. ibid.
nigro. 602. 692.
albo. 602. 693.
Ceraſus ut uvas ferat. 334.
Ceraſa ut fiant præcocia. ibid.
oſſiculis carentia. 363.
Ceraſorum remedia. 334.
Ceratum ſ. Elixir ad metalla tranſmutanda. 385. 386.
Cerebro languenti medela. 130.
Cereviſia ut per annum incorrupta maneat. 225.
Cereviſiæ langueſcentis remedium. ibid.
Cervi ut capiantur. 292.
ut ſenectutem renovent. 267.
ut alliciantur. ibid.
ut fugæ mandentur. ibid.
Chalybem ex ferro conficere. 447.
Chalybs quomodo indureſcat. 449.
quomodo molleſcat. ibid.
Chryſolitus ut fingatur. 511.
Chryſocolla ſ. Borax ut parentur. 470. &c.
Cicatrices ut deleantur. 185.
Cicer præcox & majus ut fiat. 379.
Cicindelæ ſ. Nitedulæ. 69. 70.
Cimentum purgandi aurum. 419.
Cimices necantia. 277. 278.
Cinara ne ſpinis horreat. 376.
ut odorata fiat. ibid.
dulceſcens. ibid.
Cinnabaris parandi ratio. 575.
parandi modus. 466.
ut fixa reddatur. 467.
ad ſcribendum parandi modus. 725. 469.
Circuli ferrei omnibus vaſis commodi. 702.
Circulus Zodiaci 655.
Civitatum excidii ſigna. 670.
Clavi. 184.
Clepſydra ad hortos irrorandos. 528.

Clibanus compendium pecuniæ faciens. 675.
Cochlea Archimedis. 547.
Cœli & Planetarum imagines. 502.
Cœlestes influentiæ nullæ dantur. 42.
Cœlestes mentes vel intelligentiæ absurdum sunt commentum. 41.
Cærulei coloris parandi modus. 707. 725.
Colico cruciatui medicamentum & experim. 146.
Collyrium præstantissimum contra oculorum vitia omnivaria. 136.
Collyrium v. Aqua ophthalmica Zvingeri. 137.
Color viridis ad scribendum. 574.
cæruleus transmar. 707.
cæruleus indicus. 710.
ad scribendum & miniandum. 707.
Colore viridi ossa tingere. 712.
Color purpureus parandus. 721.
roseus ut parandus. 721.
spadiceus ut paretur. 721.
flavus quomodo conficiatur. 721.
viridis ut fiat. 722. 707.
smaragdinus. 707.
Colorem panno amissum reddere. 439.
Colore vario ossa tingere. 713.
Colores ex omni metallorum genere. 709.
Color ad ligna tingenda. 713.
Coloris cærulei parandi ratio. 707. 725.
ut omnia videantur albi & argentei. 81.
Columellæ suffocatio & inflammatio. 141.
Columbus ut infarciendus. 308.
Columbæ ne fugiant. 305.
Columbarum Philtrum ne fugiant. 306.
Columbæ ut multiplicentur. ibid.
ut ad columbaria trahantur. ibid.
ut maneant & secum alias adducant. 307.
Columbarium ne reptilia intrent. ibid.
ne serpens ascendat. ibid.
Conceptum juvantia. 162.
Concubitus maleficio quomodo medendum. 616. 617.
Convivæ ne accumbentes edant. 748.
Convolvulus ne sit in vinea. 349.
Cornua ut emolliantur. 286.
quomodo denigrentur. ibid.
Convulsionis remedia. 535.
Corallium in formulas digerere & è fragmentis unum formare. 512.
Corallium ut fingatur. 511.
ut liquescat. 513.
Corporum resurrectio post hanc vitam dabitur 9. 10. 11
Cotonea quomodo legenda & conservanda. 362.
quomodo fiant effigiata. ib.
Cotonei arbor sterilis aut ægra quomodo curetur. 334.
Coturnices ut pinguescant 310.
Crepitus ventris moventia. 756.

Cribra-

Cribratio farinæ mirabilis. 670.
Crocus ferri Martis. 447.
auri. 427.
metallorum. 461.
Crocodilus ut immobilis reddatur. 277.
Croto lapis ubi reperiatur, & quomodo præparetur. 110.
Cryſtallina pila ignem excitans. 67.
Cryſtalli ſectio. 522.
Cryſtallini priſmatis mira facultas. 496.
Cryſtallus ut fiat fuſilis. 476. 20.
Cubiculum ut viride videri poſſit. 75. 527.
Cubiculum & omnia ut nigra videantur. 527.
Cubicula elegantia facere. 524.
Cubiculi aër ut totus appareat inflammatus. 60. 61.
Cubiculum coloratum. 75. 76.
Cucumeres ociſſimè producere. 375.
ſerotinos reddere. ibid.
Cucurbitæ ut fiant longæ & vaſtæ, latæ & amplæ. 373.
ut ſine ſemine naſcantur. ib.
ut præcoces. 374.
Cucurbitarum & Cucumerum formæ variæ. ibid.
purgatoriæ. ibid.
ut conſerventur. 375.
Culices. 319.
Cultrorum aciem duram & denſam reddere. 450.
Cuniculorum igneorum ſtruendorum ratio. 664.
Cuprum in aurum ut mutetur 442.
ut citò fundatur. 440.
ut argenti nitorem induat. ibid.
Curculiones ut perimantur. 320.
ne frumento noceant. ibid.
Cutis ut aqua ſplendeat. 195.
ut candore præſtet. 196.
Cyanus ut fingatur. 514.
Cythara ut vento pulſetur. 653.

D.

Dæmon quid. 38.
ut reſponſum dare videatur. 629.
Dæmones non ſunt in hominum gratiam creati. 38.
ſunt ſpiritus creati. 40.
boni ut nobis concilientur. 584.
quantitate finiti. 39.
quos Origenes *virtutes vocet.* 40.
corpora accipere. 39.
Dæmonis vox quid olim ſignificarit, quid nunc. 40.
Dæmonum corpora, ſpectra. 39.
differentiæ omnes cur indagari non poſſint. 42.
triplex differentia. 40. 41. 42.
differentias ex actionibus colligi. 43.
ſpecies. 40. 41.
potentia finita. 44.
facta varia. 46.
Dæmonum facta an miracula dici poſſint. ibid.
vis circa morbos producendos & curandos. 47. 48. 49.

Dæmonum machinamenta. 604.
miracula. 44.
limitata poteſtas 45.
opera admiranda fieri. 44.
ex coitu mulieres concipere non poſſe. 45.
arcendorum quid antiquitas & Rom. eccleſia crediderit. 605. &c.
Dæmones per magos & lamias an futuras res prædicant, multaque patrent. 46. 47.
Dæmonia ejiciendi modus Eccleſiæ veteris. 620.
Dæmoniaci. 621.
Dæmoniaci curandi exemplum inſigne. 603.
Decoctum vulnerarium Zvingeri. 686.
Deus an ſit, non eſt dubitandum. 14.
Dei exiſtentia variis rationibus demonſtratur. 14. 15. & *ſeq.*
Deus quid ſit. 16. 17.
de definitione Dei. *ibid.*
à Veteribus tradita quid ſit judicandum. *ibid.*
ſui ipſius principium. 17. 26. 32.
infinitus, omnipotens, immortalis, independens, perfectiſſimam vivens vitam, liberrimè agens, ſimpliciſſ. materiæ expers, immutabilis, omniſcius, beatiſſimum Ens &c. 17.
in perſonis *trinus eſt, in eſſentia verò unus.* 18. 19. 20. 21. 22.
unus eſt, nec plures citra contradictionem eſſe poſſunt. 18.
quid egerit aut agat. 23. 26.
in locis diverſis. 23.
ut infinitus ſubſtantia & unitate. 18. 26.
Deo qua ratione conjungamur. 578. &c.
Deum eſſe Dei felicitas eſt. 31.
eſſe verbum & verbum Dei eſſe ipſum Deum contra juniores Judæos demonſtratur. 29.
Deus an ante mundum quieverit. 30. 31.
an contemplatione perficiatur. 31. 32.
Deum primam eſſe cauſam. 16. 17.
ſolum homines feciſſe ut probetur. 6.
Dentes ut ſine dolore extrahantur. 202.
ut audire videantur. *ibid.*
ut dealbentur & conſerventur. 101. &c.
Dentium dolori ac ſtupori mederi. 139. 140.
Diabolus poſſit ne morbos inducere, an etiam inductos ſanare. 47. 48. 49.
Digitis cur antiqui numerarint. 4.
Diaphoreticum Martiale. 450.
ſolare. 428.
lunare. 434.
Divinare. 627.
Divinæ eſſentiæ unitati perſonarum trinitatem non derogare prolixè probatur. 23. 24. 25.
Divinarum perſonarum diſtinctio & numerus per earum

proprie-

proprietates oſtenditur. 27. 28. 29.
Divinorum operum ſecreta in quo conſiſtant. 2.
Domicilium ut uvarum plenum videatur. 81.
in Domo ut res volantes appareant & virides. 82.
Domus ut videatur argentea & luminoſa. 81.
ut tota alba videatur. ibid.
ut viridis videatur. ibid.
ut tota ſerpentibus plena videatur. ibid.
Domum delutare. 525.
Dormire quis ut non poſſit. 748.
Draco volans. 558. 746.
de Duffo *Rege hiſtoria.* 48.
Dyſenteriæ cura. 151.

E.

EAu de Seleri. 682.
Ebeni conficiendi modus ut videatur naturale. 713.
Ebrietatem quid præpediat. 135.
ne quis ſentiat. 221.
Ebrii ut rurſus ſobrii fiant. ibid.
Ebur pingendi ratio. 741.
Ebur ut emolliatur & poliatur. 286.
& oſſa viridi colore ut tingenda. 708. 713.
Effectus cauſarum duplices. 35.
Effigies & Imagines ſolidæ & pulchræ. 710.
Effigies ſtylo deſcribendi modus. 739.
Effluvium urinæ ut curetur. 159.
Electuarium contra peſtem. 120.
ad phthiſin. 144.
Elephantiaſis ut dignoſcatur. 125.
remedium. 125. &c.
Elixir ad metalla tranſmutanda. 385. 386.
Elixir Stomachicum, Zuingeri. 689.
Ellychnium quod ardens non abſumitur. 62.
perpetuum. ibid.
Empyici curatio. 143.
Empyematis cura. 145.
Emulſio contra ardorem urinæ. Zvingeri. 685.
Ens veneris. 439.
Epiſtola ut clam aperienda. 570.
Epiſtolæ clauſæ, quæ clanculum aperiri non poſſint. 569. &c.
Equæ ut abortiant. 254.
Equi ut ceu mortui procident ac poſtea alacriores fiant. 247.
ne tranſeant. ibid.
ne morbis premantur. 250.
ut variis coloribus naſcantur. 246.
ut habeant parvum caput. ibid.
ut in furorem agantur. 247.
Equi ſi torminibus agitentur. 251.
ſi febricitent. 252.
ne curſu fatigentur. 245.
ſi tuſſiant. 248. 249.
ſi clavo lædantur. 247.

Equi ne à muſcis moleſtentur. 247.
Equorum herpes. 250.
albugo & ſanguinis profluvium. 251.
Equo ſi oculi inflammentur. ibid.
Equos graciles ſi pingueſcere vis. 252.
Equus ferox ut miteſcat. 245.
clamoſus. ibid.
obſtinatus. 246.
ſi anhelet. 250.
cùm difficulter urinam emittet. 249.
ſi ſanguinem mingat. ibid.
ſi pulmone laboret. ibid.
ſi ſit ſcabioſus. 248.
ſi cæcus fiat. ibid.
Equus ut fiat gradarius. 245.
Erucæ ut perdantur. 281. 282.
Eſca ad columbas alliciendas. 306.
Eſcharoticum ſine dolore. 178.
Eſcharoticum cutim celerrimè perforans. 179.
Eſſentia ambræ liquida D. Henr. Scretæ. 687.
Excidii civitatum ſigna. 670.
Exorciſmi ut adhibendi. 617.

F.

FAba ut incolumis ſervetur. 379.
ad coctiuram commoda. ibid.
Faces quæ non extinguantur pluvioſis temporibus. 57.
quæ ventis non extinguuntur. 56.
Facies ut decora fiat. 196.
ut emaculetur. 197.
ut roſeum colorem adipiſcatur. 194.
ut purpurea fiat. 195.
Facies inſignis palloris & maciei ut appareat. 79.
ut mangonizetur. 194.
fucata ut palleſcat. 197.
Faciei tubercula ut deleantur. 199.
puſtulæ. 200.
Fames ut facilè perferatur. 206.
Familiæ voce & lingua faſcinantes. 100.
Farina ut incolumis ſervetur. 379. *ut perennet.* 205.
Farinæ mirabilis cribratio. 670.
Faſcinum duplex. 100. 101. 102.
pernicioſum. 100. 101.
Faſcini curatio. 105.
Faſcino pueri ne invicem perdantur. 109.
Faſcinatores qui. 100.
Fauſti *magni factum.* 49. 50.
Febris ut excitetur. 118.
tertianæ & quartanæ curatio. 116. 117.
putridæ cura. 118.
Febres variæ ut ſanentur. 117.
puerorum. ibid.
ut curentur. 113.
Feles ut aviariis arceantur. 273.
ne columbas infeſtent. 307.
ut ſine maſculo concipiant. 273.
Feras ut arceas. 266.
ab eis ut ſis tutus. ibid.
Ferrea inſtrumenta ab ærugine vindicare. 613. 704.
Ferro ut rubigo eximatur. 446.

Ferrum ut molleſcat. 445.
ut cæletur. 446.
in chalybem mutare. 447.
durum facere. ibid.
inaurare. 443.
quomodo auro foliato obduci poſſit. 444.
& argentum æris colore tingere. 445.
ut purgetur. 446.
in æs mutare. ibid.
ut dureſcat & molle rurſus fiat. 449.
Fertilitatis prædictio. 378.
Ficulneos ramos virides ſervare. 692.
Ficus ne fructus amittat. 337.
adverſus ejus vermes. ibid.
ut groſſos teneat fructus. 338.
ut virides ſerventur. 370.
ut inſcriptæ fiant. 369.
præcoces. ibid.
purgatoriæ. ibid.
albæ & nigræ ut fiant. 379.
Filias pulchras ut pariant mulieres. 226.
Figuras protuberantes in ligno producere. 736.
Filum ne igne aduratur. 69.
Finem quod non conſequitur fruſtra eſt. 13.
Flammam eminùs projicere. 70.
Flores & fructus temporarii. 350.
ut vernos & æſtivos ad Brumam deferas. ibid.
varios exprimere. 738.
Flumina ut quis tutè tranare poſſit. 86.
Fluxus hepatici cura. 151.
Foetor alarum ut curetur. 205.
Foetus ut retineatur remed. 163.
Foetus diſcolores & pulchri ut gignantur. 227.
Formæ marmoreæ variæ. 522.
Formicæ ut interimendæ. 274.
ut abigendæ. ibid.
ut expellendæ. 273.
ne plantas contingant. 274.
ne arbores aſcendant. 275.
ne mellarium vas contingant. 274.
ut locum ſuum amittant. 275.
Fortuna totius anni unde colligatur. 52. 53.
Frondes virides effingere omnis generis. 708.
Fructus ut præcoces habeas. 355.
ſerotinos. ibid.
ſuaviores. ibid.
ut vim purgandi nanciſcantur. 356.
ex diverſis compoſitus. 357.
ut exos & enucleatus evadat. 358.
creſcentes ut aliam formam ſumant. 357.
ut augeantur ut formam quam voles aſſequantur. 356.
Fuci ex alveario ut tollendi. 316.
mulierum ut deprehendantur. 197.
Fulmen lauro impeditur. 556.
Fulmina, adverſus ea quid 531.
Funambulorum ratio. 744.
ad Fundendi artem quæ neceſſaria requirantur. 391.

Furtum cognoſcere. 751.
Furem ut quis agnoſcat. 763.
Furfures à facie abſtergere. 199.

G.

Gallinæ cerebrum confortat cerebrum. 96.
Gallus ne calcet gallinam. 301.
ne vociferet. ibid.
Gallina ne ſit gravedinoſa. 299.
ne abortiat. 300.
ne à fele lædatur. ibid.
Gallinæ oculus ut curetur. 300.
ut magna pariant ova. 299.
pediculi. 300.
ne comedant ova. 299.
tenebris offuſis ut fiant vertiginoſæ. 300.
Gallinarum profluvium alvi. ibid.
gravedo. ibid.
Gallinæ ut pingueſcant. 298.
ut ſine ſtrepitu capiantur. 299.
à pulicibus defendantur. ib.
ut à vulpibus ſint ſecuræ. ibid.
Globuli contra famem. 205.
Gluten ad vaſa lapidea, terrea, & ad vitra. 477. &c.
pro lapidibus. 522.
Gemmæ ut niteſcant. 500.
duplices ut conficiantur. 499.
fictitiæ. ibid.
quâ arte cælentur. 517.
Gemmarum ſectio. 500.
ſculptura. ibid.
vires & imagines. 501. 502.
fraudes. 497.
Genarum livor ut abſtergatur. 200.
Genii qui. 43.
Genus humanum cœpiſſe. 5.
Genus humanum principium habuiſſe, & finem habiturum. ibid.
Glacies ardens. 86.
Glauci ut capiantur. 293.
Goetia & Necromantia. 592.
Gonorrhœæ curatio. 159.
Graculos in fugam agere. 310.
Grandinem ut abigere oportet. 531. 533. 556.
Grytis fluviatilis ut capiatur. 293.

H.

HEbeni conficiendi modus. 381. 713.
Hectica ne quis corripiatur. 123.
Helvetius magus qui nunc vivit quos curet morbos. 51.
Herbæ ne à pulicibus corrodantur. 346.
adverſus earum Erucas. ib.
Hæmorrhoides & earum dolor ut curetur. 160.
Hernioſo ut crepitent teſticuli. 756.
Hidropis remedia. 135.
Hippomanes qui. 98.
Hirci ne fugitivi fiant. 263.
Hirundinum pulli ut albeſcant. 308.
Hirundinis cor ad amorem conciliandum valet. 99.
Hiſtoria antiqua de argento in aurum verſo. 428.
Homo perfectus. 4.
cur non æternus à Deo creatus. 4. 7.

Homo cùm moriatur æternus esse non potest. 3. 4.
Homo cur ex homine propagetur. 13. 14.
ut semper sit Eunuchus. 161.
ut in somno loquatur. 748.
ut dormire non possit. 748.
duabus constat partibus. 3.
Homines cur à Deo facti. 7.
miraculoso modo facti. 5.6.
ut pingueſcant. 186.
ut angeli videantur. 80.
ut nigri videantur. ibid.
cùm moriantur cœpisse necesse est. 4.
ut mortui videantur. 747. 80.
ne igne comburantur. 69.
pedere facere. 756.
ut caninam faciem habere videantur. 78.
ut tria capita habere videantur. ibid.
ut videantur habere quorumlibet animalium capita. 78.
Homines ut videantur variâ formâ. 80.
non sine corporibus in æternum sunt victuri. 13.
ut equina vel asinina capita habere videantur. 77. 78.
ut sine capitibus videantur. ibid. & 742.
ut elephantes videantur. 79.
Hominum causa efficiens. 3.
finis extra hominem. 7. 13.
felicitas. 9.
omnium unus finis. 7. 8.
multi fines. 7. 8. 9.
Hordeum quomodo incolume servetur. 379.
Hora diei quomodo habeatur. 638.
Horologia absque sune. 693.
Hortus ut viridis & floridus fiat. 527.
Horti ut seminandi. 529.
Erucas quid perdat. 533.
blattas hortenses, pulices & grandinem irruentem. ibid.
instantem pruinam & rubiginem. 532.
Hortensia mala quid abigat. 531.
Hortorum stercoratio. 529.
Hostes ne quem lædant. 660.
Humani generis ortus. 5.
ejusdem propagatio an principium habuerit. 4.
eadem tandem cessatura est. 12.
Hyacinthus ut arte fiat. 511.
Hydrargyrum ut evolet. 304.
Hydromel Guilh. Arragosii. 688.
Hydrophobiæ curatio. 135.
Hydropis receptum. 135. 152.

I.

JAsmini flores ut flavescant. 352.
Ictericiæ cura. 151.
Ictus venenati ut curentur. 183.
Idiomata quid apud Theologos. 26.
Ignem ex pluviis construere. 84.
trahentia. 60.
sub aqua conspicere. 65.
ex aqua accendere. 61. 74.

Ignem in humido excitare. 61.
per cryſtallum accendi. 67.
ex poculo pleno aquæ conſpicere. 65.
Ignem manu tractare. 67.
Igne ut quis non comburatur. 58. 68. 69.
ne quid comburatur. *ibid.*
Ignes artificioſi qui aqua non extinguantur. 56. 57.
Ignis eſſentiam in motu rapidiſſimo particularum ſubtilium ad ſe invicem allidentium conſiſtere probatur. 55.
volans. 66.
qui per ſolem accenditur. 57.
inextinguibilis. 64.
arma comburens, qui aquâ non reſtinguitur. 59. 60.
pabulum ſub aqua ardens. 58. 59.
valentiſſimus. 59. 60.
ex carabe. 67.
Græcus. 70.
ut manu tractetur. 67.
qui oleo extinguitur & aquâ accenditur. 69.
Ignis fomes ut fiat. 60.
eſca ad excitandum ignem. *ibid.*
qui ſputo accenditur. 61.
ferrum detrahens. 62. 63.
Ignitus aliquis totus ut videatur. 68.
Imagines ſolidæ & pulchræ. 710.
Impotentium cura. 230.
Inaurare quævis metalla. 729.
Inedia quomodo perferenda. 205.
Infans ne ſternutet. 141.
Infantulorum Syrialis remedia. 141.
Infinitum unum non plura dari poſſe. 18.
Infuſum Emmenagogum Zvingeri. 687.
Inſecta ut fugentur omnia 317.
Inſitio quæ fit per inoculationem. 326.
Inſomnia clara & jucunda inducere. 233.
mala ut arceantur. 234. 235.
Inſtrumentum quo trahens trahitur. 649.
quo quisque ſeipſum trahat. 650.
perennis motûs. 645.
Inſtrumentum minimo igne veru circumagens. 698.
Inſtrumenta quævis ferrea ab ærugine vindicare. 613. 704.
Inſtrumentum mirabile ad cribrandam farinam. 670.
Inſtrumenta muſica ut vento pulſentur. 653.
Jocus hiſtrionicus. 755.
necromanticus. 755.
Jovis duodecennium. 655.
Iris ut videri poſſit. 557.
Iſchiadici doloris curatio. 168.
Iter facientes ne fatigentur. 236.
Jumentum ſi Dyſenteria laboret. 241.
ſi ſanguinem vomat aut minxerit. *ibid.*
ſi patiatur præter naturam, quid agendum. 622. *&c.*
ut appetat cibum avidius. 239.
ut urinam reddat. 240.
Jumentorum pili ut renaſcantur.

tur. 244.
Jumentorum pili ut albi tingantur. *ibid.*
ut nigri albeſcant. *ibid.*
Jumentorum ſtruma. 243.
podagra. 242.
Jupiter quando ad locum ſ. domum ſuam redit. 52.

K.

Kitra quid dicatur. 59.

L.

LAcca coccinea ut paretur. 712.
paranda è verzino. 718.
Lactuca ſeminibus multis conſita. 348.
ut lata fiat, candida & ſpecioſa. 347.
ſeſſilis ſ. pomata ſuavis ſapore & forma multiplici. *ibid.*
Lamias ope dæmonum tempeſtates ciere, mortuos per faſcinum excitare &c. 47.
Lamiarum maleficio affectorum cura. 609.
Lampas mirabilis. 58.
homines fœdos oſtendens. 80.
Lampas quæ præſentium nullos oſtendit. *ibid.*
qua aſtantes ſe videant ut imagines & lapides. 82.
ranas ſilere faciens. 75. 76.
Lampada ut quis accendens reformidet. 76.
Lampadum experientiæ multæ dantur. 83.
Laneos pannos purgare. 539.
Lapis quo ignis in humido excitetur. 65. 66. 520.
panno fricatus qui accendatur. 62.
qui ſaliva accenditur. 521.
qui ſputo madefactus ignem excitat. 520.
à Buſone ut eliciatur. 521.
Ejus proba. *ibid.*
veſicæ ut curetur. 153. 158.
Lapides pretioſi ut conficiantur. 498.
Lapides & gemmæ quibus imaginibus inſigniantur. 503.
duri ut pugno frangantur. 519.
quoſdam futura prænoſcere. 636.
Lapidibus inſcribendis electiones neceſſariæ. 504.
Lapis Bononienſis in tenebris lucens. 95.
Latrunculorum ludus. 757.
Lateres cocti cur graviores. 91.
Legumina ut facilè coquantur. 380.
Lentes ut meliores & majores naſcantur. 379.
Lepræ antidotus. 125.
cura. 125. 126.
Leproſum reddere. 126.
Lepores quomodo impinguandi. 268.
ut congregentur. *ibid.*
Leporum ætas quomodo ſciatur. 267.
Libri quomodo auro obduci queant. 726. 577.
Librarum fucus. 647.
Lichnium mirabile, quo arcta imminente manu peru-

ratur,

ratur, laxa verò extinguatur. 83.
quod per oleum extinguitur per aquam invaleſcit. ibid.
Licinium cùm ardet domum ſerpentibus plenum oſtendit. 81.
Ligatorum ſ. Impotentium cura. 230.
Ligna quæ attrita ignem concipiant. 67.
ne igne ardeant. 380.
variè tingendi ratio. 380. 713.
auro obducere. 724.
Lilia ut fiant purpurea. 354.
ut fiant rubra. 355.
Limaces ne olera comedant. 281.
Linei panni quomodo à maculis atramenti vel vini liberandi. 538.
Liquor ad formandas lineas. 735.
aureus ad inauranda coria. 736.
candidus ad ſcribendum. 575. 731.
ad ſcribendum & vaſa ferrea, lignea, oſſea auro obducenda. 709.
Liquor aureus ſine auro. 709.
nitri fixi. 681.
apii ſelini. 682.
ſtypticus Doley. 687.
viridis ad ſcribendum & pingendum. 725. 575.
aureus facilis. 729.
Literæ aureæ. 574.
argenteæ. ibid.
ſine argento. 724.
albæ ut citò nigreſcant. 571.
virides & albæ ut ſcribantur. 724. 574.
in nigro ut candicent. 565.
albæ ut legi poſſint. 566. 570.
quæ aqua viſibiles reddantur. 571.
igne vel aquâ conſpicuæ. 566.
deliteſcentes & conſpicuæ ut legantur. ibid.
occultæ ne legi poſſint. 563.
Literæ quæ non niſi noctu legantur. 567.
latentes in charta, quæ cognoſcuntur. ibid.
ne comburi poſſint. 570.
certis diebus deciduæ. 675.
in tenebris conſpicuæ. 563.
ut lapidibus inſcribantur. 568.
indelebiles in corporibus humanis. 565.
aureæ ſine auro faciendæ. 724.
quomodo delentur. 568.
à muribus ut tutæ præſtentur. 570.
Literas lumine interpoſito legere. 565.
Lixivium ad tingendos capillos. 190.
Locorum longitudo & latitudo ut cognoſcatur. 642. 644.
Locuſtæ ut capiantur. 293.
quid adverſetur. 320.
Locutio ut occultetur. 559.
per ſibilum. 360.
per faces. ibid.
Lotii difficultas ut auferatur. 158.
Lucerna totum annum durans. 706.

Lucerna

Lucerna mirabilis. 705.
Lucernæ ſepulchrales inextinguibiles. 64. 65.
Lucibilia noctu multa variaque dantur. 71.
Ludi adverſus convivas. 749. & ſeq.
Ludicrum de carnibus. 758.
de canibus. 742.
de pane. 743.
de piſis in olla coquendis. 756.
Ludicra. 750. & ſeq.
Lumen quod pedere facit. 75.
quo aſtra vagari videantur. 82.
Lunæ augmentum. 435.
Lunæ tinctura optima. 436.
Lunam ad dealbandam. ibid.
Lunæ coloratio. 431. 432.
Lupi ut arceantur. 268.
ne beſtiis noceant. ibid.
ut capiantur. ibid.
Lupini ut dulceſcant. 380.
Luti ſapientiæ quis uſus. 91.
illud ut conficiatur. 90. 91.
Lyra pulſata alteram quieſcentem movet. 652.
ſomnum concilians. ibid.
ut vento pulſetur. 653.

M.

Machina bambilica. 542. &c.
Heronis. 546.
Cteſibica. 541. 542.
Auguſtana. 549.
Maculas atramenti delere. 734.
Maculæ veſtium ut deleantur. 534.
Maculæ panni. 537.
Maculas ex panno purpureo ſine coloris detrimento delere. 535.
ex quovis ſerico tollere. 534.
olei & pinguedinis delere. 538.
Magia in genere. 588.
naturalis. 589. &c.
mathematica. 590.
venefica. 591. 592.
ſeptupliciter addiſcitur 586.
Magiſterium auratum perlatum Cretæ. 418.
Magorum & Lamiarum opera. 46. 47.
opera non omnia eſſe illuſiones, ut beſtias vel homines necare. 47.
Mala ut diu conſerventur. 359.
ut ſervanda. 360.
ut fiant dulcia. 361.
— *ne putreſcant.* ibid.
— *ne ſint caduca.* ibid.
ut fiant rubra. ibid.
Mala Cotonea ut fiant effigiata. 362.
ut conſerventur. ibid.
Citria ut effigiata naſcantur. 368.
ut fiant rubra. 369.
ut conſervanda. ibid.
Mala caduca. 333.
Malagma ad nervos equorum. 253.
Maleficium ut ſolvatur. 97. 104.
Malum componere ex perſico & nuciperſico. 335.
punicum ut ſine granis facias.

cias. 367.
Malus ut multa poma ferat. 333.
Mammæ mulierum ut fiant ſimiles virginum mammis. 203.
Mamillæ ne creſcant. *ibid.*
Mamillarum incrementum. *ibid.*
Manicæ metallicæ quæ dicantur, quid iis efficiatur. 70.
Mandragoram fingere. 346.
Manus ut nigreſcant. 205.
ut dealbentur. 204.
Manuum tremor. 165.
Margaritas confractas in unum reſtituere. 406. 407.
illæ ut diſſolvantur. 408.
ut conficiantur. 505. 506.
Marmori aut ligno ut aurum inducendum. 724.
Marmora & alabaſtra tingere. 737.
Martem in argentum convertere. 444.
Martis tincturæ variæ. 448.
Melanuri piſces. 293.
Melancholiæ remedia. 135.
Mel an ſit adulteratum. 316.
Mellis vendemiator ne ab apibus lædatur. *ibid.*
Melones ut dulces & odoratos reddas. 375.
Membra reſoluta ut curentur. 180.
Memoria ut confirmetur. 96.
Memoria ut augeatur. 96. 97. 131.
Memoriæ quæ conferant. 130.
Menſæ quæ duplicantur. 700.
Menſtrua alba ut curentur. 160.
Mercurii coagulatio. 396.
ſublimati modus quo utuntur alchimiſtæ & aurifabri. 402.
Mercurii oleum corpora ſolvens & in lunam mutans. 399.
purgatio. 398.
coagulatio lutea auri Rhenani colorem inducens. 397.
ut ſub malleo ductilis fiat & elaborari poſſit. 401.
ut coaguletur & figatur. 400.
ut malleabilis fiat. 399.
Meſpili poma ne labantur. 336.
Meſpilus ut curanda. *ibid.*
Metallo friabilitatem demere. 383.
Metalla in corpus reducere. *ibid.*
in calcem & aquam tranſmutare. *ibid.*
ut inauranda. 385.
Metallum nobilius in cutem trahere. 384.
Meteora è quibus oriantur. 84.
Metus & Phantaſmatis præcautio. 135.
Minarum ſtruendarum ratio. 664.
Mingentes in lectum ut curentur. 159.
Mira videre in vaſe urinali & aliis. 751.
Mixtura odorata Iſabellæ Corteſæ. 200.
Molendini venti ſtructura. 673.
Monſtra ut gignantur. 228.

Morbi

Morbi caduci remedia. 131.
gallici curatio. 128.
Morborum diviſio. 113.
univerſalium internorum curatio. *ibid.*
Morus ut fiat feracior. 335.
Mora ut fiant alba. 363.
ut conſervanda. 364.
Morſus rabidi canis ut curetur. 181. 182.
Mors quibus minus moleſta. 108.
Mortis prædictio. 124.
vel ſalutis præſagium. *ibid.*
genera minus moleſta. 109.
Mortem ſotu allicere. 109. 110.
Motûs perennis inſtrumentum. 645.
Mugiles & capitones ut capiantur. 291. 292.
Mulier ut à coitu abhorreat. 230.
ut virum ſuum admittat. 224.
& eo delectetur. *ibid.*
ut concipiat. 162.
ut citò pariat ſine dolore. 163.
ne cum aliquo adulterare poſſit. 231.
ut alienum virum non admittat. *ibid.*
quot ſit habitura filios. 162.
an ſit caſta. 232.
an ſit corrupta. 764.
an ſit adultera. 761.
qua de cauſa ſit maculata cognoſcendi ratio. 227.
Mulier an gravida ſit. 162.
ut in ſomno patrata narret facinora. 749.
ut omnia narret quæ fecit 758. 752.
Mulieres ut pulchros pariant filios. 223.
ut corruptæ ab incorruptis dignoſci non poſſint. 232.
valdè lætari. 83.
ut in menſa nihil edant. 748.
Mulieribus lotium compeſcere. 748.
Mulli ſcarique ut capiantur. 291.
Mundus unus tantum & finitus. 34. 35.
eſt ab æterno. *ibid.*
non eſt ab æterno. *ibid.* 36. 37.
Mundus eſt perfectus. 36.
ejus finis. *ibid.*
quia hominis causâ eſt, homo verò non eſt ab æterno, etiam talis non eſt. 37. 38.
qualis effectus. 35.
Munitio urbium. 666.
Muræna ut capiantur. 291.
Muræna eodem tempore frixa toſtaque. 679.
ad Mures domeſticos & agreſtes auxilia. 271.
ut necentur. 270.
ut fugiant. *ibid.*
ut congregentur. *ibid.*
ut excæcentur. 270.
ne literas rodant. 271.
ut à cinaræ radicibus arceantur. *ibid.*
Mus araneus ne quem mordeat. *ibid.*
Muſcæ & apes ut ſubmerſæ reviviſcant. 320.
ut expellantur ex ædibus. 318.
ne boves infeſtent ne equos & mulos moleſtent. *ibid.*

Muſcæ ut congregentur. 318.
ut arceantur. 317.
Muſtelæ ut cicures fiant. 273.
ut necandæ. *ibid.*
ne noceant. *ibid.*
ut congregandæ. *ibid.*
Muſtum ne bulliat. 210.
Myrteas baccas conſervare virides. 692.

N.

NAphta quid ſit. 60. & *ſeq.* & *petroleum idem.* *ibid.*
Naphtam ignem ad ſe trahere. *ibid.*
Narium fœtor. 137.
obſtructio. *ibid.*
Naſſæ piſcium ut componendæ. 290.
Natura & hypoſtaſis differunt numeris. 25. 28.
non eſt prima rerum cauſa. 32.
in genere quid ſit. 33.
univerſalis particularis. *ib.* 34.
ejus deſcriptio à Veteribus data nulla eſt. 33.
Nauſea maritima. 147.
Navis dirigendæ geometrica ratio. 643.
ſubmerſa qua arte recuperetur integra. 87. &c.
quot milliaria exegerit quo pacto deprehendamus. 645.
Navicula ſua ſponte mobilis & remigii author. 704.
Necromantia. 755.
Nervi reſoluti ut curentur. 80.
Nephriticorum cruciatuum curatio. 149.
Nigra ut videantur omnia. 78.
Noctu quæ luceant. 71. & *ſeq.*
Nolarum harmonia. 654.
Nux ne ligneſum fructum progignat. 365.
Nuciferæ arbori veteri ut ſuccurratur. 337.
Nuces ut abſque putaminibus gignantur. 365. 366.
Numerum aliquem indicare quem alius conceperit. 640.
Numeri quid in natura poſſint in Febribus. 117. & *ſeq.*
Numiſmata ut conflentur. 388. 392. &c.

O.

OBlivio & cruditates ſtomachi ſenibus contingentes, quomodo curentur. 129.
Obſeſſis quomodo ſuccurrendum. 609. &c.
Obſeſſis quomodo res abſque epiſtolis ſignificari poſſint. 561. &c.
Occaſus ſtellarum. 655.
Occultari res quomodo poſſint in ſolidis corporibus. 523.
Oculi quibus bina pupilla ineſt. 106.
Oculorum lux quomodo hebetetur. 54. & *ſeq.*
vitia multivaria curantur. 136.
unguis quomodo in hominibus & equis curetur. 248.
color ut permutetur. 200.
Oddo pirata magus. 46.

ab Odo-

ab Odoribus mortem adferentibus ut tutus fueris. 109.
Olera diſperdenda. 347.
Olivæ virides ut celerrimè condiantur. 692.
ut dulceſcant. 360.
Oleum ad vulnera. 24. 171.
ad rupturam. 172.
ad ulcera maligna. 173.
ſulphuris. 465.
balſamicum vulneribus inſtillandum. 173.
ſolare. 422.
cutim ſplendidam reddens. 195.
arſenici. 471.
hydrargyri. 407.
ſtibii. 463.
ſuo fœtore hominem necans. 109.
ad ſpaſmum. 170.
ut fructum ferat. 338.
Olla ut nunquam bulliat. 680.
Ophthalmiæ remedia. 135.
Olei ſolis multiplicatio ad tincturam Philoſ. 423.
augmentum perpetuum. ib.
Ophthalmicum unguentum vel Balſamum Zvingeri 136.
Ophthalmicum collyrium contra paſſiones oculorum omnis generis. ibid.
Ophthalmica aqua Zvingeri. 137.
Orbis ſitum inveſtigare. 642.
Ortus ſtellarum. 655.
Oſſa viridi colore tingenda. 712. 285.
ut ſmaragdus videantur. 285.
rubro vel aliis coloribus tingere. ibid. & 717.
ut molliantur. 285.
dealbentur. ibid.
coloribus tingere. 286.
Oves quando tondendæ. 261.
ut aliquem ſequantur. 260.
cùm ſcabie laborant. 262.
ne ſcabræ fiant. 260.
Oves ut à cibo deterreantur. ibid.
ne peſte laborent. 261.
Ovium fœtus ut color cognoſci poſſit. 260.
peſtilentiæ medela. 261. 262.
Ova ut mares aut fœminas orituras dignoſcere poſſimus
qualia debent eſſe. 301.
ut ſerventur. 303.
plena an vacua ſint dignoſcendi modus. 304.
ne comedant gallinæ. 299.
ut molleſcant & ampullis includantur. 304.
ut inſcribantur. ibid.
Ovorum excubatio citra gallinam. 301. 304.
alba conſervanda ad diverſa opera. 726.
Ovum ut hominis caput magnitudine ſuperet. 305.
ut in aëre aſcendat. 305. 757.

P.

PAcifica ut cui contingant. 659.
Pagri & tynni ut capiantur. 292.
Palumbus recens quomodo farciendus. 308.
Panis ut incorruptus maneat. 675.

Porci ut impinguentur. 263.
marini ut capiantur. 293.
Porrorum odor. 346.
Porrum ut ad prodigium uſque excreſcat. 345.
Portæ ut à domeſticis ſolis aperiri poſſint. 697.
Potio pro vulneribus. 175.
Praſius ut fiat. 514.
Præſagia. 124.
Præſagia longioris tempeſtatis. 553.
victoriæ. 669.
tempeſtatis ex marinæ aquæ concoctu. 553.
Præſtigia. 600.
Prognoſticon de ubertate & bonitate vini. 344.
fertilitatis & ſterilitatis. 552.
Prognoſtica ſereni aëris. 551.
tempeſtuoſi. 552.
Pruna ut ſine oſſiculis naſcantur. 358.
Prunorum languidarum remedia. 334.
Prunus ne à vermibus infeſtetur. ibid.
Pſilotrum quo perlitus locus glabreſcit illicò. 192.
Pudendorum pediculi ut amoveantur. 180. 280.
Pueri ne pubeſcant. 193.
Puerorum morbis peſtiferis ut ſuccurratur. 120.
Puella Indica venenis nutrita. 102. 103.
Pulchritudo corporis in quibus conſiſtat. 187. *& ſeq.*
Pulices hortenſes ut necentur. 280.
ut perimendi. 278. 279.
ut in unum locum conveniant. ibid.
ut depellendi. 280.
Pullus ut celeriter coquatur. 678.
ut quaternis pedibus & alis naſcatur. 302.
ut jugulatus ſanguinem non emittat. ibid.
ut in menſa coctus ſaltet. 303.
ut ſine gallinæ fotu excreſcat. 301.
Pulvis dentifricius. 202.
dentifricius Zvingeri. 695.
abſtergens atramenti maculas. 732. 573.
pro albedine dentium. 201.
Pulvis contra venenum. 123.
contra ſectionem nervorum. 178.
pro botio vel ſtruma Zvingeri. 141.
antiphthiſicus Zvingeri. 690. 245.
quadrigarius. 253.
cachecticus Zvingeri. 451.
pyrius in bellicis inſtrumentis mira operans. 665.
pyrius abſque ſtrepitu ſphæram ejiciens. 665.
pyrius optimus. 666.
ſine ſtrepitu. ibid.
ignitus in ovo. 65.
Pulvis citò ac vehementer ardens. 665.
qui à pluviis accendatur. 84.
ad unguem oculorum in equis & hominibus. 248.
Punici mali acinos augere 367.
ut in miram magnitudinem excreſcant. ibid.

Punica mala ut rubicundiora fiant. ibid.
ut ſciatur quot grana habeant. ibid.
ut in arbore ſerventur viridia. 368.
Punicorum acini ut candidi fiant. ibid.
ad hybernos uſus ſervandorum ratio. ibid.
Punica mala ut dulceſcant. 367.
Punicorum multitudo ut parari poteſt. 368.
Purpurinæ faciendæ modus. 717.
Purgans unguentum. 164.
Putei in locis maritimis ut aquas dulces dent. 540.
Pyrapyron Zvingeri. 686.
Pyropus ut fingatur. 510.
Pyra ut fiant rubicunda & effigiata. 361.
ut legenda & cuſtodienda. ibid.
Pyri ſteriles. 333.
Pyrus ne lapidoſos fructus pariat. ibid.
ut dulces & copioſos fructus pariat. ibid.
ægrotans in flore aut vermibus infeſtata quomodo curetur. 334.

Q.

Quartanæ curatio. 113. 114. &c.
Quis ut in ſomno loquatur. 742.
ut dormire nequeat. 749.

R.

Racemus ut diverſi coloris habeat acinos. 340.
Ranæ, qnomodo cantu ſuo privari poſſint. 75. 76.
Rapæ ut maximæ fiant. 345.
Raphani ut majores fiant. ib.
dulces. ibid.
ut ab agreſtibus pulicibus liberentur. ibid.
Rhabarbarum ut diu conſervetur. 692.
Rami ficulnei & inertes ut virides ſerventur. ibid.
Ranæ ut congregentur. 294.
Ranarum clamor ut caſtigetur. ibid.
Regulus antimonii martialis ſtellatus. 450.
ut ſe ipſum in veru torreat. 678.
Res in tenebris conſpicere cum ſuis coloribus Vid. lam. Obſ. ibid.
una multiplex videri. 480.
Res virides ut volare videantur. 82.
Rei occultandæ modus in ſolidis corporibus. 523.
Rem abſconditam indicare alicui. 641.
Remedium contra ſitim ex calore. 223.
ad vermes. 149. 151.
ad coſſos, vermes, & tineas animalium. ibid.
adverſus omnes animalium morbos. 240.
ad quævis apoſtemata. 184.
ad ligatos ſolvendos. 229.
pro ſcabie. 127.

Remedium ad cancrum. 128.
augendæ Veneris. 225.
ad ſerpiginem. 127.
pro anheloſis. 145.
ad graveolentes alarum hircos. 205.
equorum dyſuriam. 249.
ad gallorum gravedinem. 300.
ad gallinarum profluvium alvi. *ibid.*
ad pediculos. *ibid.*
ad equorum herpetem. 250.
ad morbos equorum. 251.
ad diverſos ovium morbos. 261. 262.
contra peſtem. 118. 119. *&c.*
ad cruditates ſenum & oblivionem. 129.
ad Culices. 319.
ad tempeſtatem, rubig. & pruinam. 532.
Renes ut expurgentur. 158.
Renum doloris cura. *ibid.*
Rigationis tempus & modus. 531.
Robur vitale ut augeatur. 112.
Roſa ut odoratior fiat. 351.
ut præcox fiat. *ibid.*
ut omnibus menſibus comparetur. *ibid.*
ut recentes & virides ſerventur. *ibid.*
ut alba, viridis, lutea, cærulea, flava fiat. 352.
ut Januario fructum ferat. *ibid.*
ut tempore Malorum. *ibid.*
quomodo brevi tempore colore vario tingatur. 353.
Roſeus color parandus. *ibid.*
Roſæ quibus maxima qqua hauritur. 651.
Roſæ & caryophylli coloribus ut inſigniantur. 353.
Rubigo ut ferro eximatur. 446.
Rubinus ut fingatur. 509.
ut conficiatur. 510.
Rubor quomodo rebus inducatur. 708.
faciei ut concilietur, & minius diminuatur. 194.
Rubrica ſcriptoria 573.
Rubricæ ſcriptoriæ ratio. 719.
Ruptura ut curetur. 180.

S.

SAcra ſecreta. 3.
Sacculus contra peſtem. 119.
Sæpiæ. 293.
Sal armoniacum ut ſublimetur. 474.
vel ſaccharum ſaturni. 452.
volatile oleoſum D. Henr.
Scretæ. 687.
alcali. 474.
Salſæ. 250.
Saltatione ut homines torqueantur. 235.
Sanguis è vulneribus ut cohibeatur. 178.
Sanguis ut ſiſtatur. 137.
Saphyrum in adamantem convertere. 515. 516.
Saphyrus ut fiat. 515.
Sardonix ut albus fiat. 516.
Sata ne à pecore lædantur. 377.
Satanam profligandi methodus certiſſima. 602.
Saturnus 40. *anno ad locum ſuum redit.* 45.
& Jupiter ut tranſmutentur. 455.

Saxa ut frangenda. 520.
Scabiei lepræ ſimillimæ curatio. 127.
Scalarum muralium ratio. 660.
Scapæ. 293.
Schedulæ tres non tactæ ut ſitum permutent. 757.
Schema medietatis pontis. 668.
Scorpiones ut innocenter tractes. 276.
Scorpiones ut domicilia non obrepant. ibid.
ut fugentur & interimantur. ibid.
Scorpionum ictibus ut quis medeatur. ibid.
ictus curatio. 181.
Scribendi modus in ovo. 565.
Scrophulæ. 184.
Scytale laconica. 570.
Secundæ ut moveantur. 164.
Secretum pro hortis ſiticuloſis. 528.
pulcherrimum ad ligna variè tingenda. 380.
Semina ut in terra ſervanda abſque noxa. 530.
à pruina, frigore, & ardore defendenda. 376.
ut in terra ſerventur ſata & incolumia. ibid.
ne ab avibus depopulentur. 377.
ut ab omni corroſione liberentur. ibid.
Seminis maſculini augendi ſecretum. 691.
Sepis vivæ exſtructio. 527.
Sera mirabilis. 696.
quæ quocunque nomine claudi poteſt. 694.
Sericum tingere colore coccineo ſ. chermeſino. 720.
Sericum carmeſinum quomodo ab omnibus maculis liberetur. 536.
Serpentes ſtupefacere. 285.
ut tractare ſine periculo poſſis. ibid.
Serpentum ictus. 285.
Serpigo faciei &c. quomodo tollatur. 127.
Setæ ſuillæ quibus veſtes purgantur tingendæ. 717.
Sideratum membrum quomodo cognoſcendum. 177.
Silices fluviatiles. 522.
Sinapi bonum. 680.
Siſa aurearum bracteolarum. 630.
Sitis ex calore quomodo tollenda. 223.
Situla aquâ plena quomodo ſuſtineatur. 760.
Smaltum ut fiat. 518.
Smegma ad omnes maculas delendas. 534. &c.
ad maculas holoſerici. 537.
mulierum. 196.
Smaragdus quomodo fingatur. 513.
Smaragdi & alii pretioſi lapides ut fiant. ibid.
Sol cur ſit corpus ſphæricum. 51.
Sol eſt ignis. ibid.
helioſcopio viſus quomodo apparuerit. ibid.
Solem facere. 409.
ad multiplicandum. ibid.
Solis & lunæ proprietates. 50.
quæ ſit materia. 51.
effectus ſub zona torrida. ib.

Solis ecclipſis cur ab occaſu, Lunæ verò ab ortu incipiat. 52.
ſolutio, ſublimatio & ejus congelatio. 422.
oleum. ibid.
Somnia tumultuoſa ſuffitu edere. 235. 234.
grata excitare. ibid.
Somnifera Pharmaca. 627.
Somno ut mirabilia videas. 232.
Somno ut omnia revelentur 75.
Somnus ut inducatur. 233.
ut concilietur. 231. &c.
Spadiceus color conficiendus. 629.
Species non eſt æterna cujus individua æterna non ſint. 4.
Spectra in nubibus. 754.
Spectrum artificioſum. 751.
Specificum ſtomachicum Poterii. 451.
Speculi compoſitio. 479.
Specula quæ juniores homines efficiunt. 480.
Specula uſtoria. 490.
ut conflentur. 494.
comburentia. 72. 73. 74.
à menſtruatis deturpata. 101.
Speculi concavi imaginationes. 489.
Speculis bracteola ut inducatur. 493.
planis ut res videatur. 480.
Speculum excavatum ut idolum oſtendat. 492.
multividum conſtituere. 582.
ubi unius rei plures apparent imagines. 484.
Speculum in quo imaginem in aëre volitantem aſpicias. 487.
variarum imaginum. 491.
in quo imaginem venientem videas & aliam recedentem. 483.
quo videntur quæ in aliis regionibus fiant. 481. 485.
cylindricum in quo imaginem penſilem videas. 487.
ſphæricum concavum in quo imago penſilis videtur. 488.
ut uterum & gulam videas. 483.
in quo nil imaginet niſi quæ volueris. 486.
Speculum occulta detegens. 481.
horas oſtendens. 486.
in quo dorſum tuum videas. 483.
Sphæra ſolida geographica 639.
Spicula è vulneribus ut extrahantur. 179.
è digitis. 165.
Spiritus quid. 40.
Spiritus ſummè ſimplex quis. 17.
Spirandi difficultas ut curetur. 142.
Spiritus mali ut vinciantur. 586.
Spiritum ex ſtanno elicere. 457.
ad Sponſi & Sponſæ concordiam quid faciat. 97.
Squinantiæ remedium. 140.
Stannum in plumbum vertere. 460.
ſtridorem ejus tollere. 459.
ſurditatem adimere. 460.

Stantes ut ſine capite videantur. 742.
Statua quæ tangentes occidebat. 630.
Solem ſemper reſpicit. 632.
Statua quæ quò libet ferri videtur. 630.
Statuæ ligneæ mira. 758.
Stellæ ut in meridie videantur. 54.
Stellarum apparentium ortus & occaſus. 655.
Sterilitati ut occurratur. 162.
Stratagema bellicum. 659.
Stranguriæ remedium. 159.
Strumæ & earum remedium. 141.
Stibii oleum. 463.
Stibium quomodo ſpiritum det. 461.
Stomachi dolorem removere. 146.
ardorem removentia. 146. 147.
Stupor & taciturnitas in tormentis quibus verbis inducicreditur. 624.
Succinum ut fingatur. 508. 509.
ut liqueſcat. ibid.
Sues ne ægrotent. 263.
Sulphur ſublimatum 416. 464.
Sulphuris tinctura. 465.
flores. 464.
oleum. ibid.
Surdus ut lyræ audiat ſonum. 653.
remedium. 138. 139.
Syderata membra ut cognoſcantur. 179.
Syrupus antihecticus & Sceletyrbicus Zvingeri. 688.

T.

TAbis curatio. 124.
Tabulæ ad ſomnum. 231.
albæ delebiles. 576. 718.
Talpæ ut capiendæ. 272.
ut congregantur. ibid.
Tartarus chalybeatus l'Emeryl. 452.
Tauri ut cicureſcant. 259.
Tempeſtates quid adverſùs eas. 556. 557.
Tempeſtatis marinæ præſagia. 553.
Terra ardens. 90.
prima apta fundendis metallis. 388.
uſque ad ſeptimam. 390.
Terræ ambitus ut inveniatur. 637.
hortenſis probatio. 529.
dictæ quomodo ſubtiliſſimæ evadere poſſint. 390.
vini calcinatio pro auro potabili. 419.
Teſtudines & Teſtacea quomodo capienda. 291.
Theſaurorum inventio. 387.
Theurgia. 595.
Tertianæ curatio. 113. 117. 118.
Telum pendens nullis vinculis. 762.
Tinctura rubea. 422.
Philoſophorum. 423.
luna optima. 436.
lunatica Veneris. 439.
martis aperitiva. 448.
antiſcorbutica. ibid.
antimonii. 462.
ſulphuris. 465

Tinctura antiphthiſica. 453.
Topazium ut ementiatur 514.
Tophi Arthriticorum ut auferantur. 184.
Torpor ut ſanetur. 169.
Tonitru quid impediat. 531.
primum poſt canis ortum quid prænuntiet. 554.
Trachuri. 293.
Tragema cephalicum Zvingeri. 690.
Tranſmutatio metallorum quatuor ad illa ſecreta. 420.
Trochiſci à peſte & febribus malignis præſervativi. 120.
prophylactici ſublinguales Zvingeri. 690.
Tumor partis ſine dolore fieri poteſt. 181.
Turcheſia lapis. 515.
Turdi ut impinguentur. 310.
Tubæ ad aquas hauriendas. 545.
Tubarum ſonus perpetuus. 653.
Turtures ut pingueſcant. 309.
Tuſſis curatio. 142.
Tympani miranda. 756.

V.

VAs inverſum ut aquam hauriat. 86.
Vaſa quæ non frangantur. 693
ut argenteis ſimilia reddantur. 437.
Vaſa & Vitra pingendi atque variè colorandi ratio. 739. *& ſeq.*
Vaſe in urinali ut quis mira conſpiciat. 751.
Venus quo tempore redeat ad locum ſuum. 51. 52.
Veneris in caſtris fortiter militare. 223.
deſideria obtundere. 230.
ens. 439.
tinctura lunatica. *ibid.*
Venere illicita ne quis afficiatur. 230.
Venena quibus non noceant. 102. 103.
Venena lethifera. 109. 110.
ad Venena antidotus. 122. 123.
remedia. *ibid.*
à Venenis cavendum. 109.
Venti molendini ſtructura. 673.
Ventorum appellationes. 551.
Ventos præſagientia. 555.
Ventris rugas à partu abſtergere. 204.
tormentorum curatio. 149.
Ventriculus ut corroboretur. 146.
ejus os corroborandum & conſtringendum. *ibid.*
Ventum projiciens vas. 85.
Vernix optima ad papyrum lævigandam. 576. 728. 732.
Veritatis abſtruſæ arcana. 1.
Verzini quatuor colorum parandi modus. 720.
Verzinum rubrum. *ibid.*
Verrucæ. 184. 185.
Veſicæ morbi ut curentur. 159.
Veſpæ ne impetant. 317.
neque pungant. *ibid.*
Vermium cura. 151.
Verua quo inſtrumento circumagantur. 698.
Veſtimenta ne tineæ tangant.

539.
Veſpertiliones. 308.
Vetonica vide Betonica.
Vetonica ut uno ramo diverſos flores emittat. 354.
Victoriæ præſagia. 669.
Vinum acidum ut emendetur. 208.
an habeat admixtam aquam. 211.
pendulum. 207.
ut præparandum. ibid.
an duraturum. 209.
aſperum lene facere. 208.
ut reddatur gratiſſimum. 210. 211.
ut odore & colore arrideat. 209.
album ut rubrum evadat. ib.
hippocraticum. 214. 215.
ne aceſcat. 208.
vetus ut novum fiat. 210.
novum turbidum ut citò fiat clarum. 210.
ex panno tollendum. 536.
Vinum corruptum. 209.
ut totum annum duret. ib.
zedoarticum. 217.
ne corrumpatur. 207.
corruptum emendare. 206.
borraginatum. 213.
halicacabi ad Urinam prodeſſe. 214.
ad tormenta & ſtrangu-riam. 220.
pro imbecillitate ſtomachi. 214.
cydonites. ibid.
ut quis mentiatur. 220.
ſapore Rheticum. 217.
ut malvatici guſtum præ ſe ferat. 213.
malvaticum. 216.
Vinum coum ut fiat. 212.
græcum. 212. 213.
de Romania. 216.
claretum. 217. 218.
laxativum. 215.
muſcatellum. 216.
ne tonitribus pervertatur. 210.
an futurum ſit bonum. 344.
Vini pravus odor ut emendetur. 209. 210.
Vinum ne florem habeat. 210.
quomodo refrigerandum. 212.
ſaccharatum. 219.
alvum bonam reddens. ib.
ad lotium. ibid.
Vini malvatici apparatus 216.
copia an futura ſit. 221. 344.
Vino diverſos ſapores ut concilies. 210.
ne quis oleat. 220.
ut citò inebrietur. ibid.
ut quis non inebrietur. ib.
à Vino aqua ut ſegregetur. 210.
Vinoſos abſtemios reddere. 221
Viperæ morſus ut curetur. 182.
Violarum planta unica ut omnium colores referat 354.
Viridem colorem conficere. 574.
Viridia ut omnia videantur & quaſi volent. 82.
Virilitatem reſuſcitandi ſecretum. 691.
Viſiones qui videre vult. 74.
Vites ſteriles. 343.
ſideratæ. ibid.
ægrotantes. ibid.

Vites lachrymantes. *ibid.*
defluæ. 344.
fructum putrefacientes. *ib.*
ne à pruina vel rubigine affligantur. 342.
Vitæ hujus finis. 11. 12.
ad Vitam longævam quæ conferant. 107.
Vitis ut botros albos afferat, nigros acinos. 340. 372.
purgatoria. 341.
ut ſerotinas proferat uvas. 340.
Vitis ne à pedunculis neque à glacie affligatur. 342.
Vitium inſitio. 338.
per terebrationem. *ibid.*
Vitriolum Veneris. 441.
Martis. 447.
Vitri fragmenta glutinanda. 477.
elaborandi modus. 475.
Vitrum antimonii. 463.
ut molleſcat. 475.
duplicatum. 747.
ut viride fiat. 476.
ut dividas. *ibid.*
fictitium. 475.
ut ferruminetur. 477.
Ulceris maligni prodigioſa curatio. 178.
Ulcerum cura. 179.
Unguentum ad pleuritidem. 143.
ad morbum gallicum. 128.
lepram. 126.
ophthalmicum Zvingeri. 136.
capillos nigros tingens. 190.
Urbium muniendarum ratio. 666.
Urina ut cieatur. 158.
Urinæ ardoris curatio. 159.
Uteri ſtrangulatio. 161.
Uterus ut loco movendus. 160.
Vulnus ut ſine dolore infligatur. 175.
interni curatio. 145.
Vulnera curantia olea 171 &c.
Uva cocta ut ſervetur. 205.
ut fiat odorata. 373.
ut ab avibus & gallinis tuearis. *ibid.*
ne veſpa contingat. *ibid.*
ut abſque vinaceis generetur. 34.
ut ad Ver uſque ſerventur. 373.
Uvarum illuſione ut homines decipiantur. 81.
Uvas Vere producere. 371.
vinaceis vacuæ Uvæ. *ibid.*

FINIS.

1— 2500